NOVA
ACTA
ERUDITORUM,
ANNO
MDCCXXXVII
publicata.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Prostant apud JO. FRID. GLEDITSCHII B. Fil. MAURIT. GEORG. WEIDEMANNUM, & CASP. FRITSCHIUM.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Parisiis apud BRIASSONUM, & Amstelodami in WAESBERGIORUM & WETSTENII officinis.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII, MDCCXXXVII.

Lectori Salutem!

Quam olim maiores nostri de salute literarum, & bono publico, in his Annalibus merendi rationem tenuerunt, eam nos ab ipsis inde instituti huius primordiis ad præsens usque tempus ita, quantum recordamur, sancte constanterque servavimus, ut, sive formam operis externam, quam nemo non lectorum valde commodam & usui communi aptam iudicavit, sive ipsum de libris novis dicendi genus molle, & compositum ad lenitatem, spectes, nihil Anni præsentis Acta *a vetustioribus illis, cana senectute venerandis, discrepent. Nam, cum aequalis omni tempore doctiorum hominum, si non plausus, saltem approbatio, labores nostros sit secuta, omniumque eo vota conspiraverint, ne quid sinistri unquam Musis nostris, rei literariæ sic satis bene consulentibus, accideret; eo nos adduxit amicum hoc, plenumque omnis gratiæ, iudicium, ut, leviores quasdam maculas, a maioribus nostris hæreditate ad nos transmissas, non abesse in posterum a nostro opere, quam in dubiam favoris publici nos aleam adduci, satius consultiusque duceremus. Enimvero, abiicere nunc demum hoc consilium, &, si non* Actorum *formam prorsus habitumque mutare, horum tamen aliqua ex parte limites amplificare, quædam nos necessitas, remque literariam pro viribus iuvandi minime vituperandus ardor, cogit. Et fuit nobis semper, & esse omnino debet, præcipua hæc omniumque prima cura, ut temporis recentioris literariam Historiam, quam fieri posset, plenissimam ex his Annalibus cognoscerent Lectores, nec magno hoc lectissimorum ingeniorum theatro, in quo tanquam congregati omnium terrarum gentiumque docti ac præclari cives de palma doctrinæ & industriæ certarent, bonum quemquam atque nobilem scriptorem exulare nostra culpa pateremur. Id ipsum sedulo diligenterque cogitantes, cum largiorem menses singuli librorum optimorum messem darent, quam perexiguo sex plagularum spatio includi posse videretur, necessaria huic Operi* Supplementa *adiunximus, eademque pari cum* Actis *ipsis ambulare passu iussimus. Sed ne sic quidem, in tanta copia librorum, quos nostra inprimis ætas partu feli-*

)(2 cissimo

cissimo excludit, aut votis nostris, aut desideriis Lectorum, factum esse satis intelleximus. Quantumvis enim nostri esse moris constet, librorum argumenta breviter & quasi per compendium commemorare, iis tamen semper novorum Scriptorum cumulis nos obrutos & tanquam circumvallatos sensimus, quibus uno fasce complectendis, ardor magis studiumque nostrum, quam illæ Annalium nostrorum angustiæ, sufficerent. Fieri igitur non potuit, quin eorum multi, qui nos iudices poscebant iure suo, aut intacti nobis dimitterentur, aut certe tardius, quam quidem vellent ipsi, suæ præmium virtutis ex nostris manibus acciperent. Qui ne in posterum negligentius se nobis habitos, & aliis præter rem postpositos, querantur, iam de nostri operis augenda mole, instruendisque novis epulis, cogitandum nobis serio videmus. Imitabimur igitur doctissimos Diarii Trevoltiensis *&* Gallici Mercurii *Autores, quibus dudum esse positum in more scimus, cuique Anno partes tres aut quatuor annectere, ita quidem, ut Mensem alterum altero, si non plagularum copia, ipso tamen voluminum numero, locupletiorem plenioremque faciant. Eodem modo nos, qui singulos huc usque Menses inter se æquales dedimus, hos subinde, prout novorum librorum apparatus iusserit, in duas, molis non dissimilis, partes secabimus, efficiemusque hac ratione, ut laxiores, quam olim habuit, annus quisque sibi terminos constituat, & solitam re vera mensuram excedat, nec videatur tamen excedere. Atque sic futurum nos confidimus, ut, si non omnia, quaqua terrarum parte edita, quod quidem fieri nullo modo poterit, nec sanus quisquam lector postulaverit, saltem ea, quæ præ ceteris in eruditi orbis notitiam venire atque gratiam merentur, illa etiam ex parte, qua placere possunt novitatis pretio, suum in his Annalibus decus atque dignitatem tueantur. Cumque, rebus ita comparatis, nec animum nobis deesse, nec facultatem, promte inserviendi tuis commodis, intelligas; age, bone Lector, tuæ monumenta doctrinæ & industriæ, qualia & olim tuo munere ad nos venerunt, & nos grata semper mente accepimus, porro ornamentum præbere* Actis *nostris patere, &, quod fecisse te omni tempore gaudemus, antiquæ fidei & probitatis viris, animum ab odio invidiaque liberum servantibus, in neminem iniuriosis, non ita suæ, ut alienæ, laudis studiosis, rem tractantibus magis arduam, quam gloriosam, fave.*

❁ ❁ ❁

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anno MDCCXXXVII.

C. SUETONIUS TRANQUILLUS, CUM Notis integris JO. BAPT. EGNATII, HENR. GLAREANI, LÆV. TORRENTII, FULV. URSINI, IS. CASAUBONI, JAC. GRUTERI, THEOD. MARCILII, JO. GE. GRÆVII, CAR. PATINI, & selectis aliorum; curante PETRO BURMANNO, *qui & suas Annotationes adjecit.*

Tomi II.

Amstelædami, apud Janssonio-Waesbergios, 1736, 4.
Tom. I Alph. 4 plag. 12, Tom. II Alph. 6 plag. 1, cum Tabb. æn. 34.

Non ergo fefellit spes, in quam nos *Burmanni*, Criticorum facile nunc principis, & promissa & nomen erexerant. Prodiit enim *Suetonius* ipsius cura, & eo quidem habitu ac cultu, ut nunc demum, si quis harum rerum mortuis sensus esset, perpolitum se satis atque exornatum putaret. Quod ut omnibus appareat, age, breviter, quid, quibus subsidiis, & quomodo, Cel. *Burmannus* hic præstiterit, quid ei cum *Suetonius*, tum omnis literatus orbis, debeat, commemoremus. Duo genera eorum hodie sunt, qui ad edendos veteres Autores, aut cum magna ipsorum pernicie, aut sine ulla pæne utilitate,

litate, animum adjungunt. Alterum eorum eſt, qui, quem Auctorem nunquam legerunt & cognoverunt, ad eum edendum librariorum precibus ac pollicitationibus inducti accedunt: alterum vero horum, qui oſtentandæ imperitis eruditionis cauſa omnes copias ſuas, quacunque occaſione arrepta, effundunt, &, quæ ad Lexica ſermonis Latini aut Antiquitatum releganda erant, ea notis inferciunt; in quo ſi tirones in his literis forte juvant, aut eorum laudes ferunt, qui tironum numero ſunt aç loco, multum profecto proficiunt, ipſas literas nihil juvant. Ab utroque genere quantum rationes ſuas ſejunxerit *Burmannus* in *Suetonio* edendo, id vero cum res ipſa demonſtrat, tum Præfatio teſtatur. Nam primo hunc *Suetonium* non ſolum enarrantem audivit *Grævium*, τὸν πάνυ, ſed ipſe etiam vicies eum in Academia Trajectina & Leidenſi enarravit. Deinde vero in ipſis Notis, *Suetonio* adjectis, eum modum tenuit, ut non ſcholas adoleſcentibus hic haberi, ſed doctis ſcribi, diligenter cogitaret. Itaque præcipuam quidem curam emendatæ & ad Codices MStos, aut priſcas editiones, exactæ lectionis habuit, & præterea nihil dixit, niſi quod aut aliis indictum, aut non ſatis illuſtratum, putaret. Atque ea ipſa res fecit, ut *Pitiſci* aliorumque Notas, ab hoc conſilio alienas, prætermitteret, neque earum in hac editione rationem habendam putaret. Illud mirum videri non ſatis harum literarum gnaris poterat, quomodo poſt tot interpretes, inprimisque ſummos Criticos, *Caſaubonum* & *Grævium*, ſatis materiæ ſibi relictum putarit Cel. *Burmannus*, in qua eruditionem ſuam explicaret. At enim vero, ſi quis interpretes ſuperiores excutere velit, facile intelligat, in paucis eam, quam in edendis Autoribus vel præcipuam putare debemus, diligentiam fuiſſe, quæ in conferendis inde ab incunabulis artis typographicæ editionibus collocanda erat; quandoquidem *Iſ. Caſaubonus* ipſe principem editionem Romanam raro in ſubſidium vocavit. Quod cum animadvertiſſet *Burmannus*, id operæ dedit, ut, quantam poſſet, primarum editionum copiam ſibi pararet, easque inter ſe diligenter comparando intelligeret, quinam in *Suetonio* aliquid mutandi autores exſtiterint.

Prin-

Princeps editio *Suetonii* ſemper habita eſt *Romana*, edita A. 1470 a *Joanne Andrea*, Epiſcopo Alerienſi, cujus ope *Iſ. Caſaubonus* multa emendavit, etſi non ſatis eam cum reliquis contulit: de qua cum aliunde conſtare poſſit, non eſt, quare nunc dicamus. Sed alia quoque eſt *Romana* editio, eundem annum 1470 præferens, ab *Ant. Campano* curata, ab illa memorata editione diverſa, atque ex alio codice expreſſa, & ea adeo prior tempore. Hujus editionis diverſas lectiones ab eo tantum tempore annotavit Celeb. *Burmannus*, quo eam accepit. Has ſecuta eſt *Veneta* A. 1471, per *Nic. Jenſen*, & *Mediolanenſis* A. 1475, a *Mombritio*, ut ipſi videtur, curata, qua non uſus eſt *Burmannus*. Poſt A. 1490 *Sabellicus* edidit *Suetonium Venetiis* cum Notis, quarum non, niſi ubi aliquid criticæ eruditionis occurrit, habuit rationem, eaque editio aliquoties repetita eſt. Majorem lucem huic Autori affudit *Phil. Beroaldus*, ſenior, cujus cum Commentariis prodiit *Suetonius Romæ* A. 1493, autore *Maittairio*, poſt *Bononiæ* A. 1506, qua editione, ut præcipua, uſus *Burmannus* eſt. Ceteræ, quæ in Italia poſtea prodiere, editiones hanc fere ſequuntur; quemadmodum etiam *Pariſienſis* A. 1515, majoris formæ, quanquam Bononienſi illa vitioſior. Prodiit etiam A. 1508 *Lugduni Suetonius*, quæ editio, etſi a *Guidone Morileto* e Codice Abbatiæ *S. Victoris* correcta dicitur, tamen ita vitioſa eſt, ut comparationis tædium *Burmannum* ceperit. Eam expreſſit *Juntina* A. 1510 accuratiſſime. Poſt *Aldinas* A. 1516, & 1519, quæ cum *Scriptoribus Hiſtoriæ Auguſtæ* prodierunt, a *Jo. Bapt. Egnatio*, cujus Notas, quod in iis refellendis ſæpe *Glareanus*, & *Caſaubonus* verſantur, hic quoque vides, curatas, ab *Eraſmo Suetonius* editus eſt *Baſileæ* A. 1518, 1531, & 1533, in quibus editionibus ſemper quædam mutavit. Annotationes paucas adjecit *Eraſmus*, ſed multa mutavit. Lectiones diverſæ autem partim ingenio ejus, partim Codici Tornacenſi egregio, debentur. Atque hanc ob cauſam illæ editiones diligentius excutiendæ erant his, qui *Suetonium* ediderunt; inprimis cum, qui poſtea *Suetonium* edidere, *Colinæus*, *Gryphius*, alii, usque ad *Plantinum* & *Torrentium*, etſi in fronte librorum ſe emendatiorem *Suetonium* edere profeſſi ſunt, tamen *Eraſmianas* editiones exprimunt. *Juntinam* ex-

pressisse videntur editiones *Argentinenses*, etsi interdum ab ea recedant, quarum duas adhibuit Vir Cel. alteram typis *Matth. Schurerii* A. 1515, alteram literis *Jo. Bruss* A. 1520, iisdem characteribus expressas. Emendatam admodum editionem deinde prodidit *Steph. Doletus* A. 1541, adjectis margini *Erasmi* & *Jo. Rayneri* Scholiis quibusdam. Ceterum editionem *Gryphii* A. 1536 expressisse videtur, apud quem correctoris labores sustinuerat. Secuta est, & omnes superiores superavit, editio *Rob. Stephani* A. 1543, e Codice *Memmiano*, sed ita, ut, ubi manifestæ mendæ essent librariorum, ab eo discederetur. Ejus ope multa loca restituit *Grævius*. Post A. 1560 *Glareanus* Basileæ *Suetonium* edidit, adjectis Annotationibus, quibus, pro more suo, non nisi difficillima quæque illustraret; quare eas totas servavit *Burmannus*. *Plantiniana* editio nil præcipui fere habet, nisi varias lectiones, e Codicibus MStis a *Pulmanno* adjectas, in quibus quicquid bonæ frugis est, *Torrentius*, *Casaubonus*, *Scriverius*, in suas editiones transtulere. *Torrentius* autem primum edidit *Suetonium* A. 1578, forma minori, deinde amplioribus Notis instruxit & edidit A. 1592, quibus sibi magnam paravit, etsi non satis meritam, famam. Nam & vulgaria sæpissime fuse tradit ex antiquitate, & alios compilat. Est in Bibliotheca Leidensi Academica exemplum *Suetonii Plantinianum*, Notis *Lipsii* repletum. Ibi multa, quæ ad verbum in his *Torrentii* Commentariis reperiuntur, deprehendit *Burmannus*; quæ utrum *Torrentio* sublegerit *Lipsius*, qui post hunc editum *Torrentii* Commentarium demum Leidæ docuit, an *Lipsio Torrentius*, non audet pro certo affirmare. Ex his *Lipsii* Notis quædam etiam huc transtulit *Burmannus*. Ceterum *Lipsii* Notæ in tres posteriores e gente *Flavia* Imperatores etiam post mortem ejus *Offenbaci* A. 1610 prodiere, ex quibus quoque, quæ videbantur, selectæ sunt. Plurimum vero *Suetonius Is. Casaubono* debet, qui eum doctissimis, quanquam non absolutissimis propter festinationem nimiam, Commentariis edidit A. 1595 aut 1596, quos auctiores deinde edidit *Parisiis* A. 1610. In verbis etiam *Suetonii* quædam mutavit, non semper ratione mutationis in Notis reddita. Post eum cum Notulis

emisit

emisit *Suetonium Fulv. Ursinus*, typis *Plantini*, A. 1595, adjectis fragmentis Historicorum, & in alios Historicos Notis. Memorat veterem quendam Codicem, quo se usum dicit; sed sublesta est in his rebus ejus fides. Paulo post novam *P. Scriverius* editionem dedit, A. 1596, in verbis quidem *Casauboni* vestigiis insistens, in Notis vero *Plantinianam*, *Pulmanni* cura editam, descripsit, & praeterea cum aliunde corrasa, tum de suo non ita multa, adjecit; ex quibus pauca, ad rem facientia, in hanc editionem translata sunt. Adjectae etiam sunt integrae Notae *Gruteri*, quas ille cum aliis Historiae Augustae Scriptoribus A. 1611 vulgavit; quod in iis trium Codicum Pall. varietates proditae sunt fide summa, & Notae illae, in tanto corpore latentes, a paucis excutiuntur. *Boxhornii* quoque Notae quaedam accessere; reliquorum vero Interpretum, *Schildii*, *Babelonii*, *Pitisci*, *Almeidae*, nulla habita ratio est; quod vulgaria continent, nihilque, quod non in vulgaribus Lexicis reperiatur. Judicabunt ex his ipsi facile Lectores, quantum sit utilissimarum ad Criticam rerum accessio *Graevianae* editioni factum, quae quoniam omnibus satis nota doctis est, nihil de ea dicere attinet. Illud, restat, ut dicamus, quibus, praeter editiones commemoratas, subsidiis usus sit Cel. *Burmannus*. Inter schedas *Lipsianas* in Bibliotheca Leidensi servantur excerpta Codicis *Cujaciani*. Ea omnia in hanc editionem transscripta sunt. Dubitatio tamen quaedam injecta est Viro Cel. an ex eo Codice, quo & *Casaubonus* usus est, satis fideliter descripta sint, quandoquidem a *Casaubono* quasdam varietates notatas invenit, quae in excerptis illis non reperiuntur. Inter omnes *Suetonii* Codices laudatissimus fuit *Memmianus*, qui & *Turonensis* appellatur. Eo usi sunt *Rob. Stephanus*, & *If. Casaubonus*. Sed & *Stephanus* innumeris locis ab eo discessit, nec, *Casaubonus* quae prodidit, semper conveniunt cum his, quae Cel. *Graevius* e *Salmasianis* Excerptis protulit: quanquam, nec hunc ea Excerpta satis diligenter excussisse, censet *Jac. Gronovius*, qui, e *Salmasiano* exemplari omnia se religiosissime edidisse, professus est, & propterea A. 1698 *Leidae* novam editionem procuravit, quae omnes *Memmiani* Codicis apices & puncta referret. Usus etiam est Vir Cel. exemplo edi-

tionis *Torrentianæ*, cujus margini lectiones varias adſcripſit *Iſ. Voſſius*, verum in pauciſſimis a *Memmiano* Codice diverſas, ut aut ex ipſo, aut Excerptis *Salmaſianis*, deſcriptæ videantur. *Jac. Gronovius* habebat trium Codicum Mediceorum, *Memmiano* nihil cedentium, varias lectiones, quibus multum prodeſſe *Suetonio* potuiſſet, ſi eas edidiſſet. Acceſſere etiam huic editioni varietates Codicis *Harlemenſis*, cujus excerptis *Gravius* uſus eſt, nec non Codicis *Copeſiani*, *Hulſiani*, recentioris illius quidem, ſed cum optimis conſentientis, denique *Perizoniani*, Bibliothecæ Leidenſi legati, in cujus margine & aliorum Codicum varietates adſcriptæ ſunt. His commemoratis, illud ſupereſſe videtur, ut obſervationum *Burmannianarum* quædam ſpecimina proferamus. Quod priusquam facimus, vel tribus verbis de diviſione *Suetonii* in Libros & Capita dicemus. In omnibus Codicibus MStis nulla niſi in ſingulas vitas reperitur diſtributio. Primum *Caſaubonum* conſtat in VIII libros diviſiſſe XII Vitas, ita ut ſeptimus *Galbæ*, *Othonis*, & *Vitellii*, octavus vero reliquos tres e Gente *Flavia*, complecteretur. Ab eo, neque immerito, *Boxbornius*, & omnes eruditi, diſceſſere. Ab antiquo Gloſſatore *Virgilii* apud *Barthium Adv. XXXVII*, 5, citatur *Suetonii* Liber decimus; unde ſatis apparet, eo tempore non in VIII libros, ſed, ut *Boxbornio* placet, in X, diſtributum *Suetonium* fuiſſe. Ceterum hodie non juxta diviſionem Librorum *Caſaubonianam* citandus eſt *Suetonius*, tum quod non omnes editiones eam ſequuntur, atque adeo ea res moleſta Lectoribus eſſet, tum quod ſuſpicionem compilationis, & non lecti inſpectique *Suetonii*, affert. Cel. *Burmannus* ex Juriſconſulti cujusdam, qui, omnibus Muſis invitis & indignantibus, magnam eruditionis humanioris famam olim ſibi, ut fit; acquiſierat, ex ejus igitur libellis, in quibus juxta utramque diviſionem citavit *Suetonium*, probat, multis locis adductis, eum hujus diviſionis rationem ignoraſſe, ac ne inſpexiſſe quidem *Suetonium*, nedum legiſſe; quod quam turpe ſit humaniorem Juris ſcientiam profitenti, facile intelligitur. Diſtinctionem in Capita *Eraſmo* deberi, putat Vir Celeb. Certe ante ejus editiones nulla eſt, quæ in Capita Vitas dividat. Locus difficilis eſt in *Caſ. Cap.* 28 de

Cl.

Cl. Marcello ad ſenatum referente, ut *Cæſari* ſuccederetur ante tempus &c. & ne abſentis ratio in comitiis Conſularibus haberetur, *quando nec* (alii *ne*) *Plebiſcito Pompejus poſtea abrogaſſet.* *Caſaubonus*, *abrogare* eſſe, dicit, *derogare*, & *Plebiſcito* ablativo caſu cepit, ut ſenſus ſit: abſentis Cæſaris non eſſe habendam rationem, quia *Pompejus* legi ſuæ, qua id in genere prohibebatur, non derogaſſet Plebiſcito, ſed propria autoritate tantum correxiſſet, jam in ærarium relatam. Ea interpretatio diſplicebat *J. F. Gronovio*, quod durum eſſet *Pompejus abrogaſſet*, pro *Pompejus legi ſuæ derogaſſet*, & falſum, nulli legi derogari potuiſſe, niſi per Plebiſcitum. Itaque legi volebat: *quando & Plebiſcito*, caſu dativo, hoc ſenſu, Plebiſcito, quo Cæſari abſenti licebat petere, abrogatum eſſe lege *Pompeja*; quod autem populus poſtremo juſſerit, id jus eſſe. Cel. *Burmannus* probat quidem *Gronovii* ſententiam, *Plebiſcito* dativum eſſe; &, quoniam *Pompejus* in lege ſua non exceperat *Cæſarem*, atque adeo Plebiſcitum de petitione *Cæſaris* vim ſuam obtinebat, *nec* vel *ne* locum habere non poſſe, atque adeo *&* vel *ei* legendum eſſe; ſed præterea pro *abrogaſſet* cum editione *Stephani* legendum putat *obrogaſſet*, quod *abrogare* quidem *legem*, ſed *obrogare legi* dicimus. *Cap. 45 Julius* dicitur calvitii tegendi cauſa *deficientem capillum revocaſſe a vertice.* Hic capillorum poſitus, quem *Græci* ἀνάσιλλον vel ἀνάσιλλον vocant, qualis fuerit, alii docuerunt, atque in his Cl. *Pauw* ad *Horapoll. pag 305.* Nempe crines in orbem ita ponebantur, ut coronæ ſimilitudinem referrent, ac calvitio tegendo apti eſſent. Sed arridet tamen vehementer Cel. *Burmanno* Cl. *Schultingii* conjectura, qui *ad verticem* legi vult. *Calvus* inprimis vertex eſſe ſolet, ſuperſtitibus ad inferiores partes capillis. Atque ea demum deformis eſt, & apud veteres conviciis obnoxia erat calvities, ut ex *Martiale* & aliis conſtat. Hinc eos capillos, qui in fronte, & in temporibus, ſupererant, retro flectere & *revocare* ad tegendum verticem nudum ſolebant; quod ex illo *Martialis X, 3*, intelligi poteſt:

> *Raros colligis hinc & hinc capillos,*
> *Et latum nitidæ, Marine, calvæ*
> *Campum* temporibus *tegis* comatis.

Quod-

Quodfi in vertice capilli fuiffent *Julio*, quid opus eos ad frontem revocare, ad quam fua fponte, ut fcimus, defcendunt. A fronte autem & temporibus ad verticem retro agere, id fit contra naturam, ut *Quintilianus Inft. Or. XI, 3,* ait, qui id ipfum in Oratore reprehendit. *Cap. 52* mentio fit *navis thalamegi*, a *Philopatore* ædificatæ, qua *Cæfar* usque ad Æthiopiam penetravit. Eam fimilem fuiffe, *Cafaubonus* putabat, prifcorum *Paradis*, quarum apud *Aufonium* & *Sidonium* mentio fit, in quo fallitur vehementer. Nam *paradæ*, id quod jam ad *Rutilii Itinerarium pag. 109* oftendit, non ipfa navis, fed in foris vel tranftris aliquid tentorio fimile, fuit, ut ipfi loci *Aufonii* & *Sidonii*, fi quis attenderit, docent, fub quo aeris injurias & folis ardorem vitare potuere, & quod alii *Conopeum*, Galli *Pavillon*, vocant. Id fufpicatus jam erat *Turnebus Adverf. XXII, 10.* Originem nominis, verofimile eft, a *parata* fluxiffe, quo verbo ejus ævi fcriptores omnem magnificentiam apparatus & pompam appellabant, unde Gallorum *parade* extitit, ut *Salmafius* ad *Solinum pag. 789* oftendit. In *Aug. Cap. 12* hæc funt: *Ut cognovit, Antonium poft fugam a M. Lepido receptum, ceterosque duces & exercitus confentire pro partibus, caufam optimatium fine cunctatione deferuit.* Pro *partibus* cum in plerisque Codicibus MStis, tum in editionibus quibusdam, eft *patribus*; quorum hoc *Pithœo*, *Urfino*, aliisque, illud *Cafaubono* inprimis, magis placet. Hunc fequitur Cel. *Burmannus*, fed ita, ut utriusque lectionis eandem vim judicet effe, & *partibus* dici de Senatu, non, quod *Cafaubono* & *Berneggero* vifum, de *Antonio* & *Lepido.* Simpliciter pofitæ *partes* fæpe indicant illas, quibus favemus. Atque id hoc loco vel illud manifeftum facit, quod paullo poft *optimatium caufam* deferuiffe dicitur *Auguftus*, & cum *Antonio Lepido*que coiiffe, quia exercitum *Hirtii* & *Panfæ*, reliquosque, qui erant in diverfis imperii partibus, fenatui & percufforum caufæ favere videbat, ideoque fe non poffe his adjunctis necem avunculi vindicare, & acta tueri. *Suetonius* fæpe fignificat, fe faviffe fenatui & optimatium caufæ, & ideo dixit abfolute *partes*, quibus ipfe favebat, ut fæpe *Lucanus* facit. Sed hæc, ut fe forte

nobis

nobis obtulerunt; quibus simillima, atque adeo majoris momenti, afferri possent, si plura dicere liceret, ac non modus adhibendus esset. Ceterum vehementer optamus, ut eadem felicitate in perficienda *Virgili* editione Vir Celeberrimus utatur, cujus motam nobis olim spem in ipsa huic *Suetonio* præmissa Præfatione confirmavit.

VOLUNTARIUM IMPERII CONSORTIUM inter Fridericum Austriacum & Ludovicum Bavarum, Augustos, quod ex pacto de A. MCCCXXV adstruxit JOANNES FRIDERICUS Nobilis DE BAUMANN, S. R. I. Eques, & Sacræ Cæs. Maj. Consiliarius actualis. Editio nova.

Francofurti & Lipsiæ, absque mentione typographi, 1735, fol. Alph. 2 plag. 2.

Non inutiliter, imo præclare, laborem suum collocant illi, qui controversias, in Imperii Romano-Germanici Historia obortas, examinant, & arcessito omnis generis eruditionis apparatu decidere conantur. Verum equidem est, & constat inter omnes, summos jamjam in hac palæstra viros desudasse, in quibus natura omne, quicquid potest, experta videbatur. Habet tamen Imperii quoque Historia commune hoc cum omnibus artium disciplinis fatum, ut post messes majorum amplissimas non ingratum posteris spicilegium relinquatur. Tale quid pollicitus, &, nostro quidem judicio, assecutus etiam est Ill. *Jo. Frid. Baumannus*, Equitum Imperii decus eximium. Hic, dum iterata vice suæ specimen doctrinæ cum literata communicare voluit civitate, controversiam selegit & dignitate argumenti illustrem, & rerum varietate jucundissimam, in qua examinanda tam præclare suo satisfecit muneri, ut super locos veterum diligenter collectos, nihil, quod vel ab ingenii venustate, vel ab acumine judicii, proficisci poterat, jure desideres. Nos, quod nostrarum est partium, agemus sedulo, &

pondera, quæ pro regni ſocietate, a *Friderico*, Auſtriæ Archiduce, & *Ludovico* Bavaro inita, militant, Lectoribus noſtris exhibebimus. Omne Opus *tribus* abſolvit Ill. Autor *Partibus*. *Prior* Diplomata exhibet, quæ Bibliotheca Vindobonenſis ex clementiſſima Invictiſſimi Cæſaris liberalitate abunde ſuppeditavit. Mirabitur Lector præſtantiam monumentorum, ſimulque Generoſiſſimi Equitis in deſcribendo induſtriam ac delectum æquis celebrabit laudibus. Sequitur *Pars altera*, quæ varia, vitam resque *Friderici* Auſtriaci geſtas illuſtrantia, profert in medium, prætermiſſaque ab aliis copioſe illuſtrat. Liceat nobis ea, quæ ad argumentum proxime non ſpectant, ne extra oleas vagari videamur, ſicco pede præterire omnia: & in *Parte* potius *tertia*, quæ ipſam veritatis habet probationem, explicanda verſari, quam fieri poterit, accuratiſſime.
§. 89. *Majeſtatis* criterium duplex eſt, *internum*, ſalutem publicam promovendi facultas, & *externum*, uſus titulorum, atque honoris ſplendor. Quodſi pluribus idem jus competit tam ſalutem promovendi publicam, quam utendi titulis, nec alter alteri ſine præjudicio anteponi poteſt, *conſortium imperii* inde naſcitur. Hæc ad præſens accommodare licebit argumentum. E-
90. tenim non eſt animus in præſenti urgere, & multis deducere, utrumque Principum, a magno Statuum cœtu fuiſſe electum, indeque paria majeſtatis jura ſtatim fluxiſſe, & controverſiam coortam, gladio unice, unico inter gentes liberas & principes viros judice, decidendam. Ipſa pacti hiſtoria aſſerti hujus ve-
91. ritatem confirmabit. Adeſt in promtu teſtis, ſcriptor Anonymus, ſed æqualis, cujus ætatem quatuor argumenta reddunt probabilem. Primo genus ſcribendi illi apprime convenit tempeſtati. Deinde ordo præclarus, quo in recenſendis æmulorum geſtis utitur, penitiorem omnis rei notitiam ſupponit. Porro is unicus eſt, qui nomen loci, ubi prælium commiſſum, *Kikelneben* ſervat, cum a ſequioris ævi Scriptoribus per ignorantiam *die Fechwieſe* nominetur. Tandem Auſtriacum quendam, qui *Joannem* Regem, equo dejectum, inſtanti ſubtraxit periculo, nominare recuſat, *ita quippe inter omnes notum, ut nomine non opus ſit.* Manſit captivus *Fridericus* per biennium, ante-

antequam plena libertas sequeretur. De pacto cum *Ludovico* §. 94 seq.
Cæsare inito convenit inter omnes, sed, quid eo contineatur, nondum satis definitum, adeo, ut *Rainaldus*, aliquid in re tam obscura decidere, plane temerarium arbitretur. Alii *Fridericum* volunt imperii jus A. 1325 d. 15 Martii ejurasse, alii, eundem Septembri mense in regni societatem a *Ludovico* adscitum, tradunt. Non confundunt hæ dissensiones Doctiss. Equitem, qui ad solidam potius argumenti sui probationem, colligendaque *Φαινόμενα*, se accingit. In limine statim *Petri Ab-* 96.
batis locum affert, memorantis, ***liberatum ob turbas a Papa motas Fridericum, tabulas fœderis nunquam literis consignatas, utrumque semper titulo uti regio, comedere, bibere, conversari, simul dormire, & verbis pacificis unum esse, Ludovici filiam filio Friderici arcto matrimonii sociatam fœdere.*** Et 97.
quis, Regem esse desiisse *Fridericum*, assereret, qui tot tantaque administravit imperii negotia? Feuda fratribus in Burgovia assignavit Diplomate A. 1326, 4 id. Febr. dato, apud *Ludewigium*. Eodem anno in vigilia Pentecostes Obernkirchæ oppi- 98.
do jus civitatis Offenburgicæ concessit charta, quam emisit *Wenckerus*. Privilegia Erfortensia A. 1236, 4 id. Febr. con- 99.
firmavit per tabulas, ab Illustriss. Comite *Wurmbrandio* cum *Baumanno* nostro benignissime communicatas. Nec quid- 100.
quam post captivatem in stili mutavit solennibus, sed eosdem titulos, eadem Augustæ dignitatis nomina, sibi semper arrogavit. Quid ergo dubium, *Fridericum Ludovico* in imperio socium *facto* fuisse? Nihil igitur restat, quam ut de quæstione, an *jure* fuerit, dispiciamus paulo uberius. Ictum Trausnizii 103.
fœdus, Scriptores æquales scribunt, conjugia & regale nomen utrinque continuatum commemorant, pacti vero formulam ignorant. Veri autem simile non est, duriores *Ludovicum* obtulisse pacis conditiones. Namque 1) a *Leopoldo*, Austriæ Ar- 104.
chiduce, in summas redactus erat angustias; 2) ipse amicis ha- 107.
bebat opus, & tales re vera sibi quærebat, futuri, ut scriptor 108.
istius ævi ait, habens rationem; 3) summa fides, quæ illo in- 105.
primis tempore morata in terris legitur, & pietas utriusque non fucata, nec *Ludovico* permisisset, sacramento corporis D.

N. J. C. ad turpe factum frui, nec *Friderico*, regium sibi no-
§. 106. men contra datam fidem adsciscere, sicut etiam 4) vir inte-
gerrimus, *Gottfridus*, Cartusiæ Maurbacensis Prior, qui ad
latus *Friderici* erat, pacti læsi memoriam certissime in ani-
107. mum Regis revocasset; 5) arctissima apparet contrahentium
erga se invicem fiducia, quæ victorem movit, victo terrarum
109. Boicarum commendare præsidium; 6) apud scriptorem æqua-
lem legimus: *unnd ward Chunigk Friedreich ledig gelossen;*
110. quid, quod 7) inscriptio ipsius pacti habet: *Wir Ludowich
unndt Friederich zu allen Ziten mer' dez Richer.* Sed
unde hæc, inquies, pacti formula? Illam Ill. Autor, exem-
plaria *Cuspiniani Lambecii*que secutus, exhibet, adjectis ex
vitioso alias *Fuggeri* textu monogrammatibus. Non dubitat,
fore plerosque, quibus hoc pactum leve & indignum magno-
rum virorum fide videre posset. Omnem ergo movet lapi-
dem, quo innotescat, chartam hanc re vera genuinam esse, &
præclarum ævi veteris documentum. Tria confirmant dubi-
111. tantem Cl. virorum testimonia, 1) *Cuspinianeum*, quod Diplo-
ma ex Archivo A. 1527 a *Guil. Putschio, Ferdinandi* Cæsaris a
Secretis, sibi communicatum ait, 2) *Lambecianum*, quod av-
thenticum monumentum, *Cuspinianeæ* editioni geminum
Germanum, A. 1666 d. 17 Octobris, hora post meridiem quinta,
ab augusta *Leopoldi* Augusti manu sibi traditum fuisse testatur.
Pondus addunt 3) R. P. *Ant. Steyereri*, S. J. literæ, Dresda
112. A. 1725, 4 non. Febr. ad Cl. *Kælerum* scriptæ. Ad ipsum textum
progreditur Ill. Autor, ipsaque verba examinat, quæ cum
definitioni consortii imperantium, supra §. 89 exhibitæ, exa-
cte congruant, socios majestatis fuisse *Ludovicum* Bavarum &
113. *Fridericum* Austriacum, secure concludit. Bina conclusionem
firmant Diplomata, alterum A. 1325 d. 4 Sept. datum, ubi uter-
que sub signo suo, in fine adjecto, se *Henrico*, Carinthiæ Duci,
Palatinatum Imperii Patavinum perpetuo esse servaturos, pro-
mittunt: alterum A. 1326, regni 12, scriptum, quo *Fridericus*
data *Bertholdo*, Comiti Hennebergæ, privilegia confirmat. Sa-
tis probavit Ill. Eques, *Fridericum* & *Ludovicum* in perpe-
tuo vixisse regni consortio. Sed non contentus, suam probasse
opi-

opinionem, sub finem Operis se adversus contradicentium objectiones tuetur. Obstat 1) pacti formula, superius adductae e diametro contraria, quam ex tabulario Boicorum Principum *Herwartus ab Hohenburg* protraxit, ejusque αὐθεντίαν clarissimis Scriptorum praestantissimorum, *Burgundi, Adlzreiteri, Monachi Rebdorfiensis, Joannis XXII*, Papae, testimoniis corroboravit. Neque hanc vocat in dubium *Baumannus*, conjicit potius, duriores has pacis conditiones initio a victore oblatas, postea amice mutatas fuisse per pactum, a *Cuspiniano* aliisque exhibitum, cum in eo esset Pontifex, ut in hac aemulorum dissensione *Carolo Pulchro*, Francorum Regi, coronam Germanicam, repugnantibus licet *Leopoldo*, Archiduce Austriae, *Balduino*, Archiepiscopo Trevirensi, & *Joanne*, Bohemiae Rege, imponeret. Obest 2) haesitatio perpetua, in qua versatur *Cuspinianus*, cum modo, eodem cum *Ludovico* Caesare habitum loco *Fridericum*, modo, de Italia non adeunda fidem dare coactum, asserit. At fieri aliter haud potuit, cum varias has narrationes ex diversis, quae citantur, hauserit *Cuspinianus* Chronicis. Obest 3) deficiens consensus Ordinum, qui tamen in regno electivo plane est necessarius. Sed & huic objectioni responsio est parata. Uterque Caesar a magno Principum numero fuit electus; ideoque consensus adest in utriusque imperium. Nec is consensus in hoc pacto jure desiderari potest, cum tacite consensisse credatur, qui novo se non opponit capiti, imo ab eo accipere privilegia non dubitat. Quid, quod *Ludovicus* regni Italici curam mandaverit *Friderico*, *es sei mitt Fürsten willen, oder on iren willen*, in memorabili charta, cujus exemplar authenticum se in monasterio Carthusanorum Maurbacensi vidisse testatur *Lambecius*, formis descriptum orbi literato dedit *Cuspinianus* in Austria *pag. 640*. Nihil efficiunt, quae moventur 4), perpetuae de expeditione Italica contradictiones. Vox *cessionis* non plenam imperii abdicationem, sed potestatem regendi negotia Transalpina, communicatis, ceu *Artic. 14* pacti ait, consiliis, denotat. Titulus *Friderici*, quo *Rex in Roma* appellatur, nihil reale involvit, sed ad meras stili solennitates pertinet. Gravius foret, si congrueret veritati,

§. 118.
120.
121.
122.
123.
124.
126.

§. 127. argumentum, 5) pacti Diploma ad A. 1525 latuisse. Tunc enim magna recte oriretur de falsitate illius inter eruditos suspicio. At plane contrarium historiarum edocent monumenta.
128. Sunt omnino veteres, qui oculis se usurpasse pactum hoc Cæsarum testantur. In his eminent *Jo. Villanus*, qui A. 1364 floruit, *Albertus Mussatus*, qui A. 1330 obiisse legitur, *Autor Annalium Fürstenfeldensium* ineditus, *Matthias Hagerus*, civis Viennensis, cujus vita annis 1365 ad 1395 absoluta est, *Vitus Arenspeckius*, qui circa A. 1456 in vivis fuit, *Thomas Ebendorfius*, qui A. 1464 naturæ debitum reddidit, *Joannes XXII* Papa in literis ad *Carolum*, Regem Francorum, datis. Dubium facit 6), quod in *Artic. 15* pacti *Fridericus*, Marchio Misnensis, *gener* vocetur, qui A. 1329 demum duxisse *Mechtildin*
129.
130. legitur. Sed statim conficietur negotium, si, per sponsalia & pactum fuisse jam tunc generum Marchionem, dicas. Quæ 7) de clandestina usurpatione urgentur, ex supra adductis confutationem suam capient. Quod 8) dicunt, *Fridericum* Cæ-
131 seq. sarem, qui ab A. 1440 ad 1493 regnavit, dum se *tertium* vocat, nostrum e serie excludere *Fridericum*, pondus haberet, nisi Cimmeriæ istius ævi tenebræ & summa ignorantia omne, quicquid stupidum est & inficetum, excusaret. Agmen obje-
133 seq. ctionum claudit 9) Diploma confirmationis privilegiorum, monasterio Maurbacensi a *Carolo IV* datum, quo se supplere ea ait omnia, quæ vel ratione formæ donationis, vel imminutæ autoritatis objectione, oriri poterant controversa. Nihil sibi cum charta hac negotii esse vult Ill. *Baumannus*, in qua quippe tantam *ἀτόπων* catervam deprehendit, ut facilius, cloacas Augiæ purgare, putet, quam ejus moliri defensionem. Ita tandem bona Ill. Autoris causa triumphat, in qua ornanda omne, quicquid desiderare jure queas, adhibuit. Iniqui essemus veritatis æstimatores, si eas *Baumanno* denegaremus laudes, quas ab omnibus eruditis sine controversia laturus est. Quodsi Deus O. M. annos & vires Ill. Equiti concesserit, nulli dubitamus, eum, sicut industria eruditionem præceptoris *Kaleri* nactus est, ita & scriptorum præstantia famam ejus esse assecuturum.

LUCU-

LUCUBRATIONES IN SURRENTINORUM Eccleſiaſticas Civilesque Antiquitates, nuncupatæ Sanctiſſimo Domino noſtro CLEMENTI *XII, Pont. Max. a* PHILIPPO ANASTASIO, *Patriarcha Antiocheno, pridem Archiepiſcopo Surrentino.*

Partes II.

Romæ, typis Joannis Zempel, 1731 & 1732, 4 maj.
P. I Alph. 3 plag. 10, P. II Alph. 2 plag. 13.

Nulla gens ad explorandas Antiquitates aptior magisque eſt idonea Italis, a quibus, cum ante pedes ſita ſpectentur rudera, merito expectatur, quicquid in hac arte dici poteſt abſolutiſſimum. Præſentia in rebus, quæ ſenſus attinent externos, maximi eſt momenti, ne dicamus, utramque facit paginam. Quilibet vel nobis intelligit ſilentibus, Autorem, qui audivit, qui oculis uſurpavit omnia, fide plurimum ſuperare illum, qui vel ab aliorum ore pependit, vel ex vetuſtis voluminibus ſua hauſit omnia. Videmus inde, quod de ampliſſimo *Philippi Anaſtaſii*, Patriarchæ Antiocheni, Commentario in Antiquitates Surrentinæ civitatis, quam per plures annos ſancti paſtoris perfungens munere rexit, ferendum ſit judicium. Attulit ad collecta ſtudioſe rudera, quod boni ſcriptoris eſt officium, elegantiam ingenii, judicandique vim, quam ætas matura juvit, nihilque, præter pietatem, & Eccleſiæ reverentiam, impedire potuit. Opus in *duas Partes* diviſum eſt, quarum quæque *tribus Libris* abſolvitur. *Altera* antiquitates Eccleſiaſticas, civiles *altera Pars* explicat. *Primæ Partis Liber I.* abdita illa & Cimmeriis obvoluta tenebris tempora illuſtrat, quibus Surrentina civitas Chriſtianam amplexa fidem, illiusque Eccleſia in Epiſcopatus, imo & Archiepiſcopatus, dignitatem evecta legitur. Concinna ſunt, quæ curioſe ex pia civium Surrentinorum traditione adverſus *Fridericum Spanhemium* de S. *Petri* in iſtas oras pere- CAP. I.

peregrinationibus a Ven. Præsule pie recensentur: nec inju-
CAP. III cundæ, quas de dignitatibus Episcoporum, Archiepiscoporum,
Art. 2. Patriarcharumque, Ecclesiasticis suscipere placuit, digressiones.
Episcopos ex optimi Sospitatoris instituto Presbyteris fuisse majores, quovis certat pignore, negantesque damnat *Aerium, Wiclefum, Lutherum, Calvinum, Chemnitium, M. Antonium de Dominis, Franc. Duarenum*, &, qui sub ficto *Vallonis Messalini* nomine latere voluit, *Claudium Salmasium*. Sub communi Episcoporum genere, ceu species simplices, Episcopos, Archiepiscopos, & Patriarchas, collocat, quos non ordine, sed jurisdictione ac potestate, discrepare asserit. Magnus in hoc negotio adversarius est *Elias Pinius*, cum quo adeo collectis omnibus argumenis collatisque signis congreditur *Anastasius*. U-
Art. 5. bi ad illud pervenit tempus, quo ecclesia Surrentina pallio,
Pag. 65. quod a *Joanne Andrea* & sectatoribus male *palleum* scribi notat, ornata est, haud pauca, nec ea proletaria, de varia figura & forma pallii, quod olim ab Imperatoribus obtinebant, nunc a Pontificibus Maximis accipiunt Episcopi, apposite explicavit, longissime a doctissimo alioqui viro, *Petro de Marca*, dissentiens. Non exigui laboris est, quam de Martyribus Surrenti-
CAP. II. nis subjunxit, tractatio. Opus enim fuit, singula pervolvere martyrologia, deque illis dexterum ferre judicium. Palmam tulit præ ceteris Romanum, cujus tamen fidem contra *Henschenii Papebrochii*que objectiones defendere oportebat. *Liber II* vitas Episcoporum patronorum Ecclesiæ Surrentinæ tractat, quas, sine Chronologia hactenus congestas, & plurimis mendis commaculatas, restituere veritati *Anastasius* no-
Pag. 123 seq. ster annisus est. Clara hic sunt *Antonini, Catelli, Baculi,*
272 seq. *Renati, Valerii, Anastasii*que, nomina. De singulis singulæ
296 seq. Dissertationes conscriptæ sunt, quarum *quarta* cumprimis mira-
337 seq. cula *Renati*, cum *Andrea Saussayo* & *Petro Ribadineira*, con-
379 seq. tra irreligiosas *Launoji, Riveti, & Bailleti*, impugnationes vindicat acerrime. Sed in ipso etiam *Baronio* quasdam monstrare oscitationes, & egregium Chronologum, quem *Bollandi* amici secuti sunt, impugnare fortius, satagit Ven. Autor. Variis tandem modis lectorem in grata deducit diverticula, doctasque

easque miscet de variis argumentis digressiones. Ritum condendi cadavera ex antiquitatibus Christianorum tractat solide. Artem Romanorum πολιοςκητικην breviter, sed apte & perspicue delineat. Cum de antiquis in Episcopos Ecclesiasticis judiciis justa differendi opportunitas obveniret, plurima obscura vetustate obducta ad lucem revocavit. In *Libro III* seriem Episcoporum peragrat, &, post varios labores, eam deprehendit veritati congruentem, quam Archiepiscopus quidam ope Antiquarii Neapolitani parietibus aulæ palatii Surrentini inscripsit. Non injucundum erit, ipsorum Præsulum audire nomina. Sunt vero 1) *Renatus Cheothedrus*, Endegavensis, 2) S. *Valerius de Apreda*, 3) *Rosarius*, 4) *Joannes*, 5) *Armandus*, 6) S. *Athanasius*, 7) *Agapitus*, 8) S. *Baculus*, 9) *Hiacynthus*, 10) *Stephanus*, 11) *Leopardus*, qui primus A. 913 beneficio *Joannis X* Pont. Rom. Archiepiscopus renuntiatus est, 12) *Sergius*, 13) *Philippus*, 14) *Jacobus Cotizius*, 15) *Joannes*, 16) *Barbatus*, 17) *Ursus*, 18) *Alferius*, 19) *Petrus I*, 20) *Petrus II*, 21) *Ludovicus de Alexandro*, 22) *Joannes Mastrogiodices*, 23) *Mirabellus*, 24) *Marcus*, 25) *Franciscus*, 26) *Richardus*, 27) Frater *Matthæus de Capua*, 28) *Petrus*, 29) *Andreas Serfale*, 30) *Petrus*, 31) *Guilielmus*, 32) *Franciscus*, 33) *Robertus Brancia*, 34) *Angelus*, 35) *Bartholomæus de Miserata*, 36) *Bernardus Caracciolus*, 37) *Antonius*, 38) *Demetrius*, 39) *Matthæus Brancia*, 40) *Domitius Falangola*, 41) *Scipio Cicinellus*, 42) *Jacobus*, 43) *Nardus Mormile*, 44) *Menelaus de Gennaro*, 45) *Aloysius Mormile*, 46) *Franciscus*, Cardinalis, & Prorex Neap. 47) *Gibertus Remolinus*, 48) Fr. *Philippus Strozza*, 49) *Florentinus Coquerellus*, 50) *Bernardus Picolomini*, 51) *Bartholomæus Albanus*, 52) *Julius Pavesius*, 53) *Lælius Brancacius*, 54) *Josephus Donzellus*, 55) *Plutius Bonjoannes*, 56) *Carolus Baldino*, 57) *Hieronymus Provenzalius*, 58) *Jo. Antonius Angrisanus*, 59) *Antonius de Pezzo*, 60) *Paulus Svardo*, 61) *Didacus Petra*, 62) *Philippus Anastasius*. Alii aliam commenti sunt seriem, quorum errores detegit Ven. Præsul, cum Rev. Abbate *Ughello* inprimis manus conferens. Absolutis ita antiquitatibus Surrentinorum ecclesiasticis novam telam doctissimus

Diss. 2 Cap. 12.

Pag. 440. 441 seq.

C

ſimus Patriarcha orditur, ea, quæ ad civiles dictæ Reipublicæ
CAP. I. antiquitates ſpectant, ſedulo & cum cura explicaturus. *Libro I*
tabulam promontorii Surrentini, in omnibus fere Geographicis deſcriptionibus mendoſam, correxit, eaque arrepta opportunitate, quam proclives in errorem ſint modi ad metiendam inveniendamque longitudinem & latitudinem Geographicam huc usque traditi, ipſaque adeo *Ptolemaica* poli elevatio, animadvertit, conjecturas *Joſephi Scaligeri*, quas ſibilo dignas habuit *Ricciolus*, non prorſus rejiciendas exiſtimans, modos vero practicos emendandarum longitudinum, ab *Iſaaco Voſſio* exhibitos, vehementer reprehendens. Latitudinem promontorii ipſam jam dimetiens, bellam ac facilem rationem decernendæ montium altitudinis, a *Bernardo Varenio* expoſitam, captioſam
II. eſſe, haud pœnitendis oſtendere documentis laborat. Præſtantiam elementorum intra hos fines monſtrat incomparabilem, deque naturæ in agrum Surrentinum munificentia haud parce
III. loquitur. Ibi nonnulla ſimul circa nuperrimam aqua meden-
Artic. I. di methodum attingens, perſpicaciſſimum *Newtonum* & alios
Pag. 67. circa glutinoſam ac viſcoſam ipſius aquæ craſſitiem refellit, *Archimedis*que potius doctrinam tuitus, in iis etiam, quæ de innantibus aquæ egregie ſcripſit *Galilæus*, nonnihil emendandum detexit. *Libro II* antiquiſſimam Surrentinorum tractat
CAP. I. originem. Varias de ea veterum opiniones breviter primum verbis *Nicolai Parth. Giannetraſii* in *Hiſtor. Neap. Dec. I*
IV. V. *Lib. II* repræſentat, dein uberius colluſtrat. Dictam & exſtructam a Sirenibus urbem, Ven. Præſuli, autoritate *Strabonis* nixo, extra aleam dubitationis poſitum videtur. Hinc pauliſper in Sirenum exſpatiatur origines, eas a voce Ebræa, quæ *canere* notat, derivat, numerum incertum relinquit, caſtitatem contra *Voſſii* & *Gyraldi* ſententiam evincit, victoriamque tandem de illis ab *Orpheo* reportatam in tempora *Gideonis*, circa A. M. 3467, & ſeptimum ſeptuageſimum ante crematam Trojam, collocat, ridens ſimul *Homeri* anachroniſmum, qui belli Iliaci ævo *Ulyſſem* conſilio *Circes* Sirenum inſidias eludentem comminiſcitur. His poſitis principiis, ante Trojanum bellum conditam jam a Sirenibus urbem Surrentinam decernere

non

non dubitat. Mox ad religionem Surrentinorum mentis intendens aciem, templa *Sirenum, Junonis Argivæ, Palladis, Neptuni, Herculis, Cereris, Fortunæ*, celebrat, & νυμφαῖον in primis varia antiquitate illustrat. *Libro III* tandem plurima de statu civili ac politia Reipublicæ Surrentinæ eruta leguntur. Quinque tempora solicite distingui vult Rev. *Anastasius*. Primo Græco more vixerunt Surrentini; dein in manus venere Quiritium; tum Langobardis paruerunt; postea jugum tulere Normannorum; tandem, post ortam regni Neapolitani formulam, varios exteros Reges submisse coluerunt. Satis diximus, ut Lectori benevolo institutum Rev. Patriarchæ de meliori commendaremus nota. Cogitavit de Opere amplius poliendo, & inprimis de Tabula Geographica exactiori fuit solicitus, ut & de Indice rerum ac verborum copioso. At senectus morbum, morbus tabem, tabes tantum negotii cujusvis suscipiendi tædium attulit, ut edere Opus nondum omnibus absolutum numeris, quam inter absolvendum mori, merito maluerit. Gratiæ debentur Ven. Præsuli communi literatæ civitatis nomine pro tam egregio & amplo, quem inter sacras Ecclesiæ curas compilare suscepit, Commentario. Nihil magis habemus in votis, quam ut summus rerum humanarum arbiter tam grave meritis caput diu in seros conservare annos, & omnibus, quæ virtus ipsius meretur, præmiis largissime exornare velit. CAP. VII–XIII.

HISTOIRE DU SEIXIEME SIECLE PAR Mr. DURAND, &c.

h. e.

HISTORIA SECULI DECIMI SEXTI, Autore DURANDO, Ministro Ecclesiæ S. Martini, & Societatis Regiæ Londinensis Socio.

Tomi IV.

Hagæ Comitum, apud C. de Rogissart & Sorores, 1734, 12.
Tom. I plag. 20½, Tom. II plag. 20, Tom. III plag. 19, Tom. IV Alph. 1.

Res gestas Seculi XVI lingua Gallica memoriæ proditurus Rev. Vir, *Davides Durandus*, presso pede sequi constituerat ejusdem argumenti Commentarios historicos Cel. *Jacobi Perizonii*, qui ante hos viginti annos lucem adspexere. Sed, re curatius expensa, ut plenius satisfaceret lectorum cupiditati, mutavit consilium, & cum res ipsas diligentius excutiendas, tum elogia virorum illustrium adjicienda, putavit, cum iisdem, quorum ope Commentarios suos *Perizonius* concinnaverat, tum aliis, subsidiis usus. Tractatio tota divisa est in *quatuor Tomos*. *Primus*, a Seculi hujus initio, atque adeo ab extremis decimi quinti annis, ut facies rerum in Europa sub ea tempora rectius pateret, exorsus, in Seculi ejusdem vicesimo definit, *sex Libris* omnia ea, quæ nosse inprimis circa initia & progressus reformationis in sacris susceptæ lectorum interest, complexus. *Alter* totidem *Libris* quinque tantum annorum res persequitur. *Tertius*, a *XIII Libro* ad *XVIII* usque progressus, annorum XXI seriem percurrit, initioque ab anno vicesimo quinto facto, in quadragesimo sexto subsistit. In hoc *Tomo* inprimis errores nonnullos, qui aliud agenti exciderant *Perizonio*, correxit Rev. Autor, cujusmodi est, quod Comitem *Anguianum (d'Enguien)*, in prælio Cerizollensi victorem, cum Duce *Anguiano* confudit, qui partium, quæ repurgatis in Gallia sacris nomen dederant, ductor, Principis *Condæi* nomine inclaruit. Neque alias judicium *Perizonii* ita sequendum duxit, ut non aliter sentiendi libertatem sibi integram servarit. Sic *Carolum V* Imperatorem excusat *Perizonius*, ex cujus sententia illi vulgo sine ratione planeque immerito malæ fidei dicam impingunt scriptores, quod *Philippum*, Landgravium, contra, quam ille sibi persuaserat, custodiæ mandari jussit. Sed Rev. *Durandus* opinionem propugnat vulgarem, non facturus id fortasse, si, quæ Celeb. *Kælerus*, ante Altorfensium, nunc Gottingensium, Professor, ea de re memoriæ prodidit, legisset. Sequitur *Tomus IV*, qui *septem* prioribus adjungit *Libros*, ita, ut in universum *viginti quinque* efficiantur. Ab anno illi quadragesimo sexto Lectorem ad annum usque quinquagesimum octavum, quo *Carolus V* decessit, perducunt. In eo nempe anno

anno & *Perizonius* Commentariis suis finem imposuit, quod vivo Imperatore eo acciderunt fere, quæ notatu digniora Seculi XVI historia complectitur. Quæ enim post ejus fata gesta sunt, potissimum ad incrementa gentis Borbonicæ, ortumque Reipublicæ fœderati Belgii, pertinent, cujus historiam *Grotius* immortali Opere condidit. Prostat ejus versio Gallica, sed averso Apolline procusa, qua curatiorem aliquando dabit Rev. Autor fortasse, si, ulterius, quam *Perizonius*, progressus, ad finem historiam Seculi hujus perduxerit. Monendi autem sunt Lectores historiæ literariæ studiosi, *Tomo quarto* præmissum cerni elogium eruditissimi *Perizonii*, in quo Noster, eo per annos plures doctore usus, haud pauca, alibi haud obvia, & scitu digna, congessit.

MACHINES ET INVENTIONS, APPROUvées par l'Academie Royale des Sciences, &c.

h. e.

MACHINÆ, ET INVENTA, APPROBATA ab Academia Scientiarum Regia, inde a sua fundatione ad nostra usque tempora; una cum illorum descriptionibus. Delineata ac publicata, consensu Academiæ, per GALLONUM.

Tomus I.

Parisiis, apud Gabr. Martin, Jo. Bapt. Coignard, fil. & Hippolyt. Ludovic. Guerin, 1735, 4 maj.

Alph. 1 plag. 4, Fig. æn. 66.

Sistimus hic apparatum locupletissima Machinarum huc usque ignotarum varietate instructissimum, & quo non nisi ingens fieri potest ad artem Mechanicam accessio. Ecquid enim majus ipsi pretium conciliare potest, quam quod non nisi tales exhibeat Machinas, quas ingeniose inventas, & usibus accommodatas, factis experimentis judicarunt Academici Regii, callentissimi quippe & æquissimi harum rerum æstimatores? imo, quod plures exhibeat ab ipsismet Academiæ membris excogitatas & constructas? Quocirca nulli dubitamus, quin ab omnibus talium scientiarum cultoribus & æstimatoribus magnam

Cl. Editor gratiam initurus sit, talia nunc, indulgente Academia, evulgando, ex quibus perspicere licet, res Matheseos practicas sub directione Celeberrimorum hujus corporis membrorum, iisdem accessionibus auctas, & ad idem perfectionis fastigium evectas fuisse, ad quod hactenus fuerunt theoreticæ. In Commentariis Academiæ, qui quotannis in lucem prodeunt, recensitas quidem legere licet Machinas, & earum effectus indicatos; sed suppressa ampliori constructionis descriptione, & Schematismis, qui artificibus ad imitandas illas sufficere possent, prætermissis. Utrumque horum præstitit Cl. *Gallonus*, exprimendo Machinas iconismis nitidis, & scenographice delineatis; adjiciendo etiam, ubi constructionis perspiciendæ ratio id postulat, Machinarum tam *Icknographias*, quam *Sectiones*, sive, ut appellant, *Profila*. Imo lineis punctatis designavit partes Machinarum, quæ in motu sunt & quæ quiescunt, dum ipsæ Machinæ producendo effectui applicantur. Figuras descriptionibus sat amplis illustrat, in quibus singulæ Machinarum partes enumerantur, earumque combinatio uberius ostenditur, quo de effectu Machinæ eo melius judicari possit. Subinde calculum instituit pro viribus requisitis ad id, ut Machina agat, & ad superandas frictiones, &c. Nec raro accidit, ut comparationem instituat inter Machinam novam, & aliam, eodem scopo, & pro eodem effectu præstando, inventam, ut eo melius patescat, in quo differant, & quales sint recentioris præ altera prærogativæ. Nec quoque celat, quænam aliquando sese prodant incommoda in executione aut constructionis, aut applicationis. Ut adeo occasionem sedulis artium Mechanicarum cultoribus præbeat, de mediis cogitandi, quibus vel omnino evitari, vel, quoad fieri potest, imminui, hæc talia possint, & sic ad summam, quam assequi licet, perfectionem Machinæ perducantur. Nec minus in eo est, ut Lectores instruat, an constructio Machinæ alicujus omnino *nova* sit, an prius jam cognita, & immutata solum, aut correcta, & praxibus accommodatior reddita? Exinde enim de ratione inventionis rectius statuere licet, & tutius. Interdum quoque calculum effectus Machinæ instituit, ita, ut Mechanicæ studiosus abunde hic inveniat, in quo ipsemet vires

vires suas periclitari, regulasque Staticas pro determinanda effectuum quantitate ad usum traducere queat; sepositis scilicet Frictionibus, per experimenta definiendis, aut per alias æstimationes, de quibus jam agere, non est hujus loci. In recensendis Machinis ordine temporum utitur Cl. Editor, quibus Academiæ oblatæ fuerunt, non ordine materiarum, cui incommodo remedium attulit in Indice, *Tomo* ultimo suffixo, ubi Machinas juxta nomina Autorum & materiarum recensitas invenire licet. Totius hujusce Collectionis Examinatores & Commissarii ab Ill. Academia nominati fuerunt Viri Celeberrimi *de Reaumur* & *de Mairan*, quorum judicio subjectæ fuerunt omnes Machinarum tam descriptiones, quam delineationes. Nil itaque prodit, quod eorum approbationibus munitum haud fuerit. Putamus, id solum sufficere posse ad ferendum de præstantia Operis judicium. Agedum igitur, postquam de meritis pulcherrimi hujus Operis satis diximus, introeamus in ipsum Machinarum theatrum, &, quænam in singulis *Tomis*, quorum prodiere sex, conspectui sese offerant, pro ratione instituti nostri breviter dispiciamus. Et jam quidem de *Tomo primo* dicemus, ad reliquorum commemorationem Mensibus proximis progressuri.

In *Tomo* igitur *primo* comparent omnes Machinæ, inventæ inde ab A. 1666 usque ad 1701, ex quibus primo describuntur tredecim *Perraltianæ*, quarum novem jam pridem publici factæ sunt juris, sed ob raritatem libellorum, in quibus describuntur, eas hic inserendas judicavit Cl. *Gallonus*, & jungendas cum iis, quæ nunquam adhuc comparuerunt. Sunt autem sequentes: 1) Sucula tollendis oneribus apta, (*un Cric d'Equilibre, pour elever des fardeaux,*) quæ eximios præstare potest effectus, licet lentior aliquanto sit ejus motus. Dicitur autem *Cric d'Equilibre*, quoniam unice ex principio vectis & æquilibrii, sed ingeniose, constructa est, ita scilicet, ut, mediantibus duabus laminis utrinque serratis, duobusque elateriis (*Ressorts*), quæ ad vectem, quo pondus attollitur, & cui contrapondium appenditur, affixa sunt, hypomochlion modo ex una, modo ex altera laminarum parte locetur, prout scilicet con-

contrapondium vel retrahitur, vel promovetur. Quando onus & contrapondium in æquilibrio sunt, contrapondium retrahendum erit, ut ejus momentum momento oneris superius sit, tuncque onus attolletur per spatium dentis unius in lamina serrata; promovendo deinceps contrapondium versus onus attollendum, oneris momentum majus erit momento contrapondii, adeoque hoc per spatium unius dentis adscendet, hypomochlio ad alteram laminæ partem translocato. Retracto contrapondio, onus rursus adscendet, & sic alternis vicibus momentum contrapondii augendo & minuendo, hypomochlionque mutando, onus per omnes laminæ dentes, id est, per totam suam altitudinem, attolletur. 2) Embolus pro Antliis, novæ constructionis, constans ex tribus diaphragmatis cupreis, corio facile tractabili circumvolutis, & foraminibus pertusis, per quæ aqua in tubum intrare debet; qua constructionis ratione nimias frictiones evitari ait *Perraltus*, quas Emboli nimia sua ad latera tuborum adhæsione in Antliis producunt. 3) Machina pro augendis effectibus armorum, pulvere pyrio agitatorum, ut tormentorum, &c. cujus ope globus explodi possit duplo fere majori velocitate, quam quidem exploditur per modos ordinarios. Id autem incommodi observamus, quod multum temporis requiratur ad tormentum pulvere pyrio sic onerandum, ut de aliis nil dicamus. Sequuntur Machinæ quædam, elevandis oneribus aptæ, absque frictionum incommodis, de quibus evitandis *Perraltii* tractatio inseritur. Summa huc redit, ut vectis applicetur ea ratione, qua agit, dum simpliciter & solus agit: in simplici enim vecte circa hypomochlion frictiones non adeo sunt sensibiles. Deinceps aliud adhuc organum in considerationem venit, scilicet *Cylindrus (Rouleau)*, super plano horizontali vel inclinato revolubilis, utpote cujus nulla prorsus est frictio, quia motu volvente incedit. Id igitur sibi operæ sumsit Inventor, ut ex vecte simplici & Cylindris super plano horizontali vel inclinato revolvendis compositionem Machinarum suarum efficeret. Post expositam itaque talium Machinarum naturam & requisita, conspectui sese offert 4) Machina pro elevan-


elevandis absque frictione oneribus. Constat ex plano inclinato, super quo Cylindrus revolvitur, cui circumvolutus est funis, ex quo pondus attollendum pendet. Cylindro juncta est Trochlea, quam alius ambit funis, cujus ope una cum Cylindro & pondere movetur. 5) Alia ejusdem generis Machina, & ex iisdem principiis constructa, sed in eo differens, quod Cylindrus mobilis non amplius super plano volvatur, id quod obstacula aliquando motui opponere posset, sed volvatur inter ipsos funes ambientes. Verticalis igitur est tota Machina, non inclinata. 6) Machina elevandæ aquæ inserviens. Constat, ut præcedentes, ex Cylindro mobili, cui Trochlea inserta est, quam funis ambit, atque ex qua descendens circumvolvitur dolio vel Cylindro cavo, qui, dum funis trahitur, perinde ac alter Cylinder, cum sua Trochlea attollitur, donec aquam in receptaculum effundat. Dolium valvula instructum est, quæ, dum ad receptaculum pervenit, ope laminæ ferreæ aperitur, ut aqua effluere possit. Dedit quoque Machinam pro elevandis sine frictione aquis *de la Hire* in Tractatu *de Mechanica*, Gallice scripto, *pag. 369 seq.* sed ex aliis principiis constructam, adeoque ab hac penitus diversam. 7) Machina pro trahendis (horizontaliter scilicet,) oneribus. Utitur illa Cylindris super plano horizontali volubilibus, & situm semper parallelum inter se invicem servantibus. Magnos illa præstare potest effectus, licet aliquanto lentius, nec nisi hominum ope, agitari possit. 8) Machina, cujus ope ad usus commodiores adhiberi possunt Telescopia longiora, mediante speculo plano, quod imagines objectorum in tubum Telescopii reflectit. Speculum ita adaptatum est, ut quovis momento situs ejus mutari possit, id quod summe necessarium est, quoniam altitudo & situs sideris respectu directionis Telescopii semper variat. Telescopium hac ratione immotum manebit, & solum speculum semper ad sidus pro variato ejus situ dirigendum erit, ut reflexio debito modo fiat. Ingeniosa est constructio, sed, maximam difficultatem in eo sitam, ipsemet Inventor fatetur, ut conficiantur specula, quæ non corrumpant radios objecti, adeoque genuinam ejus imaginem reflectendo exhibeant.

9) Horologium pendulo instructum, & aquæ ope agitatum. 10) Eadem Machina, sed magis perfecta, & quæ ipso facto constructa fuit. Ait Autor, cursum aquæ ita temperari posse, ut in horologiis minime sit contemnendus ejus usus, nec eum iis inæqualitatibus affici, quibus laborant Elateria in Horologiis ordinariis. Motum penduli obtinet ope canaliculi, furcæ penduli annexi, in quam ex receptaculo per tubum aqua decidit. Quando pendulum quiescit, aqua in medium canaliculi decidit, quod exacte quadrat furcæ: quando autem oscillatur, aqua alternis vicibus ex utraque canaliculi parte effluendo continuationem vibrationum efficit. 11) Machina, quæ impedit, ne spissi anchorarum funes tam facile disrumpantur. 12) Pons longitudinis insolitæ, mira facilitate attollendus ac deprimendus; id quod fit ope plurium contrapondiorum, catenæ affixorum. Curiosa autem est catenæ & contrapondiorum constructio; possunt enim omnia simul, vel quotquot etiam volueris, simul agere; qua ratione semper æquilibrium inter pontem & contrapondia servatur, quia modo demere, modo addere, licet. Deprimendo enim pontem, momentum ejus semper crescit, quo magis deprimitur: attollendo, ejus momentum semper decrescit, quo magis attollitur. Itaque hacce catena, & sacomatum modo additione, modo subtractione, idem, licet non in tanta exactitudine, efficitur, quod per unum sacoma, mediante *Curva æquilibrationis*, obtineri invenerunt Cel. *Bernoullii* & Ill. Marchio *Hospitalius*. 13) Abacus Rhabdologicus, pro operationibus Arithmeticis facile instituendis. 14) 15) Pons ligneus, unico arcu constans, & cujus Diameter est 30 hexapedarum, trajiciendæ Sequanæ causa propositus. Arcus 17 compagibus constat, ita dispositis, ut una vi figuræ alteram fortiter teneat, & quas lapidibus cæsis durabiliores asserit *Perraltus*, utpote non tanto pondere præditas. Enarratur, qua ratione exstruendus esset pons, &, quænam præ aliis sint ejus commoda, indicatur. 16) Machina pro cognoscenda declivitate, quam capit aqua in canali ad libellam posito. Sedecim hæ Machinæ omnes a *Perralto* fuere inventæ. 17) Norma Azimuthalis, inventa a Cl. *Buot*, Academiæ Scientiarum Mem-

TAB. I ad Nova Act

Fig. I.





Membro. Usus ejus hic est, ut in plano aliquo horizontali inveniantur Sectiones communes duorum circulorum verticalium, a meridie æqualiter dissitorum; angulo enim, quem comprehendunt, bifariam diviso, habebitur linea meridiana. 18) Machina pro mensuranda vi motrice aeris, autore *Christiano Hugenio.* Constructio simplex & ingeniosa est. 19) Modus impediendi, quo minus naves rupibus allisæ rumpantur, autore eodem; quem vero in aliquibus saltem casibus usum præstare, judicat Cl. Editor. 20) Modus attollendi aquas, propositus a Cl. *Joli*, Divionensi; sed huic præcipue incommoditati obnoxius, quod aqua per intervalla attollitur. 21) Bilanx Danica, una cum sua divisione in proportione harmonica, autore Cl. *Ræmero.* Additur ejus constructio, quam reperire etiam licet in Tractatu Mechanico *la Hirii pag. 122.* 22) Planisphærium pro fixis & planetis, autore eodem *Ræmero.* Est prisma octogonum, diametrum habens $15\frac{1}{2}$ digitorum, in cujus una basi repræsentatur circulus horarius, horizon, &c. & in altera Systema *Copernicanum* cum excentricitatibus & nodis planetarum, juxta Tabulam, pro A. 1716 constructam. Circuli autem sive orbitæ planetarum artificiosa rotarum dispositione ita sunt tractabiles facti, ut eorum loca, ortum & occasum, revolutiones, &c. facile invenire pro quovis temporis momento liceat. 23) Ejusdem Planisphærium pro eclipsibus. Iterum ex prismate octogono constat, cujus diameter est 16 dig. 9 lin. Ob curiositatem hujus Machinæ non abs re erit, si duas ejus facies exhibeamus. In *Fig. 1* A B est prisma octogonum; super quo descriptus est circulus, Eclipticam repræsentans. In superiori hujus circuli parte locatur Tellus C, super qua eclipses Solis apparent. In inferiori locatur imago Lunæ D, quæ eclipses ejus indicat. Brachiolum E, quod una cum lamella Z revolvitur, cui adaptatum est, orbitam Lunæ repræsentat: &, quoniam modo prolongatur, modo contrahitur, lamellam circumagendo, circulus ipsi affixus eclipticam secabit, & nodos lunares ostendet. Circelli C, D, novilunium & plenilunium repræsentare possunt, locando in C imaginem Solis, & in D imaginem Lunæ. In altera facie *Fig. 2* apertura I annum

TAB. I Fig. 1 & 2.

 mon-

monſtrat, in quo eclipſis contingere debet, e. g. A. 1710. Ope indicis H ſuper circulo menſium indicatur menſis: & apertura L ipſum menſis diem commonſtrat. Tota Machina ope clavis circumagitur. Spatii autem prohibet ratio, quo minus ſtructuram ejus interiorem exhibeamus. 24) Conſtructio rotæ, quæ motu ſuo inæqualitatem revolutionum planetarum exprimit, autore eodem. Rota eſt propemodum ovalis, & conſtat dentibus 24, a tympano conico 6 dentium agitata; dentes rotæ inæquales ſunt, ita, ut in quibusdam partibus revolutio eadem celeritate fiat, ac ſi e. g. non niſi 12 haberet, in quibusdam autem, eadem tarditate, ac ſi haberet dentes 48; numeri 12 & 48 maximam & minimam planetæ celeritatem exprimunt. 25) Machina teleſcopiis 100 pedum commode dirigendis idonea, autore P. *Sebaſtiano Truchet*, Academiæ Regiæ Membro. Impedit præcipue, quo minus tubi nimia ſua mole flectantur, & curvaturam induant. Poteſt adhiberi majoribus quoque & minoribus. 26) Pendulum hydraulicum, ad exhauriendas aquas, inventum a Cl. *Cuſſet*, Academiæ Regiæ Membro. Oſcillatio una hujus penduli fit ſpatio 6" circiter, qua ſemimodius exhauritur: igitur hora una exhauriuntur 600, & die uno 14400 ſemimodii. Magnæ igitur utilitatis eſſe poteſt Machina, ubi commoditas loci id permittit; namque ſpatium 20 pedum occupat. 27) Carrus pro transportandis permagnis oneribus, ſtructura ſua ab ordinariis aliquantum differens, & commodior, autore eodem. 28) Monochordum, inventum a Cl. *Carré*, cujus exemplar affabre factum in Obſervatorio Pariſienſi aſſervatur, & quod ad alia invenienda occaſionem præbuit. 29) Antlia pro elevanda aqua, inventa ab *Amontonio*, ingenioſa, ſed maximam in conſtructione operam & curam requirens. Machinam hanc non ſine ſucceſſu Antliæ pnevmaticæ applicari poſſe, ait Cl. Editor. 30) Molendinum vento agitatum horizontale, autore *Coupleto*. Facilior ejus conſtructio eſt, & minus ſumtuoſa, quam ordinariorum; commode quoque verſus omnes plagas mundi verti poteſt. 31) Aliud ejusdem generis molendinum, autore *Du Quet*. 32) & 33) Machina lapidibus ſerra ſecandis idonea, in qua tot,

quot

quot volueris, ferræ fimul applicari & agere poffunt. Tota Machina ope trabis, vel arboris, agitatur, cui rota affixa eft, ab equo, mediante vecte, circumagenda. 34) Machina ad elevandam aquam idonea, cujus vero conftructio nec nova eft, utpote ex *Ramellio* defumta, nec magno ufui, ob nimias frictiones. 35) Mola ferraria pro afferibus, ex eodem *Ramellio* defumta, & quæ in pluribus locis, v. g. Picardia, ufurpatur. 38) 39) & 40) Molæ, frumentaria & chartaria, ab ordinariis diverfæ. 41) Machina palis fortiter intrudendis idonea. Tres funt mallei (*moutons*), ope rotæ, ab hominibus calcandæ, & funium, trochleas ambientium, furfum trahendi, qui, dum decidunt, ictu fuo tres fimul palos feriunt. Nil quoque obftat, quo minus malleorum numerus augeatur, atque ita plures adhuc pali fimul terræ infigantur; imo facili opera Machina ita conftrui poteft, ut plures mallei nunc addi, nunc demi, poffint, pro ratione circumftantiarum, & pro numero palorum, qui infigi debent. 42) & 43) Machina trahendæ (horizontaliter fcilicet) moli apta. Rota eft, calcando circumagenda, cujus axis cochlea fine fine circumdatus eft, quæ impellit rotam dentatam, cujus axi duo Cylindri affixi funt, quibus funes circumvolvuntur, dum moles trahitur. Magnos hæc Machina præftat effectus, & facile in locum quemvis transferri poteft. Supponendo, vim hominum calcantium valere 250 libras, fubducto calculo invenietur, eam æquilibrium facere 8283 libris, adeoque, fi tantillum augeatur, molem moturam effe. Segnior autem eft motus, uti in omnibus aliis, quæ cochlea fine fine moventur, Machinis. 44) Planifphærium cœlefte, inventum a Cel. *Caffino*. Conftat duobus orbibus circularibus, quorum unus alteri fuperimpofitus eft, ita, ut inferior, utpote major, ultra fuperiorem promineat. In fuperiori defignatæ funt omnes conftellationes hemifphærii Borealis, & auftrales, usque ad 41 gradus infra Æquatorem. Inferior divifus eft in 360 gradus, in 24 horas, & quælibet hora in 60 minuta. Comparet quoque ecliptica, in fuos gradus & figna diftributa, horizon obliquus, &c. Meridianus filo argenteo repræfentatur, ad horas 12 & 12 oppofitas per polum mundi,

 qui

qui eſt ipſum planiſphærii centrum, ducto. Hoc planiſphærio, forma Machinæ exhibito, omnia problemata ſolvuntur, quæ alias globo vel aſtrolabiis vulgaribus ſolvi conſueverunt. Præcipuum eſt, quod tempus æquinoctiorum ejus ope determinare liceat. 45) Bilanx Arithmetica, autore eodem, cognoſcendis mercium tam ponderibus, quam pretiis, inſerviens. 46) Machina hydraulica, inventa a Cl. *de Francini*, & juſſu primi tum temporis Regis Franciæ Miniſtri, *Colberti*, in horto regio conſtructa. Atque hæ quidem Machinæ ante annum 1699 omnes Academiæ Regiæ exhibitæ ſunt. Sequuntur igitur illæ, quæ inde ab A. 1699, quo ſcilicet inſtaurata fuit Academia, & novo ſplendore ornata, inventæ fuerunt. Anno itaque 1699 ab Academia ſequentes fuerunt approbatæ: 1) Machina vel Antlia pro elevanda aqua in incendiis, autore Armamentario quodam Semurienſi. Differt aliquantum ab ordinariis, præſertim in applicatione vectium, quæ commodior eſt, & embolum ſemper in ſitu corpori Antliæ parallelo conſervat, id quod frictiones multum imminuit. 2) Machina pro incidendis ſimul limis quamplurimis, autore *du Verger*. 3) Fornix plana, pro qua ſingularis & curioſa eſt lapidum ſectio, inventa a Cl. *Abeille*. 4) Fornix plana, autore *P. Sebaſt. Truchet*, ingenioſa, ſed difficulter executioni danda. Ejus utilitas hæc eſt, ut momentum, ſive energia, Fornicis per quatuor muros diſtribuatur, cum in ordinariis diſtribuatur ſolummodo per duos. 5) Machina reciprocandis ſimul pluribus ſerris idonea, autore *du Guet*, quæ ſectionibus ſolum rectis ſufficit. Idem igitur Autor addidit 6) Machinam, qua ſectiones quoque curvas, ut circulares pro columnis, &c. efficere liceat, oppido ingenioſam. 7) Remi verſatiles, autore eodem. Propoſiti fuerunt hoc anno; ſed plenam demum approbationem nacti A. 1702. Inſtitutus fuit calculus a *Chazellio*, quidnam præſtare poſſint, quem videre licet in Commentariis Academiæ ad A. 1702, & comparatio facta cum effectu remorum vulgarium. Non igitur opus eſt, ut ibi dicta hic repetamus. 8) & 9) Duo Sonometra vel Monochorda, a *Loulieo* inventa, portatilia, & inſtrumentorum concentui conciliando apprime idonea. Quæ A. 1700

appro-

approbationem Academiæ meruerunt, Machinæ, ſunt ſequentes: 1) Clavichordium, inventum a *Mario.* Conſtat pluribus partibus ſeparatis, quarum quælibet chordis ſuis inſtructa eſt, & quæ facile complicari poſſunt, quo commodius totum inſtrumentum transferri queat. 2) Machina pro ſerrando marmore, autore Cl. *de Fonjean.* Componitur ex duabus rotis horizontalibus, ſemet impellentibus, quarum revolutiones ſunt ut 1 ad 4. Rotæ minori junguntur ſerræ, quæ unam reciprocationem tempore unius revolutionis efficiunt. Quoniam igitur rota minor quater revolvitur, dum major ſemel; tempore revolutionis rotæ majoris prodibunt duodecim ſerrarum itus & reditus, id quod ſpatio unius minuti primi ab equo, rotam majorem ope vectis trahente, præſtari poteſt. 3) Machina poliendo marmori apta, autore eodem. 4) Sclopeta ſtructuræ ſingularis, autore Cl. *de la Chaumette.* 5) Modus naves ſubmerſas e maris fundo extrahendi, autore Ill. Barone *de Redingues.* 6) Machina hydraulica, inventa ab *Adr. de Cordemoy.* Anno 1701 Academiæ fuerunt exhibitæ 1) Machina (*Cric circulaire*) pro movendis ponderibus, propoſita a Cl. *Thomas*, licet parum differat a Machina *Stevini*, quam *Pancratium* appellat. Calculo ſubducto, reperitur, potentiam 10 librarum manubrio ejus applicatam cum 480 libris æquilibrium facere. Experimenta quoque hanc in rem cum ſucceſſu inſtituta ſunt. 2) Machina, quæ inſervit impediendo fumo, in caminis a ventis excitato. Dubitatur de ſucceſſu Machinæ iis in caſibus, ubi venti ſpirantes ſunt valde horizontales, vel lateribus camini paralleli, vel etiam, ubi ventus nimio Solis calore in camino producitur. 3) & 4) duæ Machinæ (*Cric*), inventæ a Cl. *Godert*, quarum ſtructura a vulgaribus diverſa eſt. Atque hæ ſunt, quas in *Tomo I* conſpicere licet, Machinæ.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE &c.
h. e.

COMMENTARII, HISTORIÆ CELEBERrimorum in Republica literaria Virorum inſervientes. Accedunt Catalogi librorum, a ſingulis editorum, de iisque judicia.

Tomus

Tomus XXVI & XXVII.

Lutetiæ Parisiorum, apud Briassonium, 1734, 8.
Tomus quisque habet plag. 18, & totidem plag. dimid.

Offendimus in *priore* horum *Tomorum* vitam *Pauli Merulæ*, mortui A. 1607 d. 20 Julii; *Jo. Mich. Wanslebii*, Erfurtensis, m. A. 1679 d. 12 Junii, qui ipse suæ vitæ diarium reliquit, unde hæc depromta sunt. Missus scilicet fuit A. 1663 a Duce Saxoniæ, *Ernesto Pio*, in Æthiopiam: sed non respondit ejus expectationi, factus quippe A. 1666 Romæ monachus Dominicanus. A. 1672 *Colbertus*, Regis Galliæ Consiliarius princeps, in Ægyptum eum misit ad deportandos inde Codices MStos Arabicos, Turcicos, ac Persicos. Horum is 334 ad *Colbertum* misit, qui postea proficisci eum jussit Constantinopolim. Sed hujus itineris nullus rediit fructus ad *Colbertum*, *Wanslebio* A. 1676 reduce re infecta. Edidit tamen is *Narrationem de præsenti statu Ægypti*. Sequitur vita *Hieronymi Mercurialis*, mortui A. 1606 d. 9 Nov. *Petri Lotichii*, m. A. 1560 d. 7 Nov. (qua occasione etiam *Jo. Petri Lotichii* scripta commemorantur:) *Jo. Chardini*, clarissimi peregrinatoris, m. A. 1713 d. 5 Januarii; *Nicolai Borbonii*, senioris, (quem *Sammarthanus* inter magnos poetas, *Scaliger* majore jure inter mediocres, refert,) mortui A. 1550; *Nicolai Borbonii*, junioris, longe melioris priori Poetæ, m. A. 1644 d. 6 Aug. *Andreæ Schotti*, Jesuitæ, m. A. 1629 d. 23 Jan. *Maphæi Vegii*, m. A. 1459, qui unum librum adjecit *Æneidi Virgilianæ*; *Balthasaris Castilionii*, illustri genere nati in regione Mantuana A. 1478 d. 6 Dec. a Duce Urbini missi ad Regem Angliæ *Henricum VIII*, qui recepit eum in Ordinem Periscelidis. Postea *Leo X* Papa suo eum præfecit exercitui, donavitque Comitatu Novolarensi. A. 1524 ipsi mors eripuit uxorem *Hippolytam Taurellam*, quæ injuste refertur in numerum doctarum mulierum, cum Elegia ejus ad maritum scripta ipsum illum maritum habeat autorem, & Venetiis A. 1534 hoc præscripto titulo sit edita: *Balth. Castilionii Elegia, qua*

qua fingit Hippolytam suam ad se ipsum scribentem. Mortua hac uxore, factus est Clericus, & a Papa *Clemente VIII* ad *Carolum V* ablegatus tanquam Nuntius Apostolicus. Constituit eum hic Imperator Episcopum Abulensem Hispaniæ. Toleti mortuus est A. 1529 d. 8 Febr. Ejus *Aulicus* sæpissime est editus Italica lingua, & Latina, item Gallica. Imo tres diversæ exstant Gallicæ hujus libri versiones. Carmina quidem *Castilionii* exstant pauca, partim Italica, partim Latina, sed ea elegantiæ plenissima. Sequitur vita *Damiani de Goes*, nobilis Lusitani, cujus annus mortis est incognitus, quique, præter alios libros, inter quos unus *de religione & moribus Æthiopum, sub imperio Pretiosi Joannis degentium*, Lovanii A. 1540 prodiit, *Historiam Regis Lusitaniæ, Emanuelis*, edidit, quæ valde laudatur; *Joannis Aurati*, mortui A. 1588 d. 1 Nov. cujus nec Latina, nec Gallica, carmina placent Nostro, qui & observat, nullum opus exstare, e quo cognosci queat, eum jure a *Scaligero* ornatum esse elogio eximii Critici; *Joachimi le Grand*, Abbatis, mortui A. 1733 d. 1 Maji, cujus vitæ descriptio non alibi, quam hic, reperitur. Disceptavit is cum *Burneto de reformatione Ecclesiæ Anglicæ*: edidit item *Historiam Ludovici XI*: denique una cum multis appendicibus suis, iisque summa eruditione refertis, emisit *Jeremiæ Lobo Historiam Abyssiniæ*. Proxima est vita *Simonis de la Loubere*, noti ob iter suum Siamense, Regis Galliæ jussu A. 1687 susceptum, & mortui A. 1729 d. 26 Martii, superatis vivendo sex & octoginta annis; *Casparis Peuceri*, mortui A. 1602 d. 25 Sept. *Marquardi Gudii*, m. A. 1689; *Jo. Feri*, Franciscani monachi, multorum librorum Theologicorum editoris, m. A. 1554 d. 8 Sept. Noster *pag. 211* commemorat Disputationem, in Academia Altorfina A. 1723 editam, de hoc *Joanne Fero*, cujus Autor contendit, eum fuisse doctrinæ Protestantium addictum. Sed non satis id ibi probari videtur Nostro, cum nulla *Feri* doctrina proferatur, quam non approbent doctores Catholici optimæ notæ. Quare illud tantum inde apparere judicat, fuisse *Ferum* virum moderatum ac modestum, & ita rejecisse abusus Clericorum, ut ipsam Ecclesiæ suæ doctrinam sin-

E cere

cere tenuerit. Legitur jam vita *Ludovici Ferdinandi Marſilii*, Comitis Itali eruditiſſimi, mortui A. 1730 d. 1 Nov. cujus & nos Elogium ampliſſimum in his *Actis A. 1733 pag. 282 ſeq.* exhibuimus; *Petri Matthæi*, Hiſtoriographi Regum Galliæ *Henrici IV* & *Ludovici XIII*, m. A. 1621 d. 1[illegible] Oct. *Theophili Raynaldi*, Jeſuitæ, cujus Opera viginti implent volumina, teſtes magnæ induſtriæ magnæque memoriæ, ſed perexigui judicii, mortui A. 1663 d. 1 Oct. *Joannis Leunclavii*, m. A. 1593 menſe Junio; *Leandri Alberti*, m. A. 1552; *Petri Aponenſis*, m. A. 1316; *Petri le Loyer*, Galli, m. A. 1634, poſtquam quartum & octogeſimum annum vitæ egreſſus erat. Tam felicem is operam navavit poeſi, ut in certaminibus poeticis Toloſanis ornaretur brabeo. Ac potuiſſet ad majorem poeticæ facultatis laudem pervenire, niſi maluiſſet eſſe peritus linguarum Orientis. Sed non magno honori ei fuit hoc ſtudium, cum in etymologiis Hebraicis plane delirare viſus ſit. Edidit enim Lutetiæ A. 1620 librum, quem inſcripſit *Colonias Idumæas*, in quo docet, Andegavenſes eſſe poſteros Eſavi, omniaque Gallicarum urbium nomina eſſe Hebraica. Similia tentavit in lingua Græca, tantaque felicitate eſt uſus ſcilicet, ut in quodam *Homeri* verſu reperiret ſuum utrumque nomen, locum ſuum natalem, (qui vocatur *Huillé*,) urbem item Andegavum, cujus in diœceſi natus erat, ac denique ipſam Galliam. Plura idem edidit opera poetica, prætereaque librum *de ſpectris* A. 1605, multæ variæque lectionis laude digniſſimum. Erat ceteroqui Andegavi Conſiliarius Præſidialis, quem ibi vocant, eoque munere functus eſt per omnem vitam. Jam vita ſequitur *Georgii Sabini*, mortui A. 1560 d. 2 Dec. de quo narrationem *Melch. Adami* Noſter inter fabellas refert a veritate longe aberrantes, qua e *Sabino* quæſiiſſe dicitur Cardinalis *Bembus*, quanto ſtipendio fruatur *Melanchthon*, & quot auditores habeat in ſcholis ſuis, quid denique ſentiat de reſurrectione & vita æterna, miratusque eſſe, cum audiret, nec de vita æterna, nec de reſurrectione, incertum eſſe *Melanchthonem*; *Jacobi Grevini*, Poetæ Galli, mortui A. 1570 d. 5 Nov.; *Joannis Pierii Valeriani*, m. A. 1558 octogenario majoris,

tam-

tamque remoti ab honorum ſtudio, ut oblatum ſibi a Papa *Clemente VII* & Epiſcopatum & Archiepiſcopatum accipere recuſaret, nulloque jure relati inter infelices literatos a *Cornelio Tollio*; *Joannis Boivinii*, m. A. 1726 d. 29 Oct. *Lucilii*, ſive *Jul. Caeſ. Vanini*, athei, ultricibus flammis exſtincti A. 1619; *Sylveſtri Giraldi*, m. A. 1220, viri ſingulari credulitate & ingenii ſimplicitate conſpicui; *Stephani Gerlachii*, m. A. 1612 d. 30 Januarii, qui Legato Imperatoris *Maximiliani II* ad Imperatorem Turcicum datus Concionator ſacer, poſtea Theologiam docuit in Academia Tubingenſi.

Accedimus ad alterum *Tomum*, in quo vita eſt *Jo. Boucheti*, mortui A. 1550, cujus inter opera eminent *Epiſtolæ*, & *Guil. Boucheti*, qui & ipſe inclaruit Opere quodam grandi, ſed olim majori, quam nunc, habito in pretio; *Lamberti Danæi*, m. A. 1596; *Simonis Morini*, enthuſiaſtæ peſſimæ notæ, volentis quippe haberi pro filio Dei, ideoque combuſti A. 1663 d. 14 Martii: cujus doctrinæ vel potius errores ac fata copioſe hic deſcribuntur & accurate; *Franciſci Davenne*, qui *Morini* fuit diſcipulus, nec eo inferior ingenio fanatico, mortuus A. 1662. Edidit is plures libellos, delirii ſui teſtes, quos inter A. 1650 is prodiit, quem inſcripſit *de poteſtate Regis in populum, deque populi poteſtate in Regem ſuum*; ut adeo hic homo etiam Monarchomachis aſſociandus ſit. Sequitur vita *Jo. Baptiſtæ Couture*, m. Lutetiæ A. 1728 d. 16. Aug. ſeptuageſimo ſeptimo ætatis anno: de cujus fatis nativitatis & pueritiæ quæ hic leguntur, permira ſunt; *Joannis Franciſci Quintiani Stoæ*, pædantæ, judice Noſtro, eximii Cum enim nomen gentilitium ipſi eſſet *Cortius*, id permutavit *Quintiani* nomine, quia videlicet in oppido Italiæ *Quinzano* natus fuerat. Et, cum ob magnam verſus pangendi facilitatem a familiaribus ſuis appellatus eſſet Μουσῶν Στοὰ, *porticus Muſarum*, etiam *Stoæ* nomen adſcivit. Initio Brixiæ magiſtro uſus *Joanne Britannico*, cum hinc Lutetiam ſe contuliſſet, ibique A. 1514 nonnulla emiſiſſet carmina, in tanta poetarum penuria tantum conſecutus eſt famæ, ut Rex *Ludovicus XII* coronam ipſi im-

poneret poeticam. Factus postea est Ticini Professor humaniorum literarum; a qua statione post plures annos, tempestate belli coactus, decessit, seque recepit in oppidum natale, in quo & diem obiit supremum d. 7 Oct. A. 1557, major septuagenario. Noster judicat, coluisse quidem *Quintianum* literas magna industria, sed judicandi vim ei defuisse, itemque eloquentiam, ac proinde scripta ejus tum prosaica, tum poetica, esse ineptiarum plena & absurditatum, itemque barbarismorum: adeoque summo merito tradita oblivioni. Eorum catalogum exhibet, quanta potuit, diligentia confectum, simulque docet, A. 1584 *Joannem Planerium* vitam ejus descripsisse peraccurate. Vita nunc sequitur *Baptistæ Mantuani*, m. A. 1516 d. 20 Martii. Hunc duo Ordinis Carmelitici (cujus Generalis fuit *Mantuanus*,) monachi liberare a nativitatis labe conati sunt. Sed vitio id eis vertit Noster, cum ipsos inter Papas fuerit spurius, *Clemens VII*, quem *Juliani Medicei* filium fuisse naturalem, fateri non dubitant ipsi Florentini Historici. Poeta fuit *Mantuanus* clarissimus, sed, si Nostri sententiam sequimur, magis ob multitudinem, quam ob præstantiam, versuum laudandus. Prima Operum ejus editio A. 1513 facta est Lutetiæ: altera, eaque auctior, Antverpiæ A. 1576. Sequitur vita *Theodori Marcilii*, m. A. 1617 d. 8 Aprilis; *Francisci Vavassoris*, m. A. 1681 d. 16 Dec. *M. Antonii Mureti*, m. A. 1585 d. 4 Junii: cujus Operum novam editionem, Veronæ nuper factam, vehementer vituperat Noster ob chartam vilissimam, ob literas haudquaquam nitidas, ob errorum typographicorum insignem multitudinem, denique ob omissionem Præfationis, in qua docendus erat Lector historiam, fata, & editiones cujusque *Muretiani* libri; *Petri de S. Juliano*, Canonici Cabilonensis, m. A. 1593 d. 20 Martii; *Alexandri Guidii*, m. A. 1712 d. 12 Junii, Poetæ Itali, & ob hanc facultatem adsciti in familiam *Christinæ*, Reginæ Sueciæ: carissimi etiam postea *Clementi XI* Pontifici, cujus sex *Homilias* edidit in versus redactas; *Athanasii Kircheri*, Fuldensis, m. A. 1680 mense Nov. *Samuelis Bocharti*, quem Noster vocat *virum immensæ eruditionis*, m.

m. A. 1667 d. 16 Maji; *Nicolai Reusneri*, m. A. 1602 d. 12 Aprilis; *Cœlii Calcagnini*, m. A. 1540; *Roberti Constantini*, m. A. 1605 d. 27 Dec. non centesimo tertio vitæ anno, id quod *Thuanus* tradit, sed, uti *Scaliger* testatur, hac in re fide dignior, septuagesimo quinto; *Sebastiani Rolliardi*, m. A. 1639; *Francisci Swertii*, m. A. 1629; *Jo. Baptistæ Crispi*, m. A. 1594; *Joannis Oporini*, m. A. 1568 d. 6 Julii; *Cæsaris Baronii*, Cardinalis, m. A. 1707 d. 30 Junii; *Ludovici Morerii*, m. A. 1680 d. 10 Julii, ætatis anno tricesimo octavo: cujus *Dictionarii historici* octodecim editiones hic commemorantur, quarum postrema sex Voluminibus prodiit A. 1732 Lutetiæ; *Jo. Antonii Magini*, Mathematici, m. A. 1617 d. 11 Febr. *Matthiæ Berneggeri*, m. A. 1640 d. 3 Febr. *Abrahami Bzovii*, m. A. 1637 d. 31 Januarii; *Joannis Molani*, m. A. 1585 d. 18 Sept. *Jacobi de Tourreil*, m. A. 1715 d. 11 Oct. *Edmundi Richerii*, m. A. 1631 d. 28 Nov. *Fortunii Liceti*, m. A. 1656; *Marini Curæi de la Chambre*, m. A. 1669 d. 29 Nov. *Petri Curæi de la Chambre*, qui prioris fuit filius, m. A. 1693 mense Aprili; *Augustini Mascardi*, m. A. 1640.

Nützliche Sammlung verschiedener meistens ungedruckter Schriften, Berichte, Urkunden, Briefe, Bedencken, &c.

h. e.

COLLECTIO MONUMENTORUM, MAXIme ineditorum, ad illustrationem Juris Naturæ & Gentium, præcipue Publici ac Feudalis Germanici, Historiæ item Ecclesiasticæ, politicæ, ac literariæ, pertinentium, cum brevibus Annotationibus edita a CHRISTIANO GOTTLIEB BUDERO, D. Juris & Historiarum Prof. P. Ordin. Jen.

Francofurti & Lipsiæ, apud Christian. Henr. Cunonem, 1735, 8. Alph. 2 plag. 1½.

Pridem

Pridem placuit & ab insigni utilitate se commendavit eruditis eorum institutum, qui monumenta varii generis inedita aut rariora conjunctim protulerunt. Testes sunt cum aliæ disciplinæ, tum maxime Historia & Jurisprudentia Germanica, quantum lucis bonæque frugis ex hujusmodi scriptis haberi possit. Certe nihil in historia, nihil in antiquitatibus, oportet contemni; haud raro privati hominis consignatio, barbare scripta, sæpe etiam Diploma de monachorum ovis, caseis, pullisque, movit risum, quod peritioribus argumentum dedit eruendæ vel confirmandæ utilissimæ veritatis. Cel. Editor in Præfatione novissimas Collectiones, quæ in Germania prodierunt inde ab A. 1720, recenset, harumque utili exemplo se quoque excitatum ait. Singulis Articulis Observationes præmittit, summarias illas quidem, quæ tamen de ipsa re utiliter docent. Quo facilius autem de consilio Conf. Editoris judicet Lector, &, quæ hoc *Tomo I* continentur, intelligat, titulorum ordinem, cum quadam florum sparsione, indicabimus. 1) Scriptum publicum Belgarum pro *Maximiliano* Rege contra *Carolum VIII* ob inter-
ceptam *Annam*, de A. 1491 & 1492. Est hoc avthenticum inte-
Pag. 19. grum Latinum, cujus partem *Mullerus* Germanice edidit. Ac-
cusatur Rex Galliæ, quod *Annam*, falsa persuasione de instanti
morte *Maximiliani* ex veneno accepto, in suum matrimo-
26. nium compulerit. 2) Electoris ac Ducis Saxoniæ, aliorumque
Evangelicorum, Protestatio contra *§. 28* Recessus Norimberg.
31. A. 1524, Germanice. 3) Consilium privati alicujus de bonis Ec-
38. clesiasticis, digne utiliterque adhibendis, Germanice. 4) Mare-
schalli *Pappenheimii* gravamina, in Comitiis A. 1541 Legato Sa-
xonico oblata, ubi singularia de antiquis ejus juribus, sub *Caro-*
40. *lo V* deficientibus, Germanice. 5) Acta quædam de antiqua li-
bertate Germanorum, præcipue illustrium, militandi exteris,
edita a *Jo. Wilhelmo* & *Jo. Friderico*, Ducibus Saxoniæ, A. 1558
72. & 1559, Germanice. 6) Investitura *Augusti*, Electoris Saxoniæ, A.
1560, Germanice. Consultiss. Editor hanc veteri more sub dio ul-
timam in Imperio fuisse putat; sed occurrit recentior *Maximi-*
liani Bavarici, sub *Ferdinando II* iisdem fere ceremoniis per-
93. acta. 7) Electoris *Augusti* Mandatum, Legatis suis, ad Conventum

Erfur-

Erfurtensem A. 1583 proficiscentibus, datum, in causa *Gebhardi* Coloniensis Archiepiscopi, Germanice. Est illud sapientissime eximiaque moderatione conceptum. Reprehendit Elector praecipitantiam *Gebhardi* cum in aliis tum in ducenda uxore; rem non vi, sed oratione & consilio, agendam esse, suadet. 8) Man- Pag. 96. 107.
datum Legatorum *Henrici II*, Regis Navarrae, ad Evangelicos, 117.
praecipue ad *Augustum*, Electorem Saxoniae, de A. 1583, Latine.
Rex ostendit, quam sit purae religionis & concordiae inter Pro- 139 seq.
testantes conciliandae studiosus. Respondent Principes, quid sibi
videatur de Regis Consilio, Formulamque Concordiae ipsi com- 158.
mendant. 9) Literae quaedam *Elisabethae*, Reginae, ad Principes 161.
Imperii Germanici, pro securitate Protestantium in Gallia contra Guisiorum factionem, Latine. 10) *Rudolphi II* Mandata, quae 169.
Legatis suis edidit, ad Conventus Fuldenses A. 1606 & 1608 proficiscentibus, Germanice. Quae statum Imperii & plura capita Juris
Publici illustrant. 11) *Zach. Geizkofleri*, Consiliarii aulici Impe- 241.
ratoris, Disquisitio: an *Ferdinandus* Archidux auxilia circularia
contra Venetos evocare possit, de A. 1617, Germanice. 12) Episco- 246.
pi Thinensis Consilia componendae inter Evangelicos & Romano-Catholicos concordiae, de A. 1683, Latine. 13) Excerpta hi- 262.
storica de *Henrico Aucupe* & *Ottonibus*, ex *Sagittarii* Antiquitatibus MStis Marchionatus Thuringiae a B. *Joach. Frid. Fellero*
communicata, Germanice. 14) Duo Diplomata *Ottonis I* & *II*, 277.
quorum prius jam quidem a *Sagittario* in Antiquitatibus Mag- 34.
deburgicis est productum, sed non ita emendate. 15) de Castro 280.
Heldrungen. 16) *Jo. Wolfii*, Rectoris Vinariensis, Annales Ger- 281.
manici, quibus quaedam Diplomata a Cl. *Budero* immiscentur. 292.
17) Duo Diplomata Comitum Orlamundanorum. 18) M. *Cyr.* 295.
Spangenbergii Chronicon Sangerhusanum, Germanice, ubi recentioris historiae quaedam non inutilia. 19) Monita de commu- 382.
ni denario, in Comitiis Spirensibus A. 1544 proposita, Germanice.
Invehitur Autor in civitates Imperii & mercatores, qui hunc modum commenti fuerint in damnum Principum, &c. 20) Aliquot 425.
Diplomata Sulzensia &c. Egregium est Diploma *Conradi II* de A. 1029, ubi vico Sulze *libertatem civicam & jus oppidanum* &c. tribuit, sicut oppida *Dobresol*, *Walahusen*, &c. habent. Memora-

moratur ibi etiam *Sulzia Dobresoelensis*, id est, Hallensis, *qua*
Pag. 451. hæc *Ilmensis magis ac magis fiebat deterior*. 21) *Friderici Strenui*, Landgravii Thuringici, Confirmatio bonorum & privile-
453. giorum Monasterii monialium Ilsenbergensis. 22) Unde nomen Ducis Franconiæ acceperit Episcopus Wirzeburgensis, Latine. Autor quidem hujus scripti putat, post mortem *Henrici V*, vacante Imperio, Papam de eo Ducatu providisse Episcopo; sed veriorem originem *Augustinus de Canusio*, sive B. *Gundlingius*,
455. demonstravit. 23) Chronica temporum hodiernorum; quæ sub initia Imperii *Caroli IV* videntur confecta, eo quod electio *Guntheri*, ejusque mors, copiosius enarratur. Sequuntur
474. deinde res ab aliis adjectæ, usque ad A. 1430. 24) De quibusdam ritibus Episcopatus Wirzeburgensis, præcipue de modo & forma introducendi Episcopum, Latine. Notamus ibi quosdam ritus peculiares, & inter eos, quando *Ducatus*, id est, gladius, insigne potestatis secularis, coram Episcopo sit deferen-
484. dus. 25) De Dynastis Querfurtanis, & de bonis Ecclesiæ Quer-
491. furtanæ, Latine. 26) Relatio antiqua de fœdere civitatum Rhenensium & Suevicarum de A. 1381 & seq. præcipue de turbis
498. civium Wormatiensium cum Clero, Latine. 27) *Friderici III*, Imperatoris, Epistola ad Ducem Burgundiæ, A. 1474, Latine.
502. Acriter invehitur Imperator in *Carolum*, ut erat feculum. 28) De exercitu Cæsareo, sub Duce *Alberto Animoso* contra *Carolum* misso, deque statu Novesii obsessi A. 1475; item de *Caroli*
517. expeditione Lotharingica, &c. 29) Duæ literæ, quibus Duces
521. Saxoniæ Vasallos suos ad servitia evocarunt. 30) De *Ferdinandi* Regis introitu & coronatione Pragensi, A. 1527, Germanice.
535. 31) Relatio antiqua de Roma A. 1527 per *Caroli V* exercitum capta, Germanice impressa jam olim, digna tamen, quæ recu-
565. deretur. 32) De *Caroli V* bello contra *Carolum* Egmondanum A. 1528, Autoris coævi, Germanice. In eo bello periit *Ernestus*, Pincerna de Tautenburg, *Georgii* frater; unde tolli potest
67. dissensus Historicorum, & corrigi Excell *Struvius* in Historia
584. Pincernarum, qui *Georgii* fratris filium existimat. 33) *Alberti*, Electoris Moguntini, fundatio quarundam missarum A. 1520, Lati-
689. ne. 34) *Jo. Cratonis*, Medici Cæsarei, Epistola arcana & fide dignissima

gnissima de morbo & morte *Maximiliani II*, Imperatoris, A. 1576 ad *Jo. Sambucum*, Medicum Cæsareum, Latine. Adfuit ægrotanti *Crato*, atque optima conscientia & rectissima voluntate curam salutis gessit; tandem spretus est, & anicula Ulmensis, commendata Cæsari, vitalem virtutem ejus prostrasse dicitur ineptis nocivisque remediis. Confirmantur ibi etiam ea, quæ de optima fide morientis Principi suo scripserat *Languetus* in *Epist. secret. Lib. I P. II Epist. 93 pag. 241.* 35) De statu interno Sueciæ circa medium Seculi XVII, & de *Axelii* Pag. 600.
Oxenstirn ingenio, moribus, & consiliis, Germanice. Impressum fuit jam tum A. 1644. 36) *Joach. Felleri* Catalogus quorundam Codicum Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis de Vitis Sanctorum, in gratiam *Papebrochii* consignatus A. 1682. Ac- 638.
cedit Epistola *Papebrochii* ad B. *Ottonem Menckenium.* 37) Excerpta ex Itinerario Germanico D. *Rud. Wilh. Krausii*, Professoris Medicinæ Jenensis, qui A. 1719 obiit, a B. *Fellero* etiam communicata. Multæ ibi observationes medicæ, varii mores 662.
hominum ritusque gentium, multa dicta memorabilia. 38) *Leibnitii* Monita de nævis Jurisprudentiæ Romanæ, eorumque 718.
emendatione. 39) Ejusdem Examen consilii *Erh. Weigelii*, Professoris Jenensis, de collegio artis consultorum in Imperio 728.
instituendo, & de Calendarii emendatione. 40) Excerpta ex Epistolis ineditis *Gruteri*, de quibusdam scriptis ejus. In fronte hujus *Tomi* imago elegantissima *Friderici Sapientis*, Electoris Saxoniæ, conspicitur, sicut est in Missali quodam Bibliothecæ Jenensis, artifici manu picta. Is adorat supplex B. Virginem *Mariam*, & pone supra verticem juvenis adstat comtus & venustus, qui genius Principis putatur. Cum voluptate legimus ac recitavimus singula Lectori, precantes, ut non uno atque altero *Tomo*, ut fit, utilissimum finiatur institutum, sed eundo incrementa capiat. Certe non deerunt res doctissimo Editori, quas vel jam possidet, vel ex amicorum supellectile pollicemur.

C. A. H. OBSERVATIO CRITICA, QUA insigne mendum tollitur e Diogene Laertio.

Apud *Laertium Lib. VIII §. 63* hæc verba leguntur: Μέγαν δὲ τὸν Ἀκράγαντα εἰπεῖν φησι Ποταμίλλα, ἐπεὶ μυριάδες αὐτὸν κατῴκουν ὀγδοήκοντα, quibus hæc adjungitur interpretatio: *Amplum vero Agrigentum dixisse ait Potamilla, quod in illa octingenta hominum millia inhabitarent.* Jam, quivis quærat, necesse est: Quis, vel quæ, hic, vel hæc, *Potamilla? Menagius* in annotatione sua, postquam docuisset, verbum Ποταμίλλα non esse in ceteris editionibus, esse tamen in MStis Regis Galliæ, hocce addit veluti epiphonema: *Ignoratissima mihi omnium fœminarum hac fœmina. Kuhnius* in sua & ad hunc locum & ad *§. 71* annotatione censet, verba ista, quæ *Potamilla* dixisse hic dicitur, esse *Timæi*, Historici. Verum non utitur sua εὐστοχίᾳ, nimis incredibilem afferens rationem, qua factum esse credit, ut Τίμαιος mutaretur in Ποταμίλλα. Ac rectius fecisset, si post hæc sua verba: *Unde hac semigraca vox in textum venerit, dictu difficile est. Illam non agnoscunt editiones Stephani & Frobenii;* adjecisset nihil. Illud unum recte conjecisse puto *Kuhnium*, nomen istud natum esse e glossemate. Nam hæc eadem mea est sententia, quam prius dilucide probabo, deinde verum glossema proferam, quod sive hanc, sive hunc, *Potamillam* progenuit. Scilicet in proxime præcedentium versuum hexametrorum primo urbs *Agrigentum* vocatur μέγα ἄστυ. Jam igitur, recitatione horum versuum facta, *Laertius* subjicit hanc suam annotationem, qua, cur μέγα appelletur ἄστυ, docturus est: Μέγαν δὲ τὸν Ἀκράγαντα εἶπεν, ἐπεὶ μυριάδες αὐτὸν κατῴκουν ὀγδοήκοντα, hoc est, *Agrigentum vero vocavit* (subaudi *hic poeta,*) *magnum ideo, quod octingenta millia habebat incolarum.* Εἶπεν reddidi *vocavit.* Nam & *§. 61* hac phrasi usus *Laertius* ait: εἶπεν αὐτὸν ἰατρὸν, *vocavit eum medicum.* Apparet nunc, nihil loci relinqui pari isti verborum: Φησὶ ποταμίλλα, jureque recipi meam emendationem, qua εἶπεν scripsi pro εἰπεῖν. Ac vel inde satis confirmatur, duo esse hæc verba ejicienda, quod unus duntaxat MStus Codex ea habet, ceteri non habent. Liquet igitur, *Potamillam* nullum fuisse

in

in orbe literario, etiamsi, unde is huc loci irrepserit, manifestum facere possit nemo. Afferam tamen, quæ in mentem mihi venit, conjecturam, eamque acutis hominibus, qui Critici vocantur, æstimandam permittam. Existimo videlicet, nonneminem margini inscripsisse verborum horum: *μυριάδες ὀγδοήκοντα*, Latinam interpretationem: ***octoginta millia***; vel quempiam iisdem verbis hanc adscripsisse quæstionem: *Quota millia?* subaudi ***hæc sunt***. Quæ duo verba cum essent obscurius scripta vel vetustate detrita, librarius, nimium male acutus, inde effecit *φησὶ ποταμίλλα*. Quodsi quis alius certiorem hujus glossematis clarioremque indicaverit ortum, me profiteor esse assensurum in primis. Ceterum, cum hac occasione ***Undecimilla***, quam virginem constat undecim mille peperisse virginum, S. *Ursulæ* sociarum, in memoriam redierit meam, simul recordor, in ***Reinesiano Inscriptionum veterum Syntagmate Lib. I n. 24 pag. 53*** & ***Lib. XII n 105*** memorari quandam ***Decumillam***.

NOVA LITERARIA.

Fervent hoc ipso tempore Venetorum prela in excudendis denuo ***Antiquitatum Græcarum & Romanarum Thesauris, Græviano*** & ***Gronoviano***, cujus instituti uberrimam notitiam suppeditavimus Lectori in ***Actis Anni 1736 Mens. April. pag. 194.*** Illis jam, rogatu Editorum, alia addimus, ex Programmate illorum, eam in rem publice edito, excerpta; nimirum ***Celeberrimum*** Sigebertum Havercampum, ***Professorem Historiarum, Eloquentiæ, & Linguæ Græcæ, in Lugdunensi Batavorum Academia, tribus Clarissimis Viris***, Apostolo Zeno, Jo. Poleno, & Jo. Bernardo Mariæ de Rubeis, ***edendi ornandique operis socium se adjunxisse. Sciendum præterea, optimos illos Viros, qui proposita editionis curam susceperunt, fidem eximie servare. Jam enim eorum cura prodiere Volumina octo Thesauri*** Græviani, ***totidemque*** Gronoviani, ***nec non tria Thesauri novi, ab*** Alberto Henrico Sallengrio ***congesti. Absolutis itaque in præsentiarum, & in lucem jam editis, Voluminibus decem & novem, reliqua proximo quoque tempore sequentur. Quam vero nitide & emendate hæc omnia, res ipsa loquitur. Neque vero minus sollicitti***

 erunt

erunt Editores, ut (præter ea jam edita, quæ Sallengrius *collegerat,) lucem videant etiam Supplementa illa novissima, de quibus alio tempore commemoratum; eademque congesta diligenter, ac prorsus nitide & emendate impressa, quæ fortasse erunt octo; fortasse, dicimus; nam in præsentia rerum, num futurum sit, ut uno Volumine augeatur ille numerus, aut uno deficiat, certe affirmari non potest, cum propositum sit, præstantiæ congerendorum Operum, non numeri Voluminum, rationem habere. Satis itaque sit indicavisse, ea Volumina futura circiter octo. Quibus accedet Volumen aliud, profecto utilissimum, continens Indices in Volumina* Grævii, *inque omnia Supplementa. Quemadmodum enim Vir summus,* Jacobus Gronovius, *Thesauro suo Græcarum Antiquitatum Volumen Indicum, optimo sane consilio, adjecit; ita quidem Antiquitatum Romanarum Thesauro, Supplementisque, Indices sui addendi sunt; quorum usus quam opportunus sit atque utilis, ii optime norunt, qui sunt optimis in studiis diu multumque versati. Nunc autem, ut etiam commodo consulatur illorum, quorum interest, sola hæc Supplementa, Indicesque, sibi comparare, illis institutio Societatis nova proponitur. Societatis vero etiam hujusce leges duæ omnino erunt. Nempe ut socii in singula Volumina libellas Venetas quinquaginta solvant; atque ut summam primam statim repræsentent, quæ pro extremo Volumine omnino erit. Illud præterea hic loci monendum est, futurum, ut nullum Volumen constet foliis paucioribus centum & quinquaginta. Hujusmodi Supplementorum exempla plura imprimentur in charta æquali majoris illius, quæ in prima Batava editione adhibita fuit, dabunturque hæc exempla requirentibus. Si qui autem poscant etiam* Sallengrii *Supplementa, dabuntur hæc quoque conditionibus iisdem. Novissimis vero hisce imprimendis Supplementis manus admovebitur statim hoc ipso Mense. Horum tamen Volumina, & Volumina reliqua Thesauri* Græviani Gronovianique, *alternatim prodibunt. Demum superest admonendum, ut, qui Societati nomina adscribere volent, ad* Jacobum Feltrium, *ejusque socios, duntaxat literas Venetias mittant. Negotium enim omne editionis ad eos solos spectat, iique sunt,*

qui

qui suis sumtibus sub nomine Joannis Baptistæ Pascalis, *Veneti librarii, rem curant.*

Præclarum est institutum *Gerardi Block*, Hagensis Typographi, novis typis excudendi *Antonii Matthæi*, quondam Juris in Academia Lugduno-Batava Antecessoris Clarissimi, *Veteris avi Analecta, seu Vetera Monumenta, hactenus nondum visa*, &c. Opus cuilibet rerum Belgicarum æque, ac Germanicarum, curioso utilissimum, tamque raro obvium hoc ipso tempore, ut intra centum florenorum Belgicorum pretium vix vendi soleat. Librum hunc, decem olim Voluminibus, forma 8, editum, jam, compendii causa, & ut cum reliquis Autoris scriptis commode conjungi possit, tribus Voluminibus in 4 sistet *Blockius*, constituto his Florenorum Belg. 16 pretio, quorum partem sub ipsum imprimendi initium, partem vero absoluto Opere, exsolvendam statuit. Exemplaria Operis non nisi sexcenta prelo sunt destinata. Hos igitur, quorum interest, hoc Opere in posterum non esse destitutos, ut mature ea de re per literas agant cum editore Typographo, serio amanterque monemus.

Viennæ prodíturum proxime, accepimus, cura S. Rev. Patris, *Marquardi Herrgoett*, Ordinis S. *Benedicti* Capitularis eruditissimi Viri, Opus illustre, & argumento æque, ac scribendi ratione, splendidum, cui titulum faciet Autor *Genealogiæ Diplomaticæ Augustæ gentis Habsburgicæ.* De quo ut plenius cognoscat Lector, en Conspectum ejus, qualem ad nos misit nuper, & innotescere per nos viris eruditis Autor ipse voluit. Constabit Opus omne *Tomis duobus*, quorum primus exhibet in ipso limine Prolegomena, seu Dissertationes Præliminares. In his *prior* Prænotiones Genealogicas affert, ad quas hoc Opus Diplomaticum exigendum sit; *secunda* agit de fide Actorum S. *Trutperti*, deque Cenotaphiorum Habsburgensium, in Cœnobio *Trutperti* repertorum, autoritate, ad probandam Genealogiam Habsburgicam; *tertia* in ætatem atque avthentiam Actorum Murensium inquirit; *quarta*, Comitatum Vindonissensem Habsburgi majoribus a *Guillimanno* perperam tributum esse, docet; *quinta* de Comitatu Altenburgensi, quem Scriptores nonnulli, præter fidem convincentium monumentorum, genti Habsburgicæ adscripserunt; *sexta* de Comiti-

bus veteris Alemanniæ & minoris Burgundiæ, quorum memoria noſtris occurrit in monumentis, antequam nomen Habsburgicum clueret, exponit; *ſeptima* notitiam de Provincia Burgundiæ Transjuranæ ſubminiſtrat; *octava* recenſum agit Codicum MStorum, qui de rebus Habsburgicis tractant, quos hinc inde in diverſis Bibliothecis, præcipue vero in Auguſtiſſima Vindobonenſi, libris MStis inſtructiſſima, invenimus. Opere ipſo hæc continentur: *Liber I* de Chorographia Habsburgica; ubi de Comitatibus ac poſſeſſionibus; item de clientibus & ſigillis Comitum Habsburgi, nec non de veris eorundem originibus. *Cap. I* de Chorographia Habsburgica. *Cap. II* de pago Brisgoviæ, in quo ſecundum Diplomata, ab Autore collecta, majores gentis Habsburgicæ ſedes ſuas collocaverant. *Cap. III* de Alſatia, primigena majorum Habsburgi Comitum ſede trans-Rhenana. *Cap. IV* de Comitatu Habsburgenſi in Argovia. *Cap. V* de etymo nominis Habsburgici. *Cap. VI* de fundatione caſtri Habsburg, & de pluribus caſtris, eodem nomine inſignitis. *Cap. VII* de Comitatu Badenſi in Argovia. *Cap. VIII* de Comitatu Lenzburgenſi. *Cap. IX* de Comitatu Kyburgenſi. *Cap. X* de Comitatu Pherretano. *Cap. XI* de Comitatu Rhinfeldenſi. *Cap. XII* de Dynaſtia Comitum in Lauffenburg. *Cap. XIII* de Landgraviatu Sisgoviæ. *Cap. XIV* de Landgraviatu Cleggovienſi. *Cap. XV* de Comitatu Rapperswilano. *Cap. XVI* de Curia feudali Habsburgica, Nobili & Equeſtri. *Cap. XVII* de Sigillis & inſignibus Habsburgenſibus. *Cap. XVIII* de veris originibus gentis Habsburgicæ. *Liber II* de Genealogia Habsburgica, in qua a *Rudolpho I*, Romanorum Rege, ad ejus majores adſcenditur. *Cap. I Rudolphus I*, Rex Romanorum, & ejus pater, *Albertus*, Comes de Habsburg. *Cap. II Rudolphi I*, Romanorum Regis, avus, *Rudolphus III*, Comes de Habsburg. *Cap. III Albertus III*, Comes Habsburgi, *Rudolphi I*, Romanorum, Regis, proavus. *Cap. IV Wernerus III*, Habsburgi Comes, abavus *Rudolphi I*, Romanorum Regis. *Cap. V Otto II*, Comes Habsburgi, atavus *Rudolphi I*, Regis Romanorum. *Cap. VI Wernerus II*, Comes Habsburgenſis, tritavus *Rudolphi I*, Romanorum Regis. *Cap. VII Radeboto*, Comes in pago Cleugeuve, *Rudolphi I*, Romanorum Regis, major in ſeptimo

mo gradu. *Cap. VIII Lantholdus*, seu *Lanzelinus*, Comes in pago Turgouve, *Rudolphi I*, Romanorum Regis, in gradu octavo major. *Cap. IX Guntramnus*, Comes, *Rudolphi I*, Romanorum Regis, major in nono gradu. *Cap. X Hunfridus*, filius *Luitfridi*, Comitis, inter genuinos *Rudolphi*, Romanorum Regis, majores censendus. *Cap. XI Luitfridus Illustris*, Comes, *Hunfridi* pater, & *Rudolphi I*, Romanorum Regis, major. *Cap. XII* de *Ramperto*, nepote *Otperti*, qui in privilegio *Luitfridi*, Comitis, inter majores Habsburgicos recensetur. *Cap. XIII Otpertus*, avus *Ramperti*, inter majores Comitum Habsburgi recte sibi locum vindicat. *Cap. XIV* de *Luitfrido V Illustri*, Comite, patre *Luitfridi VI*, ac *Rudolphi I*, Romanorum Regis, majore. *Cap. XV Hugo I*, Comes, *Luitfridi V* pater, ac *Rudolphi I*, Romanorum Regis, major. *Cap. XVI Luitfridus IV*, pater Comitis *Hugonis I*, *Rudolphi I*, Romanorum Regis, major. *Cap. XVII Luitfridus*, sive *Lantfridus*, hujus nominis tertius, Dux Alemanniæ ultimus, pater *Luitfridi IV*, Comitis, atque gentis Habsburgicæ major. *Cap. XVIII* de majoribus *Luitfridi III*, Ducis Alemanniæ, linea recta adscendendo, usque ad *Etbiconem I*, Alemanniæ Ducem, gentis Habsburgicæ autorem ultimum. *Cap. XIX* apex stemmatis Habsburgici in *Etbicone*, seu *Adalberto I*, Alemanniæ Duce, statuitur. *Liber III* de Genealogia Habsburgo-Austriaca: in qua a *Rudolpho I*, Romanorum Rege, ad ejusdem posteros descenditur. *Cap. I* de *Alberto*, Romanorum Rege, filio natu majore, atque reliqua progenie *Rudolphi I*, Romanorum Regis. *Cap. II* de conjugio & prole *Alberti*, Romanorum Regis, *Rudolpho* scilicet, *Friderico*, *Lupoldo Ottone*, *Alberto*, atque *Henrico*. *Cap. III* de *Alberti II*, Ducis Austriæ, filiis, *Rudolpho*, *Friderico*, *Alberto*, & *Lupoldo*. *Cap. IV Alberti III*, & *Lupoldi Probi*, Ducum Austriæ, propagines, ad *Ladislaum* & *Maximilianum*, Imperatores, usque deductæ. *Liber IV* de genealogia Lauffenburgo-Habsburgica, in qua a *Rudolpho*, Comite de Habsburg, primi Alsatiæ Landgravii filio natu secundo, ad ejus posteros, Habsburgi Comites, dominos Lauffenburgi, dein & Rapperswilæ, Rottenbergæ, & in Krenkingen, nec non Landgravios Cleggoviæ & Sisgoviæ, usque ad ultimum hujus stirpis Comitem Habsburgensem, stemma

ma deducitur. *Cap. I* de *Rudolpho Taciturno*, Habsburgi Comite, satore stirpis Lauffenburgo - Habsburgicæ. *Cap. II* de *Gottfrido*, aliisque prædicti *Rudolphi* filiis. *Cap. III* de *Rudolpho*, *Gottfridi* filio, Comite Habsburgi, Rapperswilæ domino. *Cap. IV* de *Joanne I*, Habsburgi Comite, Landgravio Cleggoviæ, Domino Rapprechtswilæ, filio *Rudolphi*, Comitis Habsburgi. *Cap. V* de *Joanne II*, *Rudolpho*, *Gottfrido*, & *Agnete*, prole *Joannis I*, Comitis de Habsburg. *Cap. VI* de *Joanne III* a scriptoribus perperam extremo lineæ Lauffenburgo - Habsburgicæ constituto. *Cap. VII* de *Joanne IV*, postremo lineæ Lauffenburgicæ masculo. *Cap. VIII* de *Ursula*, *Joannis*, ultimi Comitis Habsburgensis, filia, ejusque sorore, *Agnete*. *Liber V* de genealogia Kyburgo - Habsburgica, seu de Kyburgiis posterioribus, qui ex Lauffenburgo - Habsburgica stirpe descenderunt. *Cap. I* de *Eberhardo I*, Comite Habsburgi, patre posteriorum Comitum Kyburgi. *Cap. II* de *Hartmanno I* & *Eberhardo II*, Comitibus Kyburgi, filiis *Eberhardi I*, Habsburgensis. *Cap. III* de *Eberhardi II*, Comitis Kyburgensis, filiis, *Hartmanno*, *Rudolpho*, *Berchtoldo*, aliisque. *Cap. IV* de *Egone*, ultimo Kyburgi Comite, & reliquis natis *Hartmanni II*, Comitis. *Liber VI* de consanguineis & affinibus Augustissimæ Domus Habsburgicæ, quorum memoria in monumentis nostris celebratur. *Cap. I* afferuntur notiones de consanguineis & affinibus Habsburgicis, cum nonnullis eorundem monumentis & sigillis. *Cap. II* de familiis, necessitudine vel affinitate genti Habsburgicæ junctis, quæ floruerunt, antequam hæc per *Albertum*, *Rudolphi I*, Rom. Regis, patrem, & *Rudolphum*, illius fratrem, Lauffenburgicæ stirpis autorem, in duas lineas divisa fuit. *Cap. III* de consanguineis & affinibus lineæ Habsburgo - Austriacæ, sumendo epocham ab *Alberto*, *Rudolphi I*, Rom. Regis, patre. *Cap. IV* de consanguineis & affinibus lineæ Lauffenburgo - Habsburgicæ. *Cap. V* de consanguineis & affinibus Kyburgiorum posterorum, qui ex linea Lauffenburgo - Habsburgica descenderunt. *Tomus II*, Codicem probationum exhibens, in quo Pontificum Rom. Bullæ, Imperatorum Regumque Diplomata, Episcoporum, Ducum, ac Comitum, Chartæ, aliaque plura monumenta avthentica, continentur.

❀ ❀ ❀

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXXXVII.

COLLECÇAM DOS DOCUMENTOS DA ACAdemia Real da Historia Portugueza, &c.

h. e.

ACTA ACADEMIÆ HISTORIÆ LUSITAnicæ, Annorum 1727, 1728, 1729.

Tomi III.

Ulyssipone, ex Typographia regia, 1727 - 1729, fol.

Tom. I Alph. 10 plag. 12, Tom. II Alph. 8 plag. 5, Tom. III Alph. 7 plag. 10.

Discimus ex *tribus* his *Tomis*, in laudabili sua pergere Academicos industria, dum in iis de Operibus ad Historiam Lusitanicam illustrandam pertinentibus, jam elaboratis, edendisque, colloquuntur, aut de suscipiendis deliberant. Sic in *priore Tomo pag. 1* de Ordinum Equestrium expeditionibus militaribus, & Regis *Alphonsi V* vita, scribendis, *pag. 2* & 4 de terris ad Prioratum de Crato dictum & Episcopatum Lamecensem spectantibus, agitur, ac his dein colloquiis Oratio Marchionis *de Alegrete*, eorum initio habita, in qua exercitia Academica cum agrorum cultu comparantur, subjuncta est. *Num. 3 pag. 5 & seq.* occasione urnarum sepulchralium, cum numis duobus cupreis *Constantini* & *Constantis* alicubi repertarum, veterum Christianorum & gentilium sepeliendi ritus illustra-

tur. *Num. 4 pag. 1* Catalogus Reginarum Lusitaniæ, a *Barbosa* scriptus, laudatur. *Num. 5 pag. 1* difficultas historiæ Episcopatus Portalegrensis & Conimbricensis condendæ exponitur. *Num. 6 pag. 3 Brandani* Historiæ Lusitanicæ defectus memorantur. *Num. 7* Elogium defuncti *P. Ferdinandi de Avreu* insertum est. *Num. 8* momenta Historiæ Ecclesiasticæ Ulyssiponensis dijudicantur, ejusque scribendæ ratio declaratur. *Num. 9* electio novi Academici, *Ferdinandi de Almeida*, ejusque gratiarum actio, refertur. *Num. 10* in Genealogiam *Stephani Agnesii de Vasconcellos* inquiritur, variis Dissertationibus utilibus porro explicandam. *Num. 11* Catalogi Episcoporum Algarbiæ & Septæ difficilis, & Ecclesiæ Eborensis Archiepiscopi, *Theotonii de Braganza*, vitæ obscuræ, mentio fit. *Num. 12* varii errores in Historia Episcopatus Conimbricensis recensentur. *Num. 15* de Equitum Melitensium in regno Lusitaniæ monasteriis & bonis ecclesiasticis sermo fit. *Num. 18* & *22* Panegyrici, in die Reginæ & Regis natali recitati, extant. *Num. 24* varia dubia in Historia Ecclesiastica Conimbricensi occurrentia explanantur. *Num. 25 Barbosæ* Monumenta historica Collegii S. *Pauli* Universitatis Conimbricensis, a *Joanne III* fundati, *Cap. I & II*, & Collegiatorum ac Portionistarum Collegii, Index amplissimus, a *pag. 1* usque ad *426*, exhibentur, in quo, præter alia notabilia, non pauci huc usque in Historia literaria Lusitanica incogniti viri eruditi occurrunt. *Num. 27* Oratione, in ultimo hujus anni Colloquio, de numeri septenarii mysteriis, & septem annis, quibus *Ulysses* in antro fuit, ad Academiam relatis, habita, & *num. 28* Catalogo Academicorum addito, *Tomus* hic clauditur.

In sequente, Anni 1728, *num. 2* Oratio in principio anni octavi institutæ Academiæ recitatur. *Num. 3* conjugium Principis Brasiliæ, *Josephi*, cum *Maria Anna Victoria*, Castiliæ Principe, & *num. 4* aliud *Mariæ Barbaræ*, filiæ Regis Lusitaniæ, cum *Ferdinando*, Asturiæ Principe, initum, Panegyrico celebratur. *Num. 5* de primo Monasterio Ordinis Melitensis differitur. *Num. 7* pro clementia Regis, qua Academiæ nuptias illas futuras significarat, peculiari

Oratio-

Oratione gratiæ aguntur. *Num. 11* Monasteria quædam Equitibus Templariis in Lusitania falso tribui ostenditur. *Num. 13* Elogio funebri *Emanuel de Sa*, Patriarcha Æthiopiæ, & simili *num. 15 Michael de S. Maria* condecoratur. *Num. 19* Manuscriptorum Comitis *Vimigiro* index continuatur. *Num. 21* an Monasterium Religiosarum de Estremos ad Melitenses pertineat, disquiritur. *Num. 22* mors Serenissimi Infantis Regii, *Alexandri*, Oratione lugubri deploratur. *Num. 26* & *30* natalem diem Reginæ & Regis Panegyricis prosequuntur Academici, & *num. 34* Oratione ultimo hujus anni Colloquio finem imponunt. *Num. 35* Dissertatio amplissima de antiquitatibus Conventus Bracaraugustani *Libris quatuor*, vernaculo Latinoque sermone conscriptis ab *Hieronymo Contador de Argote*, differitur. *Num. 36* Catalogus Academicorum adjicitur.

Tomus tertius, Anni 1729, *num. 2* Elogium funebre Censoris Academiæ, *Ferdinandi Mascarenhas*, Marchionis *de Fronteira*, & *num. 4* Panegyricus, in adventu *Mariæ Annæ Victoriæ*, Principis Brasiliæ, habitus, exhibetur. *Num. 4* Lusitaniæ legum initia & progressus enarrantur. *Num. 19* & *23* Orationes, in die natali Reginæ & Regis recitatas; *num. 24* Elogium *Francisci de Sousa*, & *num. 30* Orationem, qua ultimum hujus anni Colloquium obsignatum fuit, & novem anni Academiæ fundatæ cum novem Musis comparantur; *num. 31* Apologiam Analyticam, pro Monasterio Religiosarum de Estremos, S. *Joannis* de pœnitentia ad Melitenses pertinente, a *Luca de S. Catharina* scriptam, & cum *num. 21* Anni 1728 conferendam, complectitur.

ÆGIDII TSCHUDII, gewesenen Land-Amtmanns zu Glarus, Chronicon Helveticum, oder gründliche Beschreibung &c.

h. e.

ÆGIDII TSCHUDII, PRÆFECTI QUONdam agris Glaronensibus, Chronicon Helveticum, seu solida Descriptio rerum memorabilium, non tantum in

Imperio Romano-Germanico, sed etiam in ditione Helvetica, eique conterminis regionibus, gestarum. Omnia secundum Epistolas avthenticas, Documenta, & maximam partem Diplomata, singulari studio perpolita, & ex præcipuis pagorum Helveticorum tabulariis collecta, primum nunc ex avtographo evulgavit, Præfatione instruxit, & Annotationibus necessariis illustravit, JO. RUDOLPHUS ISELIUS, J. U. D. Ordinis Jurid. Basil. Assessor, Regiæ Societ. Berolinensis Membrum. Pars prima, ab Anno M usque ad MCCCCXV.

Basileæ, sumtibus Jo. Jac. Episcopii, 1734, fol. Alph. 7 plag. 15.

Quanquam argumentum hujus libri, totaque rei tractatio, ex inscriptione fere pateat, tamen Cl. Editor in Præfatione Lectorem fusius edocet, quæ hujus Operis facies, quæ conditio, sit, probe sciens, exteros non adeo cupidos esse domestici laboris, saltem non tantam adhibere curam, ut universum Opus evolvant, nisi in limine statim dilucide exponantur memoratu dignissima, totusque libri ambitus in nuce quasi lecturis propinetur. Hujus igitur officii partibus satisfacturus, enarrat primo, qua via, quibusque meritis, gens *Tschudiana*, seu, uti alio loco nominatur, *Schudiana*, ad equestrem dignitatem sub auspiciis *Ludovici III*, Regis, adspiraverit, quantosque viros ex eodem stemmate prognatos viderit ætas nostra, in magna sacrorum reique publicæ dignitate constitutos. Satis enim constat, *Dominicum*, Abbatem Murensem, qui de origine & genealogia Comitum Habspurgicorum scripsit, & *Georgium*, Abbatem Creutzlingensem, qui temporibus repurgatorum a *Luthero* sacrorum vixit, huic stirpi suos debere natales, quanquam in eo plerique vehementer errant, qui, fratrem nostri *Ægidii Georgium* fuisse, sibi persuadent. Eam ob causam, ne diutius in his eruditi tenebris versentur, vitam & fata

fata *Ægidii Tſchudii* enucleatius delineavit, dixitque, ipſum A. 1505 Baſileæ natum fuiſſe, jactisque ibi literarum fundamentis, ſub *Henrico Lorito Glareano*, populari ſuo, inviſa cum eo Lutetia, non tantum in patria, ſed & apud exteros, ſplendidis interfuiſſe negotiis, muneribusque graviſſimis eo usque defunctum eſſe, cum ſummam Præfecti cujusdam publici dignitatem adipiſceretur, & non ita multo poſt A. 1559 ad Imperatorem *Ferdinandum I*, in Comitiis Auguſtanis tum commorantem, ſolenni ritu formulaque mitteretur, ubi benigniſſime exceptus, & tandem, rebus feliciter confectis, cum applauſu civium & lætiſſima gratulantium acclamatione, in patriam rediit, aureo torque ab Imperatore donatus. Naturæ debitum perſolvit A. 1572. Poſtea Cl. Editor oſtendit, nullum Autore noſtro fuiſſe aptiorem ad ejusmodi Opus hiſtoricum conficiendum, propterea quod non tantum inſigni doctrinarum copia inſtructus erat, ſed etiam, præter ſplendidiſſimum librorum apparatum, quotidie per literas cum eruditis egerat, animosque ſibi plerorumque Mæcenatum devinxerat, a quibus omnino præſidia haud ficulnea peti poterant. Nam illa eruditorum muta confabulatio animum eruditione multijuga perpoliebat; hac autem ſummorum virorum gratia efficiebat, ut liber ipſi ad tabularia Principum, urbium, atque monaſteriorum, pateret aditus, ſiquidem nemini tunc temporis ita præcluſa erat adeundi ſcrinia Principum via, ſicut noſtro ævo fieri ſolet. Quod vero non perfunctorie rem pertractaverit, ſed totum ſe rebus patriæ ſuæ conſcribendis dederit, ſatis abundeque patet ex Collectaneis Diplomatum, aliisque ad hanc rem facientibus ſcriptis, quæ magnis poſt fata voluminibus reliquit, & quæ, velut cimelia maximam partem incognita, poſtera gens, ſanguine ipſi juncta, recondidit. Cl. Editor primum mentionem injicit Deſcriptionis priſcæ & Alpinæ Rhætiæ, ab Autore adumbratæ, quæ licet inſcio & invito Autore A. 1538 Baſileæ typis exſcripta, & Latina ejusdem verſio, a *Munſtero* elucubrata, *Schardii* Scriptoribus rerum Germanicarum inſerta fuerit, nihilo minus tamen ab Autore, dum viveret, purgata nævis, aucta, ornataque egregiis annotationi-

 bus,

bus, procul dubio cum reliquis ipsius Operibus Geographicis a Cl. *Iselio* prelo subjicietur. Deinceps conscripsit Autor Tomum, de insignibus & sigillis nobilitatis priscæ Helveticæ exponentem, quem R. P. *Wülbert*, Ord. Bened. h. t. Præfectus Ecclesiæ Gurtulilensi, Collectioni suæ Diplomatum copiosæ adjiciet. Porro duos Tractatus composuit, *de igne purgatorio*, & *de invocatione Sanctorum*, qui satis superque probant Autorem sacris Romanensibus addictum fuisse, quanquam corruptos Ecclesiasticorum mores subinde in Annalibus suis admodum reprehenderit. Præsens Chronicon, quod indicandum nobis sumsimus, ita comparatum est, ut non indigeat multis verborum lenociniis, longoque laudum syrmate, sed sua se doctrina, scribendi jucunditate, & documentis fide dignis, commendet. Hinc etiam factum est, ut multoties descriptum ubivis fere tanquam ornamentum gentis Helveticæ sancte reponeretur, nec ad exteros unquam perveniret, nisi quod Illustriss. Comes *de Trautmansdorf* illud ad exemplar templi Murensis accurate descriptum Vindobonam transferendum curaverit, qui etiam Codex MStus in hac editione non neglectus, sed cum cura evolutus, multum adjumenti præbuit Cl. Editori. Ideoque mirari ne subeat Lectorem, quod in inscriptione professus sit Cl. Editor, se avtographum Codicem luci publicæ exponere. Nam, quamvis omnia studiose perquisita fuerint, ut avtographum ipsum ad manus esset, nullibi tamen illud comparuit; hinc Murensi tantum, utpote tersissimo ac idiographo ipsi non dissimili, Codice usus, properavit ad evulganda Nostri scripta, spe fretus, fore, ut, si viderint eruditi populares ipsum strenue in hoc Opere pergentem, forte inducantur, ut vel idiographum exire juberent, vel saltem cum ipso communicarent. Quæ spes etiam non inanis fuit, sed paulo post tantus scriptorum numerus confluxit, ut tres sat magnæ molis Tomos publici juris facere posset, qui res ab A. 1200 usque ad 1470 in Helvetia gestas percensent, & a *Tschudio* ipso in ordinem Chronologicum redacti fuerunt. Neque his includi terminis animus Cl. Editoris plus ultra tentandi & solertia ejus laudabilis se passa est, sed favor erga Musas *Tschudianas* ipsum impellebat, ut alium

alium ſibi compararet Codicem, ipſa Autoris manu nitide perſcriptum, cujus *prior Tomus* ab A. 1000 incipit, & ad A. 1300 pertingit. Hanc a fortuna ſibi datam occaſionem, editos jam libros ſecundum avtographa ſollicitius expendendi, ambabus manibus arripuit, & lacunas inde reliquorum librorum ſupplendi negotium ſibi datum eſſe exiſtimavit: de quibus omnibus Præfatio, huic Operi adjecta, fuſe eleganterque diſſerit. *Pars prima*, ſi inſcriptionem ſpectes, continet Hiſtoriam, ſeu potius Annales, ab A. 1000 usque ad 1414, *Libris VIII.* Quoniam vero Cl. Editor partim ex quibusdam Chronici hujus teſtimoniis, partim vero etiam ex aliis fide dignis Documentis, exploratum perſpectumque habet, Autorem non ſolum rerum inveſtigationem altius a Seculo XI, & quod excurrit, repetiiſſe, ſed & fila longius duxiſſe, & ultra A. 1440 progreſſum fuiſſe, nullis ſe deterreri ſumtibus, nulla infringi animum opera, patitur, ſed contendit, ut reſiduos etiam ingenii *Tſchudiani* fœtus ex umbra in lucem protrahere poſſit. Cujus itaque deſideriis & precibus ut quidam genti *Tſchudianæ* proxima cognatione conjunctus locum relinqueret, Noſtrum ſpe demulſit certiſſima, ſe reliquos *Tſchudii* libellos manu exaratos, inprimis Hiſtoriam Burgundici Suevicique belli, & additamenta Chronici usque ad A. 1679, ingenue cum ipſo communicaturum eſſe. Quorum cum particeps factus fuerit monumentorum, navabit operam Cl. Editor, ut literato orbi quamprimum innoteſcat talismodi liber, quali ætas noſtra non vidit perfectiorem, tum ſi dicendi genus conſideres, tum vero etiam, ſi rei gravitatem paulo accuratius perpendere non dedigneris. Prior Hiſtoria, in qua nihil prorſus immutatum eſt, ſua pulchritudine, ſuavitate, atque deliciis, ita ſibi devinciet animos lectorum, ut nullum dubium ſit, quin interius admiſſi lautitias & rerum affluentiam demiraturi ſint. Nam præcipua rerum geſtarum momenta tutis nituntur teſtimoniis, Latine pariter ac Germanice adjectis, adeo, ut, ſi quis Autoris diligentiam, fidem, & animum veritatis ſtudioſum, inficias ire auderet, hominis oppido virulenti & lividi mores proderet. Ne autem fugiat Lectorem, qui fuerint labores, qui conatus Cl. Editoris, monendum eſt, ipſum majora

majora præstitisse, quam in consilio quodam, antea evulgato, promiserat. Scilicet dispescuit totum Opus in Libros, & cuilibet Libro adjecit argumenta, porro margini succincte breviterque universum apposuit rerum complexum, deinceps calcem uniuscujusque plagulæ annotationibus exornavit, ubi plerumque multa attexuntur Diplomata, & errores Autoris emendantur, denique agmen claudit Index bene digestus, quo etiam reliqui Tomi exsplendescent. De cetero is, cujus sumtu prodiere scripta *Tschudii*, omni contentione laboravit, ut terse, eleganter, nitideque, typis exscriberentur. Quapropter non tantum curam habuit chartæ, quæ satis splendida est, sed etiam, ne quid decoris huic Editioni deesse videretur, Figuras nonnunquam æneas admiscuit.

EXCERPTA EX LITERIS N. N. AD N. N. d. 11 Febr. A. 1735 datis, de falsis & suspectis Diplomatibus in Monasterio Fabariensi, & de quibusdam Diplomatibus Chronici TSCHUDIANI.

Ablegatus, ut te sine dubio non fugit, anni præteriti autumnali tempore ad Sarunetes, ut Monasterii *Fabariensis* Documenta inspicerem, examinarem, deque eorum genuinitate juxta cum dignissimo Comitatus Sarunetani Præfecto apud amplissimos Cantonum Tigurini, Bernensis, & Glaronensis, Senatus referrem, non laboriosam magis, quam tristem, vitam duxi, eoque etiam magis ipsemet mihi invisam, quo ponderosius ipsum hoc negotium facile conjicere possem. Desudavi hactenus in formanda visorum a nobis Diplomatum idea; imo detuli nuper oretenus coram summo Ducentorum Consessu, summo quidem cum applausu, ast, ut vereor, non sine gravi Monachorum *Fabariensium* secutura invidia, & eorum forsan etiam, qui hactenus Ordini huic monastico, inprimis inter Cantones ita vocatos Catholicos, faverunt; sinceritatem, honesti viri officium, & inde fluentem veritatem, omnibus iræ & invidiæ incommodis longe prætuli; dixi, scripsi, detuli, quod rei veritas exigebat: nimirum plura, eaque præcipua, præfati Monasterii

nasterii Documenta aut manifeste falsa esse & supposititia, aut falsitatis summopere suspecta. Res, si Documentorum talium pluralitatem spectes, hactenus inaudita. Chronici *Tschudiani* apud vos Editor multis encomiis extollit quendam *Josephum Leodegarium Tschudi*, laudat etiam editum ab ipso anno præterito scriptum de Sarunetorum terra, sub titulo: *Historische Nachricht vom Sarganser Land*, omni sine dubio hunc in finem publicatum, ut per hoc ipsum exactius & jam diu meditatum a tribus Illustrissimis Cantonibus Documentorum examen impediretur. Offendit me in dicto *Tschudii* scripto temerarium, facile dixerim, *pag.* 11 assertum, quod A. 1050 ab *Henrico III, Rege, Fabariensi Monasterio concessum & donatum fuerit jus omne superioritatis territorialis super toto illo Rucantiorum districtu*, quod ex Diplomate originali se vidisse subjicit; cum e contrario *Fabarienses* Monachi uno sæpius ore affirmaverint, ipsum hoc Diploma *Henricianum* in Monasterii *Fabariensis* incendio A. 1666 flammis consumtum periisse. Vidit forte *Tschudius* ille originale quoddam, quod *Fabarienses* illi oculis nostris subjicere ob adhærentes falsitatis notas maxime sunt veriti. Circa *Friderici I* Diploma de A. 1161 *pag.* 11 Instrumentum originale allegare *Tschudius* idem nullus dubitat, cum tamen de eodem asseruerint *Fabarienses* Monachi, eodem illud incendio periisse, imo eo etiam procedit, ut citare audacter Chronicon *Tschudii* MStum, ejusque *Tomum I*, non erubescat. Nulla hujus Diplomatis mentio occurrit in copia illa MSti, quam possidet Bibliotheca civica Tigurina; quapropter audax illa citatio suspicari me fecit, copiam forte illam aliquid ad hunc annum omisisse. Ast, eandem cum exemplari nuper typis vulgato præcise convenire, miratus sum, cum e contrario idem, prorsus ut copia ista, mentionem faciat Diplomatis alicujus *Fridericiani* de A. 1158, quo *Fabariensi* Monasterio ejus privilegia fuerint, & quidem simpliciter, confirmata. Reticet novus ille *Tschudius*, non, ut opinor, sine artificio, Diplomatis *datum Erfordiæ*. Constat etenim, *Fridericum I* A. 1161 non Erfordiæ, sed in Italia, fuisse.

Monitum Collectorum Actorum Eruditorum.

Publicamus hæc Excerpta, bona fide, nobiscum ab Amico ignoto communicata, de cujus fide, non est, cur dubitemus, propterea quod Monasterium *Fabariense* non solum est illud Monasterium, quod tot falsa Diplomata, tot falsas chartas, asservat. Quin potius peropportune recordamur eorum, quæ *Rich. Simonius* in *Epist. Crit. Tom. III pag. 63* ex *Antonii Gallonii* Libro Apologetico pro assertis in Annalibus Ecclesiasticis *Cæs. Baronii*, Romæ A. 1604 impresso, excerpsit, ex quibus patet, in Monasterio Cassinensi Benedictinorum plura etiam falsa Diplomata inveniri: quæ quidem si vera sunt, ab Anonymo nostro & a *Gallonio* asserta; certe, vel nobis non monentibus, est eorum, qui Diplomata in lucem protrahunt, ut in eorum veritatem diligenter inquirant, nec spuriis ejusmodi chartis sibi aliisque imponant.

MOSIS CHORENENSIS HISTORIÆ ARmenicæ Libri III, cum ejusdem Scriptoris Epitome Geographiæ, opera & studio GULIELMI & GEORGII, GUL. WHISTONI Filiorum, Armenice & Latine editi.

Londini, apud Joannem Whistonum, 1736, 4 maj.
Alph. 2 plag. 4.

Quo rariores sunt ac pauciores Historici & alii scriptores Armeni, eo majore applausu ac laude digna est, & eo gratior esse debet reipublicæ literariæ, opera, quam nobile illud par Interpretum doctissimorum Historiæ huic Armenæ, splendide editæ, impendit, dum non solum eam ex difficili admodum lingua in Latinam vertit, sed & selectis Notis additum textum Armenicum illustravit. Luculenta etiam Præfatione insigne hoc Opus ornarunt, in qua de literatura Armenica, cujus primum hoc specimen in Anglia per eos typis vulgatur, ac versione Codicis sacri Armenica, agitur, ejus anti-

antiquitas ac præstantia laudatur, ac dictis ex Vet. & Nov. Testamento, cum ea collatis, confirmatur, in fine vero tam de ipso hujus libri Autore, qui probus, simplex, & sincerus, appellatur, & a *Nerse Clajensi* carmine historico in compendium velut redactus dicitur, quam de ejus conditione ac versione, laboreque ei impenso, differitur. Historia ipsa continet præcipue Principum Regumque Armenicorum ac Episcoporum vitas, ex quibus sequentes annotabimus: scilicet inter Principes Armenicos *Haicus* maxime clarus est, Armenicæ gentis ac linguæ conditor dictus, de quo, & aliis pluribus, ut *Araeo I & II, Anusavano, Pbareto, Arbaco*, &c. Principibus, *Libro primo* varia commemorantur *pag. 49* & *seq.* Primus Armenorum Rex fuit *Paroerus*, de quo *pag. 58*, & aliis, qui ei successerunt, ut *Phasiao, Pharnua, Pazoezo, Babio, pag. 74, Aravano pag. 75*, usque ad *Vahem*, ab *Alexandro M.* devictum, agitur. Post hujus mortem in Armenia interregnum per ducentos circiter annos fuit. Dein ex Regibus Armeniorum Arsacidis fuerunt *Valarsaces pag. 21, 86, 93, Arsaces I, Artases I, pag. 102, 104, Tigranes II pag. 108, 118, Artavanus I pag. 119, Arsamus pag. 122, 125, Abgarus pag. 126, 141, Sanatruces pag. 142, 146, Ervandus* II *pag. 147, 158*, & reliqui successores usque ad *Artasiren*, Regem vigesimum sextum, qui in serie Principum ac Regum, annexa, & ex Autore decerpta, *pag. 391* & subsequentibus porro nominantur, ac in Notis adjectis, ut in ipso Opere eorum vitæ ac res gestæ, amplius illustrantur. Ex Episcopis Armenicis sunt *Gregorius, Illuminator* dictus, *pag. 224, 225, Aristaces, Vertanes, Jusicus, Pharneses, Nerses Magnus, Isaacus* I, *Zavenus, Aspuraces, Isaacus II Magnus*, cujus tempore *Mesrobes*, literarum Armenicarum inventor, floruit, *pag. 291*, & nonnulli alii, qui in allegata serie simul recensentur. Historiæ huic adjuncta Epitome Geographiæ ab eodem Autore ex *Pappi* Alexandrini Commentariis depromta fuit, quam *Uscanus*, Episcopus, qui versionem *Haicanam* edidit, in lucem primus protraxit, quod tamen Opusculum nimis jejunum ac inconditum, atque a librariis mendosissime depravatum esse, judicant Clarissimi Editores, qui & Appendicem addiderunt, quanquam

diversi prorsus sit argumenti, nempe duas Epistolas Armenicas, primam Corinthiorum ad *Paulum*, Apostolum, alteram *Pauli*, Apostoli, ad Corinthios, nunc primum ex Codice MSto plene ac integre divulgatas, ac Græce simul ab iis versas, de quibus tamen, an probæ, an germanæ, sint, ipsi addubitant *pag.* 22 in Præfatione, ibique, & in antecedentibus paginis, doctissimum *Crozium*, qui ipsis in hoc Opere luci publicæ exponendo adjumento fuit, merito collaudant.

JAC. PERIZONII ORIGINES BABYLOnicæ & Ægyptiacæ. Editio secunda, cui Præfationem, & alia quædam, addidit CAROLUS ANDREAS DUKERUS. Accedit Tomo II HIERONYMI VAN ALPHEN Dissertatio de Annis Judicum Hebræorum.

Tomi II.

Trajecti ad Rhenum, apud Justum Reers, 1736, 8.
Alph. 2 plag. 20.

Cum jam hunc *Perizonii* per se sat vendibilem libellum, novo aliquo ornamento auctum, denuo in publicum emittere decrevisset Bibliopola, cujus in eam rem opera uteretur, potissimum invenit *Dukerum*. Qui, pro sua, qua gloriatur, cum *Perizonio* amicitia, has partes ita executus est, ut in Præfatione inexpectatam ejus defensionem institueret. Ubi adversarium primum cum sibi deposcat *Gronovium*, satis æquo jure cum eo nobis contendere videtur. Nam, cum unam alteramve *Perizonii* reprehensionem non injustam pronuntiasset, reliquas in Observationibus ad *Herodotum* invidia quadam & malevolentia passim frustra captatas, evincit. Quod se maxime invitum facere cum dicit, alios mirari non vult, si eos aliqua temere in *Perizonium* jacientes sibi sumat confutandos. Nos tamen maximopere miramur, cur humanitatis atque officii erga mortuos, qui nunquam male, quin potius occasione plus una optime, de nobis meriti fuerunt, oblitus *Dukerus*, Virum inter Germanos optimum, *Jo. Burchardum Menckenium*, cujus

cujus pios manes reverenter habebit, dum literis conflabit honor suus, Germania nostra, incessere non dubitet. Et, si ea, quæ crimini dat, diligentius excutimus, ridiculas plane eas deprehendimus molitiones, quibus famam tueri ille *Perizonianam* laborat, rem tanta animi contentione gerens, quantam vix adhibet Circe aliqua, *una laboranti cum vult succurrere lunæ*. Quantum tricatur, atque se in omnes partes vertit, ut magnam exinde conficiat calumniam, si mulcta *Perizonio* dicta fisco affirmetur illata, cum *Hubero* potius in æstimationem injuriarum cesserit. Pugnat sane gladiatorum more *Dukerus*, qui, ut fortes videantur inspectantibus, magnis ictibus ventos medios, non hominem, feriunt. Putes, Viro senescenti jam ingenium hebescere, ut bonas chartas nugis futilibus implere, quam abstinere prorsus a scribendo, malit. Sed enim, si dicendum, quod res est, solet hoc tempore pessimi exempli mos tales Præfationes faciendi aut hæredibus aut bibliopolis mediocri pretio aut commodo tribui. Rectius pietatis titulum prætexuisset *Dukerus*, si in his, quibus famam petit *Menckenii* nostri, æque justas causas habuisset, atque habuit in iis, quæ duo de natione Diariorum confectrice impudenter finxerant. Ceterum tam ea quæ *Perizonius* ipse voluit, suis locis inseruit, quam indicavit quædam, de quibus contra *Perizonium* disputatum est. Ex *Jamesonii* quoque Spicilegio Antiquitatum Ægyptiacarum ea, in quibus Autori cum *Perizonio* non convenit, unicuique loco subjecit. Idem *pag. 130 Tom. I* pulchram de Tyro & Palætyro disputationem ex *Relandi* Palæstina repetiit. *Hieronymi van Alphen* Dissertatione vindicatur vetus lectio sacri Codicis *1 Reg. VI, 1*, contra *Perizonii* correctionem, explicaturque locus *Actor. XIII, 20*, novo modo: de qua tota hoc habemus dicere, eam maxime fore in rem Theologorum.

CAROLI LINNÆI, DOCTORIS MEDICINÆ, Fundamenta Botanica, quæ, majorum Operum prodromi instar, theoriam scientiæ Botanices per breves Aphorismos tradunt.

Amstelodami, apud Salomonem Schouter, 1736, 8.

Plag. 3.

Clarissimus Autor, rei herbariæ novam lucem allaturus, in Fundamentis hisce suis quædam nova adjecit, plurima, jam ab aliis tradita, nova dictione declaravit. Habitum plantarum externum, a modo crescendi, foliis, caule, radicibus, definitum, haud obscure pro charactere constituendo admittit. Potissimum tamen *Petri Magnolii*, Montepessulano defuncti, vestigia secutus, calycem methodi suæ fontem habet, ea exequi statuens, quæ clarus ille vir imperfecta reliquerat, unde se & *Magnolium* Calycistas appellare suevit. In flore quatuor recenset partes, Calycem, Corollam, Stamina, Pistillum. Corolla eidem est, quod vulgo petala floris dicitur, unde, si qui a petalo definitionum suarum primordia trahunt, Corollistæ appellantur. Calyx eidem vel perianthium est, vel involucrum, vel spatha, vel gloma, vel amentum, vel calyptra. De calyce suo, quamvis florem fructumque ipsum intactum haud relinquat, sequentia habet: *Calyx in tot segmenta, quot Corolla, seu flos ipse, dividitur: Stamina huic numero respondent: Stamina antheris suis bilocularibus instruuntur;* nempe, de floribus androgynis & masculis id intelligendum esse, arbitramur. Nam, quod ipse in *Musa* sua *Cliffortiana*, quam *Mense* proximo laudabimus, *pag. 18* dixerat, florum Hermaphroditico-fœmineorum stamina antheris destituuntur. Pistilli divisio cum pericarpii loculis convenit. Aliis Calyx angustior est, aliis amplior, his, prout decet, Corolla minor est, illis, prout in Tragopogone, Corollam excedit. Calyx interim a receptaculo discrepat, hoc petala floris sibi infixa sustinet, cujus centrum germen eidem dicitur; hujus apici stilus insidet, cujus summitas stigma est: germen fit pericarpium, receptaculum floris germini, vel subnascitur, vel circumnascitur, vel supernascitur; Calyx hoc pericarpium semper sustinet. Calyx differt quoad numerum, compositionem, partes, lacinias, æqualitatem, figuram, marginem, extensionem, locum, persistentiam. Stamina, quæ calycis pars sunt, florum petalis deciduis quandoque superesse solent, exceptis, quorum parietibus infiguntur, qui etiam propterea non decidui sunt. Polypetali vel Monopetali eleganter admodum sub examen revocantur, Filamentorum numerus instruitur, figura, proportio, situs, declaratur. Pistilla, quandoquidem

ex

ex germine, seu receptaculi centro, prodeunt, hoc sensu ad Calycem pertinebunt, quo ipso methodus a Calyce desumta eo majorem hab tura est ambitum, corruetque duplex fructificationis ex pistillo vel calyce modus, omni fructu ex calyce futuro. Interim flores ipsi, seu floris Corolla, a simplicitate & compositione, eidem definitur. Ingeniosus maxime est in sexu florum stabiliendo: de quo arduo negotio sequentia notat: *Omnis planta ex ovo, semina plantarum ova vegetabilia, existunt: Plantula seminalis est cotyledon, vel placenta ipsius herbæ; nullum ovum, adeoque nec vegetabile, nisi fœcundatum, fertile habetur: Flos organa generationis secum fert: Fructus partus est: Antheræ plantarum sunt genitalia mascula, calyx thalamus, Corolla auleum, filamenta vasa spermatica, Antheræ testiculi, Pulvis genitura, stigma vulva, stilus vagina, germen ovarium fœcundatum.* Quo comparationum lusu terram plantarum ventriculum, radicem earundem vasa chylifera, truncum ossa, folia pulmones, plantam animal inversum, effecit. Plantas, quæ floribus masculis gaudent, mares, fœminis fœminas, utrinque mixtis hermaphroditos, masculinis & fœminis, sed separatis, Androgynas, hermaphroditis & masculinis, sed separatis, hybridas, floribus plenis, utpote quibus aliquando nulla sunt semina, evnuchos, declaravit. De methodo in genere & usu characterum eleganter differit. Ducentesimus illius Capitis, & qui hunc excipit, Aphorismus Neotericis, nomina plantarum temere mutantibus, scriptus esse videtur. De eo, quod justum est circa nominum impositionem, ita ratiocinatur: *Genuinis saltem Botanicis id in potestate est, interim genuinorum Tournefortii, quis enim dubitat, & aliorum elocutiones proscribuntur, illæ potissimum, quæ cides sonant, aliæque: Durum est, mutare, quod per secula invaluit, plurimorum in arte peritorum consensu constat, inter omnes vulgatissimum est, aptum in visceribus significandi valorem obtinet, cum analogia nihil pugnat,* & *a paucioribus impugnatur.* Debentur interim Clarissimo Autori, quas ingenio artis cogitandi & ordinum instituendorum peritissimo meruit, laudes, de cujus ulterioribus, ad salutem reipublicæ herbariæ spectantibus, conatibus eidem impense gratulamur.

CAROLI

CAROLI LINNÆI, DOCTORIS MEDICINæ, Systema Naturæ, sive Regna tria Naturæ Systematice proposita per classes, ordines, genera, & species.

Lugduni Batav. apud Theodorum Haack, 1735, fol. forma patente.
Constat Tabulis 7.

Quam in Aphorismis suis sparsim proposuit Autor Clariss. methodum plantarum novam, sequens, qua hoc Naturæ Systema exhibetur, Tabula uberrime docet:

NUPTIÆ PLANTARUM. Actus generationis incolarum Regni Vegetabilis. *Florescentia.*

A) PUBLICÆ. Nuptiæ coram toto mundo visibili aperte celebrantur. *Flores unicuique visibiles sunt.*

a) MONOCLINIA. Mariti & uxores uno eodemque thalamo gaudent. *Flores omnes hermaphroditi sunt, & stamina cum pistillis in eodem flore.*

α) DIFFINITAS. Mariti inter se non cognati sunt. *Stamina nulla sua parte connata inter se sunt.*

א) INDIFFERENTISMUS. Mariti nullam subordinationem inter se invicem observant. *Stamina nullam accuratam proportionem longitudinis inter se invicem habent.*

ב) SUBORDINATIO. Mariti certi reliquis præferuntur. *Stamina duo semper reliquis breviora sunt.*

β) AFFINITAS. Mariti propinqui & cognati sunt. *Stamina cohærent vel inter se invicem aliqua sui parte, vel cum pistillo.*

b) DICLINIA. A δὶς, bis, & κλίνη, lectus, thalamus. Mariti seu fœminæ distinctis thalamis gaudent. *Flores masculini vel fœminini in eadem specie.*

B) CLANDESTINÆ. Nuptiæ clam instituuntur. *Flores oculis nostris nudis vix conspiciuntur.*

Gene-

Genera inferiora, quæ fummis hifce fubfunt, hoc incedunt ordine:

INDIFFERENTISMUS continet

I. MONANDRIA. Α μόνος, unicus, & ἀνὴρ, maritus. Maritus unicus in matrimonio. *Stamen unicum in flore hermaphrodito.*

II. DIANDRIA. Mariti duo in eodem conjugio. *Stamina duo in flore hermaphrodito.*

III. TRIANDRIA. Mariti tres in eodem conjugio. *Stamina tria in flore hermaphrodito.*

IV. TETRANDRIA. Mariti quatuor in eodem conjugio. *Stamina quatuor in eodem flore cum fructu.* Obf. *Si Stamina duo proxima breviora funt, referatur ad Claffem 14.*

V. PENTANDRIA. Mariti quinque in eodem conjugio. *Stamina quinque in flore hermaphrodito.*

VI. HEXANDRIA. Mariti fex in eodem conjugio. *Stamina fex in flore hermaphrodito.* Obf. *Si ex his Stamina duo oppofita breviora, pertinet ad Claffem 15.*

VII. HEPTANDRIA. Mariti feptem in eodem conjugio. *Stamina feptem in flore eodem cum piftillo.*

VIII. OCTANDRIA. Mariti octo in eodem thalamo cum fœmina. *Stamina octo in eodem flore cum piftillo.*

IX. ENNEANDRIA. Mariti novem in eodem thalamo cum fœmina. *Stamina novem in flore hermaphrodito.*

X. DECANDRIA. Mariti decem in eodem conjugio. *Stamina decem in eodem flore cum piftillo.*

XI. DODECANDRIA. Mariti duodecim in eodem conjugio. *Stamina duodecim in flore hermaphrodito.*

XII. ICOSANDRIA. Ab εἴκοσι, viginti, & ἀνὴρ. Mariti viginti communiter, fæpe plures, raro pauciores. *Stamina* (non receptaculo) *calycis lateri interno adnata.*

XIII. POLYANDRIA. A πολὺς & ἀνὴρ. Mariti viginti & ultra in eodem cum fœmina thalamo. *Stamina a 15 ad 1000 in eodem, cum piftillo, flore.*

SUBORDINATIO:

XIV. DIDYNAMIA. A δὶς, bis, & δύναμις, potentia. Mariti quatuor, quorum 2 longiores, & 2 breviores. *Stamina quatuor, quorum 2 proxima longiora funt.*

XV. TETRADYNAMIA. Mariti sex, quorum 4 longiores in flore hermaphrodito. *Stamina sex, quorum 4 longiora, 2 autem opposita breviora.*

AFFINITAS:

XVI. MONADELPHIA. A μόνος, unicus, & ἀδελφός, frater. Mariti, ut fratres, ex una basi proveniunt. *Stamina filamentis in unum corpus coalita sunt.*

XVII. DIADELPHIA. Mariti e duplici basi, tanquam e duplici matre, oriuntur. *Stamina filamentis in duo corpora connata sunt.*

XVIII. POLYADELPHIA. Mariti ex pluribus, quam duabus, matribus orti sunt. *Stamina filamentis in tria, vel plura, corpora coalita.*

XIX. SYNGENESIA. A σὺν, simul, & γέννησις, generatio. Mariti cum genitalibus fœdus constituerunt. *Stamina antheris (raro filamentis) in cylindrum coalita.*

XX. GYNANDRIA. A γυνὴ, fœmina, & ἀνὴρ, maritus. Mariti cum fœminis monstrose connati. *Stamina pistillis* (non receptaculo) *insident.*

DICLINIA:

XXI. MONOECIA. A μόνος, unicus, & οἰκία, domus. Mares habitant cum fœminis in eadem domo, sed diverso thalamo. *Flores masculini & fœminini in eadem planta sunt.*

XXII. DIOECIA. Mares & fœminæ habitant in diversis thalamis & domiciliis. *Flores masculini in diversa planta, a fœmininis nascuntur.*

XXIII. POLYGAMIA. A πολὺς, & γάμος, nuptiæ. Mariti cum uxoribus & innuptis cohabitant in distinctis thalamis. *Flores Hermaphroditi & masculini vel fœminini in eadem specie.*

CLANDESTINÆ:

XXIV. CRYPTOGAMIA. A κρυπτὸς, occultus, & γάμος, nuptiæ. Nuptiæ clam celebrantur. *Florent intra fructum, vel parvitate oculos nostros subterfugiunt.*

ORDI-

ORDINES a Fœminis, seu pistillis, ut classes a Maribus, seu staminibus, desumuntur; in classi Syngenesiæ autem a ceteris parum differunt Ordines. E g.

MONOGYNIA, Digynia, Trigynia, Tetragynia, &c. a γυνὴ, fœmina, præpositis numeris Græcis μόνος, δὶς, τρεῖς, τέσσαρες, &c. i. e. *Pistillum 1, 2, 3, 4, &c. Numerus hic pistilli desumitur a basi stili; si stilus autem deficiat, a numero stigmatum calculus fit.*

MONOGAMIA, constat multis nuptiis, conjugia pura contrahentibus; i. e. *multis flosculis, staminibus, & pistillis, instructis. Flores ejusmodi maximam partem vulgo* compositi *dicuntur.*

POLYGAMIA, ubi thalami vere nuptorum discum occupant, & ambitum cingunt thalami meretricum, maritis destitutarum, ut a maritis uxoratis fœcundentur; i. e. *ubi flosculi Hermaphroditi discum occupant, & marginem cingunt flosculi fœminini, staminibus destituti, idque triplici modo*:

α) SUPERFLUA dicitur, cum fœminæ maritatæ fertiles sunt, ac familiam propagare queunt, adeo, ut meretricum auxilium videatur superfluum; i. e. *cum flores disci Hermaphroditi stigmate instruuntur, & semina proferunt, flores quoque fœminini, radium constituentes, similiter semina ferunt.*

β) FRUSTRANEA dicitur, cum fœminæ maritatæ fertiles sunt, & speciem propagare queunt; meretrices autem ob defectum vulvæ, veluti castratæ, impraegnari nequeunt; i. e. *cum flores disci Hermaphroditi stigmate instruuntur, & semina proferunt, flosculi vero, radium constituentes, cum stigmate careant, semina proferre nequeunt.*

γ) NECESSARIA dicitur, cum fœminæ maritatæ, ob genitalium labem & vulvæ defectum steriles, familiam propagare nequeunt; meretricibus autem, a maritis fœcundatis, uxorum locum supplentibus, sobolemque læte propagantibus; i. e. *cum flores Hermaphroditi, ob*

defectum stigmatis pistilli, semina perficere nequeunt; floribus autem fœmininis in radio semina perfecta proferentibus.

Uniuscujusque familiæ genera subalterna, inferiora, infima, peculiaribus Tabulis depinguntur. Idem facere aggressus est in reliquis naturæ regnis. Mineralium sicut elegantem in itinere Suecico sibi comparaverat cognitionem, ita de singulis Fossilium productis apte cogitare, & scienter eloqui, potuit: prout sequens Tabula synoptica docet:

I. Petræ.	II. Mineræ.	III. Fossilia.

I

Petræ.

Apyræ incombustibiles.

Asbestus.

Suber montanum.

Aluta montana.

Caro fossilis.

Amianthus.

Linum incomb.

Al. plum. off.

Amianth. immat.

Pseudo - Amianthus.

Ollaris, seu Lebetum lapis.

Talcum officinarum

Aureum.

Mica.

Sterile nigrum.

Mica vulgaris.

Vitrum Moscoviticum.

Calcariæ, igne in farinam dehiscentes.

Schistus

Vulgaris.

Tegularis, Ardesia.

[illegible]

Petræ.

Spathum

lamellatum.

vulgare.

Crystallus Islandica.

Marmor

variegatum, polyzonias, Serpentinus, Lazulus, &c.

Gypsum, Alabastrum, Lapis Calcarius.

Vitrescentes.

Cos

Arenarius.

Coticula.

Vitrum.

Silex.

Pyromachus, Calcedonius, Jaspis, Carneolus, Malachites, Turchesia, Sardius, Achates.

Quarzum.

Pseudo - Topasius,

Pseudo-

Pseudo-Rubinus, Pseudo-Amethystus, Pseudo-Saphirus, Pseudo-Smaragdus, Pseudo-Beryllus.

II.

Mineræ.

Salinæ.

Nitri.

Maris, vel salis Alcalino-acidi.

Aluminis.

Vitrioli.

Omnes variis vel Prismaticis, vel Hexaedris, vel Tessellatis Rhomboidalibus &c. Figuris.

Sulphureæ.

Electrum, Bitumen, Pyrites.

Arsenicum.

Mercuriales, quæ fusa igne Metalla dicuntur, Hydrargyrus, Stibium, Zincum, Bismuthum, Stannum, Plumbum, Ferrum, Cuprum, Argentum, Aurum.

Hasce Mineras studio ab earundem venis, &, quibus continentur, matricibus, divisit, siquidem de his peculiari Tabula agitur.

III Fossilia.

Quæ prægnantia sunt

Lapidibus pretiosis, Crystallo, Topasio, Rubino, &c.

Salibus Metallicis.

Vitriolo Cupri.

Vitriolo Martis.

Bituminibus.

Naphta, Petroleo, Maltha, Asphalto, Gagate, Carbone fossili.

Sulphuribus.

Sulphure nativo, Auripigmento, pyrite, vel Marti, vel Veneri, juncto.

Arsenico.

Pyrite Arsenicali, Cobalto, nigro, rubro.

Quæ prægnantes sunt Hydrargyro.

Minera Mercurii, Cinnabaris nativæ.

Antimonio, Zinco, Calaminari, Molybdæna, Cobalto, Vismutho.

Stanno.

Vulgari, polyedra, Granato sæpius.

Plumbo, quorsum pertinet Galena tessellata, Mineræve Saturni reliquæ.

Ferro, quod ſtatim ſuum eſt, vel puro, Magnete, Hæmatite Schiſti nodo, quem Nucleum hæmatiditis appellare placuit.

Cupro, nativo, azureo, vitreive coloris.

Argento.

Nativo, vel ſuis venis contento.

Auro nativo, aliove.

Sequuntur 1) Foſſilia, particulis mineralibus mixta.

Terræ, Argyllæ, Boli, Arenæ, Ochræ, Chryſocolla, viride montanum, Rubrica, Creta Lithomarga.

2) Concreta, Coalita, Pumex, Stalactita, Tophus, Saxum, Steatites, ipſe Tartarus cum Calculo Animalium.

3) Petrificata.

Graptolithi, regionum, arborum, urbium, ſimulacra ferentes.

Phytolithi, plantarum imaginibus impreſſi.

Helmintholiti, vermium formis notati, forte & concholithi.

Entomolithi, qui inſectorum formas inducunt.

Ichthyolithi.

Amphibiolithi, Anguium, Lacertarum, Ranarum, quorſum & Ornitholithi & Zoolithi, qui integri animalis quadrupedis figuram arguunt, vel partis cujusdam animatæ ſymbolo notantur.

Animalium ampliſſimas confecit Tabulas, ſingulæ eorundem familiæ diſtinctum characterem adjudicans. Homini, quem quadrupedibus, corpore hirſuto, fœmella vivipara & lactifera, dentibus primoribus quatuor, accenſet, ſocios dat ſimias, a quibus Tardigradus ita dictus, ſolo digitorum numero, nam duo vel tres in utroque pede ipſi ſunt, utrinque diverſi. Ex feris dentes primores ſex obtinent, ex quibus urſus anthropomorpho generi vicinior habitus fuit, cum talo inſiſtat, pollice extus poſito, reliquæ ſingulari ſigno a mammarum numero, digitorum conditione, unguium habitu, caudæ dimenſione, deſignantur. Dentibus exſertis, animalia duabus mammis inguinalibus inſtructa ſunt quædam, quædam decem, ut ſus, in qua claſſe equus hippopotamus, elephas, ungulis omnes, diſcrepant. Pecora dicuntur, quæ ruminant, dentibus gaudent primoribus inferioribus tantum,

camelo

camelo solo incorni. Avium classes instruuntur e digitorum anteriorum & posticorum numero, Uropygii qualitate, pennarum remigum dimensione, rostri, unguium, capitis, forma. Pisces hoc ordine incedunt: Familiæ cetaceæ cauda est horizontalis dorso impenni, excepto delphino, & aliquibus balenis, Cartilaginei *Aristoteli* dicti omnes quinque branchiis respirantes, vel septem, cum Acipensere chondropterygii, id est, pinnis cartilagineis instructi, dicuntur, inde a definita pinnarum conditione termini, malacopterygiorum, Acanthopterygiorum, & sic porro, enascuntur. Insectorum classes eleganter admodum adornat, servata in coleoptera, seu vaginipennia, anangioptera, nudipennia, hemiptera, semipennia, & aptera, & impennia, subdivisione. Genera intermedia postea constituuntur ab antennarum, capitis, rostri, caudæ, conditionibus, vel corporis ipsius figura. Vermes generico nomine recensentur omnia animantia, quorum musculi corporis alicui basi fixæ implantantur. Crustæ aut domicilii speciem ferunt reptilia, annulis cincta, testacea, ostracoderma, zoophyta, in quibus recensendis ordinem majorum parum mutavit; dignus, cui hecatombe mactetur.

MACHINES ET INVENTIONS, APPROUVées par l'Academie Royale des Sciences &c.

h. e.

MACHINÆ, ET INVENTA, APPROBATA ab Academia Scientiarum Regia, inde a sua fundatione ad nostra usque tempora; una cum illorum Descriptionibus. Delineata ac publicata, consensu Academiæ, per GALLONUM.

Tomus II.

Parisiis, apud Gabr. Martin, Jo. Bapt. Coignard, fil. & Hippolyt. Lud. Guerin, 1735, 4 maj.
Alph. 1 plag. 1, Tabb. æn. 72.

Egregii hujus Operis haud ita pridem *Tomum primum* lustravimus; jam ad *secundum* convertimur, quo illæ continen-

tinentur Machinæ, quæ inde ab A. 1702 ad 1713 excogitatæ fuerunt. Anno 1702 Academia approbavit sequentes: 1) Ergatam, (*un Cabestan,*) pro usibus navium, inventore *de Madelaine.* Composita hæc ergata est, quoniam tympano instructa est, quod a rota radiata impellitur; sed pro re nata etiam ut simplex usurpari potest. Lentior ejus est motus, quam qui anchoris promte attollendis sufficiat; sed in iis casibus usum præstare potest, quando vires ergatæ communis non sufficiunt, nec de velocitate motus agitur. 2) Aliam ejusdem fere generis & structuræ Ergatam, autore *de Bourges.* 3) Machinam, quæ inservit navibus ad littus trahendis, inventam a *du Mé*, & satis ingeniosam. Quatuor sunt Ergatæ, tympanis instructæ, (*Cabestans a lanterne,*) simul circumagendæ. Plano, cui insistunt, alligati sunt quatuor funes, ad totidem anchoras fixi. Quando Ergatæ versantur, trahuntur alii quatuor funes, totidem Polyspasti, horizontaliter positos variis flexibus transeuntes, qui ope trium trochlearum grandium, funiumque, ipsis annexorum, in littore firmantur, & hac ratione navis semper versus littus protruderur. Applicatio virium in hoc a Polyspastis ordinariis differt, quod fiat in ipso illo plano, in quo est onus, cum id vulgo contraria ratione fiat. Magna virium augmenta hæc machina producere poterit, pro multitudine funium, in Polyspastis circumeuntium; sed, nisi summa cura omnia peragantur, effectus vel a vacillationibus navis perpetuis, vel disruptione funium, vel dentium in rotis, quæ Ergatas impellunt, sufflaminari potest. Sperat tamen Cl. Editor, remedium hisce defectibus afferri posse. 4) Machinam elevandæ aquæ aptam, a *Gayo* propositam. Structura ejus magnam partem ex *Ramellio* desumta est, & laborat frictionum incommodis. 5) Vectem, ope rotæ dentatæ agentem, (*Levier a roue dentée,*) inventum a *de la Garouste.* 6) Alium ejusdem generis vectem, autore eodem. Major hic est rotarum dentatarum numerus; nec tamen hic vectis utilitate sua priori comparandus est, utpote cui longe cedit. 7) Alium adhuc vectem, (*Levier a Rochet,*) inventore eodem; qui præcedenti commodior videtur

detur, licet tanta virium augmenta non producat. 8) Peculiarem fenestrarum constructionem, a fabro quodam arculario, *Godofredo*, propositam, & valvis instructam, quæ, licet aliquanto sumtuosiores sint vulgaribus, maximam tamen commoditatem secum ferunt, quoniam facile complicantur, & in volumen satis parvum rediguntur, nec adeo ventorum tempestatumque furore facile disjiciuntur. 9) Loricas versatiles, (*Parapets tournans*,) propositas a *Barvillio*. Si quam utilitatem præstant, præstant in defensione viæ coopertæ, ubi loco loricarum transversarum (*traverses*) usurpari possunt, licet adeo solidæ non sint; aut in iis quoque locis, ubi occupationes improvisæ ab hoste fieri possunt. 10) Machinam, navibus adverso flumine trahendis inservientem, autore *Martenotio*. Ingeniosam illam esse, Academia pronuntiavit, sed a qua parum commodi expectari possit. 11) Sclopetum, quod in partes distribui potest, (*une Carabine brisée*,) inventore *de la Chaumette*. 12) Machinulam, pulveri pyrio probando aptam, autore *Du Mé*, officiario Pyrotechniæ. 13) Machinam, ad naves adversus flumen trahendas, autore *du Guet*. Duæ naviculæ in flumine ope pali & funis firmantur, duabus trabibus transversis junctæ, quæ sustinent axem rotæ alatæ, a cursu fluminis circumagendæ. Axi huic affigitur Trochlea, quam funis ambit, quo navis adverso flumine movenda trahitur. Dum enim rota alata vi fluminis agitatur, navis necessario adscendet. Et, quo motus magis facilitetur, alteri funis extremo alligatur alia navicula, a cursu fluminis impellenda, quæ erit instar ponderis funem trahentis, visque ejus eo major erit, quo major superficies ejus ab aqua impulsa. Judicarunt Academici, factis quoque experimentis, Machinam hancce multum habere commoditatis, quia 1) constructio simplex, nec valde sumtuosa sit, nec 2) prematur tanto funium apparatu. A. 1703 Academiæ fuerunt exhibitæ sequentes Machinæ: 1) *Thomæ* Sucula circularis, (*Cric circulaire*,) differens ab ea, quam A. 1701 proposuit, & cujus jamjam mentionem fecimus, multum tamen affinitatis habens cum illo veterum instrumento, quod *Pancratium* dixerunt. Habet hæc sucula pauciores priore rotas;

tas; nec magnum occupat ſpatium, motumque magis temperatum & uniformem producit. Subducto calculo, reperitur, potentiam 50 librarum, manubrio ejus applicatam, æquilibrium facere cum onere 360 librarum, abſtrahendo a frictionibus. Recenſetur quoque 2) Suculæ hujus applicatio ad currum quendam onuſtum, & 3) ejusdem quoque applicatio ad gruem tractoriam (*la Grue ou la Chevre*). 4) Ejusdem Cylindri cavi elateriis ſpiralibus intus inſtructi, ex quibus rhedarum lecticas ſuſpendendas eſſe cenſuit. Ob prævifas autem difficultates executioni non datæ fuerunt. 5) 6) & 7) Tres modi pro remis navium efficaciter movendis, inventi a *Camo*. Primus ingenioſe excogitatus eſt, ſed nimiis frictionum incommodis laborat, quibus Machina brevi temporis ſpatio deſtrui poteſt. Secundus in triremibus præcipue, vix autem in aliis navibus, uſui eſſe poſſet. Tertii conſtructio magis adhuc compoſita eſt, & majorem navis deviationem (*dérive*) efficit, quam quæ ope gubernaculi evitari poſſit, ut nimias quoque, quibus obnoxia eſt, frictiones filentio prætereamus. 8) Magna lampas, illuminandis noctu urbibus inſerviens, propoſita a *Favrio*. Conſtat ex quatuor Conoidibus parabolicis, in ſummitate columnæ alicujus collocatis, & in maxime eminente urbis loco. Axes Parabolarum genitricium cum horizonte parallele excurrunt. In foco cujusvis conſtituitur lampas cum receptaculo, cui oleum infunditur; & in latere oppoſito tubus eſt, per quem fumo patet exitus. Quatuor hi tubi tandem in unicum communem deſinunt, per quem fumus libere egredi poteſt. Clarum igitur eſt ex natura Parabolæ, radios lucis omnino omnes ita reflexum iri, ut axibus Parabolarum ſint paralleli. Ex quo patet, hac ratione loca urbis maxime a lampade diſſita optime illuminata fore, dum proxima parum lucis forſitan accipiunt. Præſtaret itaque, ita inclinare Paraboloides, ut axes ſint ad horizontem paulisper inclinati. 9) Machina, inſerviens navibus ad littora trahendis, inventa a *Blancharto*. Parum differt a Machina *du Mé*, de qua jam diximus, niſi diſpoſitionem ergatarum excipias. Hic enim ergatæ ſolum ſimplices adhibentur, cum ibi tympanis ac rotis denta-

dentatis inſtructæ ſint. Et, quo melius inſtitui poſſit inter Machinas haſce propoſitas, illasque, quæ in uſu ſunt, comparatio, effectuumque iniri tutior æſtimatio, Cl. Editor adjecit 10) deſcriptionem Machinæ, qua in celeberrimo Galliæ portu Breſtienſi ad naves littori attrahendas utuntur. Sex adhibentur ergatæ cum vectibus 12 pedes longis. Quatuor ergatis trahuntur totidem polyſpaſti (*mouffles*), horizontaliter poſiti, & navi alligati, quorum quilibet tres habet trochleas mobiles. Reliquæ duæ ergatæ navis directioni conſervandæ temperandæque inſerviunt, & ſine polyſpaſtis agunt. Facile igitur eſt, calculum inſtituere, quid hac Machina præſtari poſſit. Cylindri vel axes ergatarum diametrum unius pedis habent. Supponitur, vim hominis trudentis æquipollere 25 libris. Sex autem homines uni vecti adhibentur. Primus eſt in diſtantia 12 pedum a centro ergatæ, adeoque ut radius axis ergatæ ad longitudinem vectis, ita 25 libræ ad reſiſtentiam vel pondus ſuperandum, quod eſt = 599 librarum. Primæ trochleæ igitur hac ratione applicatur vis 599 librarum. Atqui conſtat, eſſe, ut unitas ad duplum numerum trochlearum mobilium, ita vim ad pondus ſuperandum. Igitur 1 : 6 = 599 : 3594, qui numerus indicat pondus, quod ope ergatæ & polyſpaſti in æquilibrio teneri poteſt. Secundus, qui vectem eundem trudit, homo, vel, ut brevius dicamus, ſecunda potentia applicata eſt 11 pedes a centro; iisdem igitur analogiis reperietur, illam æquilibrium facere cum 3294 libris. Tertia potentia 10 pedes a centro ergatæ diſtat, & per easdem regulas æquilibrium facit cum libris 2994. Quarta, quæ in diſtantia 9 pedum agit, æquilibrat ope polyſpaſti cum 2694 libris. Quinta in diſtantia 8 pedum a centro cum 2298. Sexta in diſtantia 7 pedum æquipollet oneri 996 librarum. Una igitur ergata, a ſex potentiis impulſa, æquipollet 15870 libris. Et, cum ſex vectibus quælibet ergata inſtructa ſit, ſextuplum effectum edent, adeoque æquilibrabunt cum 95220 libris. Quatuor igitur ergatæ cum ſuis polyſpaſtis ſufficient reſiſtentiæ 380880 librarum ſuperandæ. Si addatur vis duarum reliquarum ergatarum, quæ directioni navis inſerviunt, reſultabunt libræ

 412620.

412620. Jam vero onus trahitur ſuper plano inclinato, ita, ut vis parallele cum longitudine plani agat: & longitudo plani ad altitudinem, ut 300 ad 12. Fiat igitur 12 : 300 = 412620: 10315500, qui numerus exprimit onus, quod a 316 hominibus, toti machinæ applicatis, in æquilibrio teneri poteſt. 11) Machina, inſerviens globis ignitis ex fornace ad orificium usque tormenti bellici commode transportandis, autore *Bedaut*. Longe ſecurior foret hæc globorum translatio illa, quæ fit forcipibus communiter: aſt majus quoque temporis ſpatium exigit. 12) Machina, portubus maritimis purgandis idonea, autore *Gouſſeo*. Moles hujus machinæ ſat magna eſt; & accommodatior erit lapidibus, aliisque corporibus ſolidis ac ponderoſis, e mari extrahendis, quam limo amovendo. Poteſt quoque adhiberi extrahendis, quæ mari ſubmerſæ fuerunt, mercibus. 13) Modus, quo vires plurium remorum in uno ſolo uniendæ ſint, propoſitus a *Martenotio*. Remus hicce novus formatus eſt ex priſmate triangulari, quod puppi navis adaptari debet. Priſma hoc nil aliud eſt, niſi ſector Cylindricus, cujus latus ſemicirculo minus eſt. Cylindri, in quo ſectio fit, diameter debet æquari maximæ navis latitudini, altitudo autem, ſive axis, æquatur profunditati aquæ, ad quam navis deprimitur. E. g. quando latitudo navis eſt 20 pedum, & profunditas aquæ 5 pedum, habebitur cylindrus, cujus axis eſt 5 pedum, & radius 10 pedum. Quælibet igitur ſectoris cylindrici facies exhibebit rectangulum, cujus area eſt 50 pedum quadratorum. Priſma hoc cylindricum circa arborem quandam, (vel axem,) verſatile eſt, quæ ad navis uſque ſummitatem pertingit, & triangulo ferreo, ad fundum navis probe firmato, inſiſtit: in ſummitate hujus arboris applicatur manubrium, in partem utramque alternative trudendum, qua ratione motus remi hujus efficitur. Duæ ſuperficies hujus priſmatis, quæ alternis vicibus mari obvertuntur, eundem effectum præſtabunt, quem omnes remi producunt navi applicabiles. Vix autem adhiberi poterit Machina in aliis navibus, quam in iis, quæ vulgo *Fregates* dicuntur, & gubernaculi actionem liberam quodammodo impedire videtur. 14) Modus naves aggeribus

ribus superinducendi, (*de mettre un vaisseau sur la cale,*) qualis in famosissimo portu Telonienfi extructa est, excogitatus a Celeb. *de la Hirio*. Descriptio ejus habetur, ab ipso Inventore data in Commentariis Academiæ Anni 1703, quare non opus est, ut ibi jam dicta hic transscribamus. Inventa Anni 1704 sunt: 1) Machina quædam volubilis, proposita a *Destau*, cujus axis parallelopipedum est, in cujus quatuor planis disponuntur totidem bombardarum ordines, quorum quilibet ab uno homine simul explodi poterit. Prisma hoc ope duarum rotarum circumagendum est. At vix ab uno homine regi Machina poterit, cum nimium sit ejus pondus. Nec bombardæ tanta facilitate onerabuntur, quia virgæ stipatoriæ non adeo expeditus est usus. Possunt autem duæ tales Machinæ in locis angustioribus cum successu contra hostem adhiberi, ita scilicet, ut una explodatur, interea dum altera pulvere pyrio rursus oneratur. Dicunt Academici in Historia Academiæ Anni 1704, aliam ejusdem generis Machinam alio jam tempore exhibitam Academiæ fuisse. 2) Bombarda ex postica parte oneranda, autore *de la Chaumette*, qui eam non solum facilius ordinariis pulvere implendam, sed globos quoque longinquius propulsaturam esse contendit, id quod per experimenta decidi debebit. 3) Constructio aggerum cum suis portis, inventa a *de Bourgeois*, quam novam, solidam, & ingeniosam, Academia judicavit. Eum in finem præcipue excogitata fuit, quo flumina magnis navium malis deferendis apta reddantur. Portæ & canales inserviunt aquæ, quantum sat est, immittendæ. 4) Libella, quam invenit *Verius*. Satis ingeniosa est ejus constructio, sed ita complicata, ut rectificatio ejus (id quod tamen palmarium est in libellationibus,) perdifficilis evadat. Anno 1705 dignæ, quæ approbarentur, judicatæ fuerunt sequentes Machinæ: 1) & 2) Umbellæ portatiles, (*Parasols ou Parapluyes,*) inventæ a *Mario*, quæ adeo complicari possunt, ut volumen perquam parvum constituant, & in pera huc illuc transferri facile possint. Invenit autem tam rotundas, ut sunt ordinariæ, quam semi-rotundas, ut ita loquamur, & formam sectoris circularis habentes, quas prioribus præstare contendit. Umbella, quæ in spa-

 tium

tium 5 pedum extendi poteſt, complicabitur in volumen 14 digitorum. Imo conſtrui etiam ſic poſſunt, ut umbella rotunda, cujus diameter eſt 6 pedum, & ſub qua adeo menſam aliquam collocare licet, in ſpatium unius circiter pedis redigi poſſit. 3 & 4) Ejusdem Tentoria, ex partibus facile disjungendis compoſita, (*Tentes briſées*), formæ tam rotundæ, quam quadratæ. Utilitas eorum hæc eſt, quod ſint ſatis ſolida, poſtquam tenſa fuerunt, & quod ſpatium interius omnino liberum relinquant; quod facile complicari, & in volumen anguſtum cogi queant, nec pondere ſuo onerosa ſint, ex paucioribus quippe partibus compoſita, quam ſunt tentoria, quibus hodie utimur, adeoque facile, quo volueris, transferri poſſint. 5 & 6) Duæ iterum bombardæ, a poſtica parte pulvere pyrio onerandæ, inventore *de la Chaumette*. Poſterioris conſtructio uſibus accommodatior eſt priore, quoniam longe promtius onerari poteſt. 7) Micrometron novæ conſtructionis, inventum a *le Fevre*, inſtrumentorum Mathematicorum fabricatore. Integram ejus ſtructuram hic transſcribere, ſpatii prohibemur anguſtia, imo quoque ſupervacaneum id eſſet, cum nullis adhuc uſibus adhibitum fuerit. Diviſio ejus ita ingenioſe excogitata eſt, ut motus filorum exacte & ſine fractionibus ſemper reſpondeat minutis & ſecundis, licet in Teleſcopiis differentibus adhibeatur. Eadem diviſio, modo numerationem mutaveris, inſervit diametris ſolis & lunæ in 20 & 20 digitorum ſecunda diſtribuendis, licet variabiles ſint in ipſo obſervationis tempore. Notamus ſolummodo, diviſionem in 60 partes eſſe factam in regula aliqua, ut & diviſionem de o usque ad 12 in 5 & 5 partes, quæ pro digitis eclipticis adhibetur. Regula hæc circa centrum mobilis eſt, ut inclinatio ejus ſemper mutari poſſit, pro re nata, donec diviſiones exacte cuidam extenſioni (e. g. diametro ſolis vel lunæ) obſervatæ reſpondeant; deinceps ope cochleæ regula in ſitu hoc conſervari poteſt. Ea eſt adhuc Micrometri hujus opportunitas, quod in iis caſibus uſum præſtare poſſit, in quibus promtus requiritur motus, id quod in ordinariis fieri nequit. Annus 1706 hæc tulit inventa: 1) Modum ſortiendi, (*Maniere de tirer*

les

le[illegible]*eries,*) inventum a *d'Aubicourt*, quem tutum & expeditum e[illegible]ctis experimentis, contendit. 2) Catenam ſine fine, propoſitam a *Martenotio*. Non eſt prorſus nova, ſed ſimiles reperiuntur apud *Ramellium*. Deſcribitur una pro trahendis horizontaliter oneribus, & alia ejusdem generis pro elevandis. Utilis autem eſſe poteſt, modo exacte fabrefiat, & plus præſtare poteſt, quam ſimplex axis in Peritrochio. 3) Cultri facile complicabiles, autore *de la Chaumette*. Ingenioſum eſſe inventum, Academia pronuntiavit. 4) 5) 6) & 7) Varia inſtrumenta acuſtica, hominibus ſurdis præcipue inſervientia, autore *du Quet*. Primum eſt cornu, formam coni truncati habens, cujus baſis major permultis foraminulis, ſibi invicem quamproximis, pertuſa eſt; ei afferruminatur tubus, ſuperne horizontaliter recurvus. Inferius hujus coni truncati latus, quod Autor pelvim appellat, eſt paraboloidicum, ita, ut axis & focus parabolæ genitricis jaceant in plano baſis majoris coni. Baſis pertuſa ſono obvertenda eſt, qui ejus ope fortior reddetur, & cavitas paraboloidica, utpote radios ſonoros axi parallele reflectens, ad id plurimum contribuit. Ope tubi afferruminati ſonus ad aures deferetur. Secundum a primo non differt, niſi in applicatione, quæ ad baculum quendam vel arundinem fieri poteſt. Tertium iterum non differt, niſi quod ſuper pileo geſtari poſſit. Quartum, ex iisdem prorſus principiis conſtructum, fœminarum præcipue uſibus deſtinatur. Quintum, idem fundamentum habens, pectori applicandum eſt, & ope tubi ſonum ad meatum auditorium deferet. 8) Ejusdem Machina, augendæ vi ſoni inſerviens. Eſt Conoides parabolicum, cujus ſectio ſuperior iterum foraminulis quamplurimis pertunditur, & cui immittitur tubus, ultra ſectionem prominens, & ſuperne recurvus, ut auri facile applicari poſſit. Pars tubi intra conoides latior eſt, ut formam infundibuli habeat. Radii igitur ſonori in focum Parabolæ (ſi ſcilicet paralleli ſunt axi,) reflectentur, adeoque ibi colligentur, ſonumque concentrabunt, qui deinceps ope infundibuli ac tubi ad aurem deferetur. Hæc Machina ſua conſtructione & effectu omnibus reliquis palmam præripit. 9) Ejusdem Sella

pro

pro hominibus surdis, quæ nil est nisi instrumentorum, de quibus diximus, acusticorum ad parietes sellæ applicatio. 10) Machina pro elevandis oneribus, inventa a *Thoma*, quæ alia solum est applicatio suculæ circularis, cujus ad A. 1703 jam mentionem fecimus. Machina non est prorsus nova, nec multum utilitatis habet. En Anni 1707 inventa: 1) Constructio Molendini, quod inservit antliis navium efficaciter impellendis, proposita a *du Quet*. Rota circumagitur per impulsum alarum contra mare, adeoque per resistentiam aquæ; itaque hæc vis pro velocitate navis intendetur aut remittetur. Axis rotæ intra navem manubriis instruitur, quæ impellunt antliarum embolos. Hac ratione multum aquæ exhauriri sine hominum opera poterit. Judicavit Academia, Machinam in theoria bonam esse, & executioni in multis occasionibus dari posse; in quibusdam vero orituras esse difficultates, de quibus consulendi forent Viri rerum nauticarum periti. 2) Lectica portatilis, (*Chaise à Porteurs*,) inventa ab Abbate *Wilin*, quæ ab iis, quibus vulgo utuntur, in eo differt, quod omnem, quem volueris, situm facile capiat. Homo enim, in ea collocatus, ope manubrii ac duarum in quolibet latere rotarum dentatarum lecticam nunc attollere, nunc deprimere, valet, ita, ut sui respectu in situ semper recto conservetur. Putat Cl. Editor, frictiones commoditati motuum in hac Machina, alias ingeniosa, plurimum obesse, & pondus lecticæ hac ratione justo majus evadere. 3) Machina, navibus adverso flumine trahendis apta, inventore *Laviero*. Judicavit Academia, illam multis in rebus novam, & satis ingeniose excogitatam esse. In anteriori navis parte collocatur (perpendiculariter ad latera navis,) axis libere circumvolvendus, cui extra navem jungitur in quolibet latere rota aquaria, fluminis cursu circumagenda. Propius ad navem axi huic ex utraque parte insiguntur duæ virgæ *(Barres)* ad angulos rectos, & in suis extremitatibus in uncos curvatæ. Quando itaque rotæ aquariæ impelluntur, virgæ ferreæ in fundo fluminis uncis suis hærebunt, & sic successive loco hypomochlii inservient, qua ratione navis adverso flumine propelletur. Solidus autem debet

bet esse fluminis fundus, & eadem semper profunditas. 4) Machina, qua quatuor simul molæ frumentariæ moventur, proposita a *de la Garouste*, quæ nihil aliud est, quam peculiaris applicatio vectis illius, quem A. 1702 invenit, & cujus jamjam mentionem fecimus. 5) Umbellæ portatiles, (*Parosols*,) magis adhuc perfectæ a *Mario*. 6) Tentoria, de quibus jam quoque diximus, magis perfecta ab eodem. 7) Ensis, quem loco ficæ (*Bayonnette*) bombardis adhibere commode licet, inventus a *de la Chaumette*. A. 1708 inventa fuere sequentia: 1) Modi duo reprimendi equos effrænes, & furibundo cursu properantes, inventi a *Dalesmæo*. Quoniam scilicet experientia constat, equos furiosos mox detineri, postquam visione prohibentur; hoc principio nixus Autor monstravit, qua ratione duobus equis rhedæ junctis ab homine in ea collocato duo corii frusta ita objici queant, ut omni mox visione prohibeantur. 2) Clavicymbalum, inventum a *Cuisiniæo*, cujus structura ex veteri desumta, sed magis perfecta est. Chordæ non a latere pulsantur, ut in ordinariis, sed inferius. Credit Cl. Editor, sonos hac ratione reddi suaviores. Anno 1709: 1) Machina pro movendis Horologiorum indicibus, ab ipso horologio valde dissitis, autore *Molardo*. 2) Alia adhuc umbella portatilis, autore *Mario*. 3) Machina, sortibus, vel, ut appellant, Loteriis, inserviens, quam Academia ingeniosam judicavit. Anno 1710: 1) & 2) Duæ Machinæ, plurimis simul candelis in Modulo fundendis aptæ, quarum posterior priori perfectior, ejusque usus expeditior est, autore *Olainio*. 3) Sella, ope rotularum & manubrii mobilis, inventore *Bezu*. Quater versandum est manubrium, donec sella spatium 8 pedum & 4 digitorum percurrat. 3) Machina, pluribus navibus adverso flumine simul trahendis adhibenda, inventa a *Chaberto*, quæ variis in casibus utilis esse potest. Anno 1711: 1) & 2) Duæ Machinæ, a *Camo* inventæ, quarum ope plurima simul cribra agitantur, quibus ad cribrandum pulverem Cyprium, (quem vulgo appellant *Poudre*,) utimur. Ingeniosa est, expedita, & executioni facile danda. 3) Machina, ad movendam sellam idonea,

autore *Girardo*, licet non omnino nova sit, & frictionum incommodis prematur, ita, ut plus virium requirere videatur, quam habet homo in sella collocatus. Anno 1712 exhibita fuit ingeniosa applicatio Cochleæ hydraulicæ *Archimedeæ*, facta a *l'Heureux*, & ad executionem feliciter in quibusdam Delphinatus locis perducta. Habes itaque omnes, quas *Tomus secundus* continet, Machinas. Continuationem recensionis exhibebimus in *Mense* proxime secuturo.

JO. BERNOULLI DEMONSTRATIO METHODI Analyticæ, qua usus est pro determinanda aliqua Quadratura exponentiali per seriem, traditam olim in Actis Eruditorum A. 1697 pag. 131.

I. Principia calculi exponentialium, a me primum inventa, ac postea quoque publici juris facta in *Actis Anni 1697 Mense Martio*, pro ea, qua fuerunt, fœcunditate uberrimam dederunt eruditis materiam provehendi pomœria Geometriæ sublimioris per incrementum hoc novum calculi infinitesimalis, antea non satis, vel omnino non, cognitum.

II. Inter exempla curvarum exponentialium, quæ ibi tractaveram, occurrit aliqua ex classe harum curvarum, cujus natura exprimitur hac æquatione $x^x = y$, nominando coordinatas x & y; vid. *pag. 130* & *131*, ubi, postquam varias ostendissem affectiones, inservientes partim constructioni ipsiusmet curvæ, partim ducendis tangentibus, partim etiam *Maximorum* vel *Minimorum* quorundam determinationi, quæ omnia circa insolitam hanc materiam non spernenda videbantur, tandem in mentem venit aliquid dicere de assignanda quadratura, hoc est, de inveniendo (in hac curva) $\int y dx$ seu $\int x^x dx$. Quod quomodo perageretur, tunc quidem, ostendere, non erat ex instituto meo; quocirca contentus fueram, unicum, quasi in transitu, exponere casum, qui præ ceteris ob insignem sui singularitatem videbatur mereri aliquam attentionem, suppressa tamen in hunc usque diem demonstratione.

III.

III. Caſus autem, de quo hic ſermo, ita habet: Sit abſciſſa $x = 1$, adeoque etiam ordinatim applicata y ſeu $x^x = 1$; erit, ut tum jam inveneram & inſinuaveram, area curvæ hiſce coordinatis reſpondens, hoc eſt, $\int x^x dx = 1 - \frac{1}{2^2} + \frac{1}{3^3} - \frac{1}{4^4} + \frac{1}{5^5} -$ &c. Quæ ſeries mirabili adeo celeritate convergit, ut terminus decimus $\frac{1}{10^{10}}$ non niſi unicam decimam milleſimam millioneſimam particulam conſtituat unitatis ſeu termini primi.

IV. Sicuti ſummus tum temporis Geometra, *Leibnitius*, cum quo frequens literarum commercium colueram, ita quoque alii Viri inſignes, hujus ſeriei concinnitatem & elegantiam mirati, originem ejus, quam ſibi non obviam fuiſſe, ingenue fatebantur, a me edoceri maluerunt, quam ei inveſtigandæ diu fruſtra inſudare. Nec defuere longo poſt tempore, qui ex locis non tantum vicinis, ſed procul quoque remotis, me convenientes, vel ſaltem per literas compellantes, analyſin abs me peterent rei hujus, quæ tamen non adeo abſtruſa, vel inventu difficilis, rectam viam incedentibus apparebit.

V. Ut itaque ulteriores prævenirem ſolicitationes, cum præſertim nuper admodum idem ad me factum fuerit petitum, tandem commodum fore judicavi atque utile ad avertendas importunas preces, ſi ſemel pro ſemper luci publicæ exponerem calculum nullo ſane myſterio dignum. En igitur proceſſum: Ex logarithmo poſito Z invenitur numerus N, formando hanc ſeriem: $N = 1 + z + \frac{z^2}{2} + \frac{z^3}{2.3} + \frac{z^4}{2.3.4} + \frac{z^5}{2.3.4.5} +$ &c. id quod jam dudum cognitum eſt, atque nunc tritiſſimum.

VI. Per naturam logarithmorum, ſcitur eſſe logarithmus ipſius $z^p = plz$ (per l intelligitur logarithmus quantitatis, quæ eandem literam immediate ſequitur,); unde logarithmus ipſius $x^x = xlx$. Scribendo igitur in ſerie præcedente pro z, zz, z^3, z^4, z^5, &c. eorum valores xlx, x^2lx^2, x^3lx^3, x^4lx^4, x^5lx^5, &c. habebimus ipſum ejus numerum

merum seu x^x expressum per suos logarithmos & logarithmorum potentias; hinc oritur sequens series: $x^x = 1 + xlx + \frac{x^2 lx^2}{2} + \frac{x^3 lx^3}{2.3} + \frac{x^4 lx^4}{2.3.4} + \frac{x^5 lx^5}{2.3.4.5} +$ &c. cujus singuli termini multiplicati per dx dabunt elementum $x^x dx$ figuræ quadrandæ.

VII. Restat, ut integrentur singuli termini hujus seriei $\left(1 + xlx + \frac{xxlx^2}{2} + \frac{x^3 lx^3}{2.3} + \frac{x^4 lx^4}{2.3.4} + \frac{x^5 lx^5}{2.3.4.5} + \&c.\right) dx$, quod fit, si unusquisque separatim tractetur, ac debito modo convertatur in plures alios, qui bini & bini sumti ex ipsa formatione reddantur integrabiles, sicuti hoc olim ita præstiti in formatione meæ seriei universalis, omnes integrationes generalissime complectentis: vid. *Acta Erud. Mense Nov. A. 1694.* Ita e. g. si secundus terminus $(xlx)\,dx$ sub hac facie exponatur $(xlxdx + \frac{1}{2}xxdlx) - \frac{1}{2}xdx$, cui re vera æqualis est $xlxdx$, ideo quia $dlx = \frac{dx}{x}$; proinde $\frac{1}{2}xxdlx$ destruitur per $-\frac{1}{2}xdx$; erit igitur terminus $(xlx)\,dx$ absolute integrabilis sub hac facie $(xlxdx + \frac{1}{2}xxdlx) - \frac{1}{2}xdx$ expressus; ejus namque integrale est $= \frac{1}{2}xxlx - \frac{1}{4}xx$; simili modo cum reliquis terminis erit procedendum.

VIII. Ista itaque alterna signorum positio, qua quantitates sub alia facie positæ destruunt præcedentes, si probe observetur, termini dx, $xlxdx$, x^2lx^2dx, x^3lx^3dx, &c. exponentur, ut sequens refert Tabula:

$$dx = (dx)$$

$$xlxdx = (xlxdx + \tfrac{1}{2}xxdlx) - \tfrac{1}{2}xdx$$

$$x^2lx^2dx = (x^2lx^2dx + \tfrac{2}{3}x^3lxdlx) - \left(\tfrac{2}{3}x^2lxdx + \frac{2}{3^2}x^3dlx\right) + \frac{2}{3^2}x^2dx$$

$$x^3lx^3dx = (x^3lx^3dx + \tfrac{3}{4}x^4lx^2dlx) - \left(\tfrac{3}{4}x^3lx^2dx + \frac{3.2}{4^2}x^4lxdlx\right) + \left(\frac{3.2}{4^2}x^3lxdx + \frac{3.2}{4^3}x^4dlx\right) - \frac{3.2}{4^3}x^3dx.$$

x^4lx^4dx

$$x^4 lx^4 dx = (x^4 lx^4 dx + \tfrac{4}{5} x^5 lx^3 dlx) - \left(\tfrac{4}{5} x^4 lx^3 dx + \tfrac{4.3}{5^2} x^5 lx^2 dlx\right) + \left(\tfrac{4.3}{5^2} x^4 lx^2 dx + \tfrac{4.3.2}{5^3} x^5 lx dlx\right) - \left(\tfrac{4.3.2}{5^3} x^4 lx dx + \tfrac{4.3.2}{5^4} x^5 dlx\right) + \tfrac{4.3.2}{5^4} x^4 dx.$$

$x^5 lx^5 dx =$ (&c.

IX. Hæc ita continuabuntur, quousque libuerit, quorum si capiuntur integralia per partes singulis parenthesibus (. . .) inclusas, resultabunt sequentia:

$$\int dx = x$$

$$\int x lx dx = \tfrac{1}{2} x^2 lx - \tfrac{1}{2^2} x^2$$

$$\int x^2 lx^2 dx = \tfrac{1}{3} x^3 lx^2 - \tfrac{2}{3^2} x^3 lx + \tfrac{2}{3^3} x^3$$

$$\int x^3 lx^3 dx = \tfrac{1}{4} x^4 lx^3 - \tfrac{3}{4^2} x^4 lx^2 + \tfrac{3.2}{4^3} x^4 lx - \tfrac{3.2}{4^4} x^4$$

$$\int x^4 lx^4 dx = \tfrac{1}{5} x^5 lx^4 - \tfrac{4}{5^2} x^5 lx^3 + \tfrac{4.3}{5^3} x^5 lx^2 - \tfrac{4.3.2}{5^4} x^5 lx + \tfrac{4.3.2}{5^5} x^5$$

$\int x^5 lx^5 dx =$ &c.

X. Lex progressionis terminorum cum satis sit evidens, superfluum foret explicare, quomodo hæc Tabula sit ulterius extendenda; hoc tantum faciendum superest, ut integremus ex hac Tabula terminos seriei, in *Artic. VII* expositæ, $\int\left(1 + xlx + \frac{x^2 lx^2}{2} + \frac{x^3 lx^3}{2.3} + \frac{x^4 lx^4}{2.3.4} + \&c.\right) dx$, quæ erit æqualis quæsito $\int x^x dx$. In hunc finem multiplicentur valores terminorum $\int dx$, $\int x lx dx$, $\int xx lx^2 dx$, $\int x^3 lx^3 dx$, &c. per has fractiones respective sumtas $\frac{1}{1}$, $\frac{1}{1}$, $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{2.3}$ &c. eritque, positis columnis, quæ sunt verticales, in situm horizontalem, area vel $\int x^x dx = x + \frac{1}{2} x^2 lx + \frac{1}{2.3} x^3 lx^2 + \frac{1}{2.3.4}$

$$\frac{1}{2.3.4}x^4 lx^3 + \frac{1}{2.3.4.5}x^5 lx^4 + \&c.$$

$$-\frac{1}{2^2}x^2 - \frac{1}{3^2}x^3 lx - \frac{1}{2.4^2}x^4 lx^2 - \frac{1}{2.3.5^2}x^5 lx^3 - \&c.$$

$$+\frac{1}{3^3}x^3 + \frac{1}{4^3}x^4 lx + \frac{1}{2.5^3}x^5 lx^2 + \&c.$$

$$-\frac{1}{4^4}x^4 - \frac{1}{5^4}x^5 lx - \&c.$$

$$+\frac{1}{5^5}x^5 + \&c.$$

XI. Hinc primo obtuto ultro patefcit, in cafu, quo $x = 1$, terminos omnes, in quibus reperiuntur lx, ejusque potentiæ lx^2, lx^3, lx^4, &c. evanefcere ex natura logarithmorum, quo fit, ut logarithmus unitatis fit $= 0$. Deſtructis itaque iſtis terminis, ſuperſtites remanebunt initiales tantum termini ſerierum horizontalium, qui proinde (ſcribendo ubique unitatem pro x, x^2, x^3, &c.) formabunt hanc ſeriem: $\int x^x dx = 1 - \frac{1}{2^2} + \frac{1}{3^3} - \frac{1}{4^4} + \frac{1}{5^5} - \frac{1}{6^6} + \&c.$ Q. E. D.

Scholium.

XII. Modus, *Artic. VIII* adhibitus, reſolvendi terminos $xlxdx$, $x^2 lx^2 dx$, $x^3 lx^3 dx$, &c. per alternam additionem & ſubtractionem æquivalentium, ad id inſtitutam, ut integrabiles fiant, ſicuti oſtenſum eſt *Artic. IX*, modus, inquam, iſte poteſt reddi generalis, explicando nempe, quo artificio integrari poſſit terminus $x^m lx^e dx$, ubi m & e ſunt exponentes dati qualescunque quantitatum x & lx. En ipſum proceſſum: $x^m lx^e dx = \left(x^m lx^e dx + \frac{1}{m+1}x^{m+1} dlx^e\right) - \left(\frac{e}{m+1}x^m lx^{e-1} dx + \frac{e}{(m+1)^2}x^{m+1} dlx^{e-1}\right) + \left(\frac{e.\,e-1}{(m+1)^2}x^m lx^{e-2} dx + \frac{e.\,e-1}{(m+1)^3}x^{m+1} dlx^{e-2}\right) - \left(\frac{e.\,e-1.\,e-2}{(m+1)^3}x^m lx^{e-3} dx + \frac{e.\,e-1.\,e-2}{(m+1)^4}x^{m+1} dlx^{e-3}\right) + \&c.$ Æqualitas iſta nititur deſtructione terminorum ſecundi & tertii, quarti & quinti, ſexti & ſeptimi, atque ſic porro, quo fit, ut re ipſa primus tantum terminus ſuperſtes maneat, æqua-

æqualis utique ei, qui ad integrandum proponitur, dum interim progressio terminorum ea arte est facta, ut bini quilibet junctim sumti, & signis parentheticis (...) inclusi, fiant integrabiles. Etenim, integratione rite instituta, habetur

$$\int x^m\, lx^e\, dx = \frac{1}{m+1} x^{m+1}\, lx^e - \frac{e}{(m+1)^2} x^{m+1}\, lx^{e-1} + \frac{e.\,e-1}{(m+1)^3} x^{m+1}\, lx^{e-2} - \frac{e.\,e-1.\,e-2}{(m+1)^4} x^{m+1}\, lx^{e-3} + \&c.$$

Corollarium.

XIII. Quotiescunque exponens e est numerus integer affirmativus, liquet, seriem abrumpi, atque tot acquirere terminos, quot sunt unitates in $e+1$. Sed, si series terminorum numero infinitorum pro quocunque casu admittere velimus, alia insuper suppetit methodus construendi ejusmodi series haud sane inconcinnas, quæ exprimunt valorem ipsius $\int x^m\, lx^e\, dx$. Rem ita exequor: Pono $(m+1)\, lx = y$, erit $x^{m+1} = ny$ (per ny intelligo numerum ipsius y, sicuti semper per lx mihi intelligitur logarithmus ipsius x,) unde $lx^e = \frac{1}{(m+1)^e} y^e$. Est autem, ut dudum constat, $ny = 1 + y + \frac{1}{2}y^2 + \frac{1}{2.3}y^3 + \frac{1}{2.3.4}y^4 + \&c.$ Differentiando hanc seriem, habetur $d(ny)$ seu $(m+1)\, x^m\, dx = dy \left(1 + y + \frac{1}{2}yy + \frac{1}{2.3}y^3 + \frac{1}{2.3.4}y^4 + \&c.\right)$, multiplicando membrum prius per $\frac{1}{m+1}\, lx^e$, & alterum per æquale $\frac{y^e}{(m+1)^{e+1}}$, prodibit $x^m\, lx^e\, dx = \frac{dy}{(m+1)^{e+1}} \times$

$$\left(y^e + y^{e+1} + \frac{1}{2}y^{e+2} + \frac{1}{2.3}y^{e+3} + \frac{1}{2.3.4}y^{e+4} + \&c.\right);$$

sumtis autem actu ipso integralibus terminorum singulorum, obtinebimus

$$\int x^m\, lx^e\, dx = \frac{1}{(m+1)^{e+1}} \times \left(\frac{y^{e+1}}{e+1} + \frac{y^{e+2}}{e+2} + \frac{y^{e+3}}{2(e+3)} + \frac{y^{e+4}}{2.3(e+4)} + \frac{y^{e+5}}{2.3.4(e+5)} + \&c.\right) =$$

(sub-

(substituto loco [illegible] ejus valore $(m+1)\, lx$) $\frac{lx^{e+1}}{e+1} + \frac{(m+1)^1 .\, lx^{e+2}}{e+2} + \frac{(m+1)^2 .\, lx^{e+3}}{2.(e+3)} + \frac{(m+1)^3\, lx^{e+4}}{2.3.(e+4)}$ + &c. Habemus igitur jam aliam seriem, compositam quidem semper ex terminis numero infinitis, nihilo minus tamen æqualem illi alteri supra inventæ $x^{m+1} \times \left(\frac{1}{m+1} lx^e - \frac{e}{(m+1)^2} lx^{e-1} + \frac{e.\,e-1}{(m+1)^3} lx^{e-2} - \frac{e.\,e-1.\,e-2}{(m+1)^4} lx^{e-3} + \&c.\right)$ quæ constat semper terminis numero finitis, modo e sit numerus integer & affirmativus.

XIV. Quod superest, Lectorem benevolum scire volo, hæc a me jam olim aliquot annis ante finem superioris Seculi communicata fuisse in privatis meis literis ad Illustr. *Leibnitium*, nunc vero demum edenda ob rationem *Artic. IV* dictam, sine qua lucem forsan nunquam visura fuissent. Multa enim apud me premo, hisce digniora, quæ tamen tanti non facio, ut in publicum emitti mereantur.

PROBLEMA, CHEMICIS AC PHYSICIS propositum, per J. R. K. a K. Amstelo-Batavum.

Cum chalybs alliditur silici, excutiuntur scintillæ, quæ, exceptæ in charta alba, & microscopio examinatæ, deprehenduntur esse chalybs fusus, & in scorias vel vitrum redactus, qui a magnete non amplius attrahitur. Idcirco quæro:

1) *Quodnam amborum corporum hanc destructionem fecerit?*
2) *Quænam substantia hanc destructionem perfecerit?*
3) *Quonam modo hæc destructio peragatur?*
4) *Quare, si loco chalybis usurpatur ferrum, excussæ scintillæ, sive ferri partes, raro, aut fere nunquam, in scorias sint conversæ?*

Hæ quæstiones prima fronte insolubiles videntur, quoniam concipi fere nequit, chalybem, qui, ut fundatur, maximum postulat ignem, ictu oculis non modo fusum, sed penitus destructum esse.

30.

JO. HERMANNI BENNER, PROFESSORIS Acad. & Pædagogiarchæ, Otia ſacra, in divinis quibusdam Oraculis occupata.

Giſſæ, apud Jo. Philipp. Kriegerum, 1736, 8.
Plag. 14.

Quodſi tempus fallere licet, haud ſane melius & ſanctius
iſtud fallitur, quam in ſacris otiis, hoc eſt, iis, quæ in
divinis oraculis enodandis occupantur. Quam ob cauſam lau-
damus Cl. *Bennerum*, quod bonas horas non male, ſed tam be-
ne, collocaverit, ut locos quosdam Novi Fœderis ſelectiores ex-
poneret, quo ſanctiorem juvaret civitatem. Is adhuc libros di-
vini Codicis aliquos publice interpretatus eſt, & eorum tulit
puncta, quibus ea explicandi ratio probatur, quæ neque ſecta-
tur quempiam, neque magiſtros optimos adſpernatur. Horum
igitur ſuaſu impulſus, chartas illas in lucem emiſit, quarum
nunc res contentas indicabimus verius, quam explicabimus, of-
ficio noſtro ſic facturi ſatis. *Octodecim* illæ Novi Fœderis locos
complectuntur, qui breviter quidem, nec verboſe, at ſatis ta-
men perſpicue luculenterque, exponuntur. *Primus* eſt *1 Pet.* Pag. 1.
III, 21, ubi ὦ ad *Noachum* refertur, isque cum Chriſtianis, &
aqua diluvii cum aqua baptiſmi, comparatur, voce vero ἐπε-
ρώτημα ad fœdus Dei cum *Noacho* initum alludi, ſtatuitur. *Al-* 13.
ter Gal. III, 15, ubi hæc verſio: *Nemo mortalium ſuam conſti-
tutionem, tametſi humanam tantum, ſi rite ſancita ſit, vel ab-
rogat, vel acceſſione nova mutat*, defenditur, indeque Dei con-
ſtantia promittentis, exemplo bonæ fidei hominis, illuſtratur.
Tertius eſt *Gal. III. 16*, & hic quidem inquiritur, quo ſenſu 22.
Paulus promiſſionem *Abrahamo* datam allegaverit. *Quartus* 34.
Gal. III, 17, legitur, & hæc ejus verſio: *Huc autem mea ſpe-
ctat oratio: conſtitutionem ante ſancitam a Deo in Chriſtum,
iſta, tametſi poſt quadringentos & triginta annos data, lex
non reſignat, ut aboleat promiſſionem*, ſatis declarat, quænam
hic expoſitio inveniatur. In eo nimirum verſatur *Paulus*,
ut falſam Judæorum argumentationem, quam ex tempore la-
tæ legis adverſus antiquam ducebant pollicitationem, convel-

Pag. 45. lat ac diluat. Ad *quintum Gal. III, 24*, de *lege*, *gentis Hebraeae paedagogo*, disseritur, τῦ νόμυ nomine tota legalis oeconomia, adeoque *lex* non tantum *cerimonialis*, sed etiam *moralis*, intelligitur, ipsaque rerum pondera enucleantur. Ad
51. *sextum Ephes. III, 17 – 19*, de *quatuor dimensionibus templi*
73. *sancti, in mentibus piorum conspicui*, agitur. Occasione *septimi* loci *1 Cor. X, 22*, de *Deo forti, per rivales non provocan-*
83. *do*, in *octavum Rom. V, 12*, de *culpa generis humani capitali,*
99. *& morte filii Dei salutari*, ad *nonum Gal. II, 11 – 14*, de *Petro*
114. *imprudente, sed a maligna simulatione vindicato*, ad *decimum Rom. V, 6*, de *fructu piorum praesenti ex morte Christi*
129. *praeterita*, ad *undecimum 2 Cor. VI, 14*, de *amicitia impro-*
134. *borum a probis non expetenda*, ad *duodecimum Judae v. 13*, de
149. *doctoribus planetis*, ad *decimum tertium Gal. I, 10*, de *doctrina S. Pauli, non ab hominibus, sed a Deo, profecta*, ad *deci-*
160. *mum quartum 2 Cor. V, 14*, de *communi amore Christi, validis-*
171. *simo adversus arrogantiam argumento*, ad *decimum quintum*
184. *2 Cor. XI, 6*, de *Paulo idiota*, disputatur. Locus *decimus sextus 1 Cor. XI, 25*, de *poculo, quod est Novum Testamentum*, inscriptus est. Verba Graeca, τῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐςὶν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι, ita Latine redduntur: *Usus hujus poculi est nova constitutio sacramentalis, qua sanguis meus vobis exhi-*
200. *betur*. Ad locum *decimum septimum Rom. IX, 17*, cum *Exod. IX, 16*, comparatum, demonstratur, *Pharaonem publicum divinae potentiae monumentum extitisse*. Cl. Autor inprimis omnem navat operam, ut verbum Graecum ἐξήγειρά σε He-
203 seq. braico העמדתיך conciliet, hancque ingreditur viam, ut hoc vertat: *te tanquam publicum monumentum posui*. Non male quidem, fatemur, si res ipsa, extra sanctioris vinculum orationis, consideretur. At vero vox Hebraea significat idem, quod Latinis, *in vita servavi te, superstitem te in vivis esse jussi, Exod. XXI, 21, 1 Reg. XV, 4*, alibique. Atque hanc enodationem phrasis etiam flagitat opposita, *peste e vita delere*, quod sibi in promtu fuisse, ut Regi inferret, ipse Deus fatetur *vers. 15*, quam rem antiqui etiam Hebraice peritissimi viri, *Jonathan, Onkelos*, Syrus interpres, nec non Alexandrini

Vet.

Vet. Testamenti enarratores, accurate intellexerunt. Hoc autem S. *Paulus* hic loci, ficut alias folet, de induftria haud fecutus eft, emphafin vocis Hebrææ verbo *ἐξήγειρα* efficacius declaraturus. Iftud enim verbum, præter alia, *aliquem ægrotantem e præfenti mortis periculo liberare*, etiam defignat *Jac. V, 15*, itemque *ex mortuis excitare, 1 Cor. VI, 14*. Jam, fi facram in auxilium vocamus hiftoriam, nonne *Pharao* tot plagis expofitus, toties in orci faucibus hæfit, a Deo vero ex his ereptus, velut femi jam vivus, ac mortifero vulnere ictus, in vitam revocatus eft? Nihil in hac explanatione, quod non planum & fimplex fit, nos quidem perfpicimus. Contra vero ea longius arceffita hæc eft poteftas, quam Græcæ voci *ἐγείρειν*, *ἐξεγείρειν*, affingit Cl. *Bennerus*. Ita enim fubducit rationes: *Herodianus* hoc verbo de *mœnibus* ac *trophæis erectis* utitur; ergo huc etiam loci eadem notio haud quadrat inficete. Non abnuimus, *Herodianum ἐγείρειν τρόπαιον, ftatuere, exftruere, excitare tropæum*, nec non *ἔγερσις τῶν τειχῶν, exftructio mœnium in altum*, dicere. Anne vero hæc valebit confecutio: verbum aliquod, quod de *re* adhibetur, etiam de *homine* ac *perfona* ufurpandum? Vir doctus non videt, quod a notione *propria*, de *re* quadam dicta & ufitata, ad notionem *metaphoricam*, eandemque *perfonæ* affictam, ingeniofe concludat. Falfo. Locus ultimus, idemque *decimus octavus*, eft ex *Rom. VIII, 29*, ductus, & obfervatio hic inftituta *de fiducia in Chriftum, ab eligente Deo fpectata*, infcribitur. Præmiffam Præfationem *Synopfis* ftatim fequitur *rerum ac locorum facri Codicis*, quæ in his Otiis ex inftituto exponuntur. Iisdem vero Index rerum non inutilis imponit finem. Ceterum præcipua argumenta cuique præmittuntur pertractationi, nec tam *philologicæ*, quam *exegeticæ* potius *reales*, hic inveniuntur difquifitiones.

Pag. 202.

211.

ORTOGRAFIA LATINA ED ITALIANA, &c.

h. e.

ORTHOGRAPHIA LATINA ET ITALICA, AUtore THOMASIO ACETI, Clerico beneficiato Bafili-

cæ Vaticanæ, adornata, inscripta Eminentissimo & Reverendissimo Principi Domino Cardinali ANNIBALI ALBANI, Sanctæ Sedis Cubiculario.

Romæ, typis Hieronymi Mainardi, 1733, 8.
Plag. 6.

Libellus bipertitus est ubique ob geminam, quam edocet, orthographiam, Latinam videlicet & Italicam. Delibabimus singulares Autoris Rev. opiniones, iis, quæ apud alios quoque sunt obvia, prætermissis. Literas putat ab exordio mundi fuisse in usu, quod de signis, quorum singula singulas res denotarunt, facilius largimur, quam de alphabetis. *Esdram* exstitisse inventorem literarum Ebraicarum quadratarum, idem perdocet. *Literam* putat dictam quasi *legiteram*. Approbat vocem *alucinor*, damnat scriptionem vocis *convitium* loco *convicium*, mavult scribi *iccirco*, quam *idcirco*, *vicesimus*, quam *vigesimus*, *patricius*, quam *patritius*, *Delmatiam*, quam *Dalmatiam*, *pro Juppiter!* quam *proh Juppiter!* *Sepulchrum* opi- Pag. 31 seq. natur scribendum, nequaquam vero *sepulcrum*, præfert scriptionem *cærimonia*, *Carthaginiensis*, *ætherius*, *hiems*, *sidus*, *silva*, *vindico*, rejecta voce *vendico*. Orthographiam, quæ Partem conficit priorem, excipit posterior, in qua de accentibus & interpunctionibus succincte differitur.

NOVA LITERARIA.

Quem nuper auctiorem longe ornatioremque, quam olim fuit, eruditissimi quidam Anglorum ediderunt, Linguæ Latinæ Thesaurum *Stephanianum*, quo plausu passim veræ eruditionis æstimatores quique exceperint, notius est inter eruditos, quam ut pluribus hic commemorandum videatur. Unum id Germani nostri, & his vicinæ gentes, dolent, carius utilissimum hoc Opus Editoribus suis vendi, quam tenues multorum facultates patiantur. Itaque laude omni dignissimum est institutum Duumvirorum in arte sua principum, *Jo. Matthiæ Gesneri*, in Academia Gottingensi Oratoris publici, egregiisque in bonas literas meritis dudum celeberrimi, & *Caspari* *Frit-*

Fritſchii, nobiliſſimi in urbe noſtra librorum mercatoris, quorum alter præclariſſima ſua opera ſalutaribusque curis, alter ſumtibus ſuis, efficiet, ut Opus hoc, novo ornatu veſtitum, novisque divitiis inſtructum, ſed minori longe, quam olim venierat, pretio, in manus veniat eruditorum. Quod qua ratione perficere propoſitum ſit præſtantiſſimorum Virorum pari, optime Lectorem docebit Epiſtola Doctiſſimi *Geſneri*, nuper demum publicata, quam, non ſolum ad id, ut hinc, quid ſperandum ſit eruditis, conſtare unicuique poſſit, ſed ad id maxime, ut pulcherrimo hoc eloquentiæ *Geſnerianæ* ſpecimine delectetur Lector, commode his *Actis* inſerendam judicamus:

JO. MATTHIAS GESNERUS
Lecturis S.

Cum fortuna nos aliqua ad laboris genus minime jucundum appulerit, & culpa quorundam, qui in eo ſunt verſati, vulgo, quin ſummis quibusdam viris, contemtum, (de Lexicis me loqui, facile intelligitur,) ſubinde occaſio nata nobis eſt, cum videndi propius, quid præſtitum ſit, quid deſideretur, tum iis de rebus ſententiam publice dicendi. Theſaurum eruditionis ſcholaſticæ, (Romanæ quidam malint, nec male,) qui Baſilii Fabri *nomen adhuc commendat, ut filii noſtri dicuntur ſcilicet, qui tenuia tantum ſtamina de corporibus noſtris decerpta acceperunt;* Fabrianum *igitur Lexicon dum bis retractavimus totum, & pro virili parte emendavimus, inſtruximusque, videmur ſic ſatis perſpexiſſe, quibus rebus opus ſit ad Lexicon Latinum ita exornandum, ut, quæ a tali libro expectari poteſt, utilitatem percipere inde liceat. Cum deinde ad* Reyherianum *ſimilis argumenti, ſed fortunæ paulo humilioris, librum præfarer, non injuſtum modo talium librorum, & qui in iis perpoliendis augendisque rite verſantur, contemtum deprecatus ſum; ſed etiam, qua ratione bonum, & abſolutum numeris plerisque certe, Lexicon condi poſſe arbitrarer, indicavi. Sed exſtat etiam repetita noſtra promiſſio, nos otii noſtri partem in linguæ Latinæ opibus congerendis, ordinandisque, & publicæ utilitati exponendis, in poſterum etiam collocaturos eſſe. Parum ſane*

 egiſſe,

egisse, tali quidem in re, ille censendus est, qui ostendit modo, quid agendum sit, & operis alicujus formam quantumvis perfectam proponit, nisi etiam manum admoveat, &, fieri posse, quæ fieri præcepit, ostendat. Atque videmur illud non nimis gloriose dicere posse, nec sine suffragio intelligentium arbitrorum, cum gradum factum esse curis nostris etiam, Fabro *impensis, ut multo jam propius, quam ante unquam, ab eo fastigio, quod hac in re summum est, absit. Sed, quo benigniora aliorum judicia lucubrationes illæ nostræ expertæ sunt, tanto minus nobis est laborandum, quam in partem novum, quod paramus, munus homines accepturi sint. Persuasum sane mihi est, non invitis narrari consilium, quod ex superiore instituto, & promissis nostris, cepi, denuo ingrediendi stadium illud, quod bis jam sum emensus, denuo recensendi omnes Latinæ linguæ copias, & in horreum quoddam ita conducendi, ut promi inde ad usum scribentium pariter ac legentium, quanta maxima est, commoditate possint. Vicerunt rationes non contemnendæ, ut non jam* Fabrum *nobis porro expoliendum sumeremus, quæ Pandora satis jam ornamenti a nobis habere videretur; sed diversa aliquantum via incederemus, sequeremurque desideratam tot sæpe votis rationem, quam tenuit in Thesauro suo* Rob. Stephanus, *qua elementorum servatur ordo, cum in ipsis vocabulis describendis, sive prima sint, sive aliunde orta, sive simplicia, sive concreta; tum in formulis, quæ exempla vel autoritates præstant, ordinandis. Inter hæc affertur ex Anglia Thesaurus* Rob. Stephani, *eleganter & splendide pro divitiis beatæ illius Insulæ typis exscriptus, diligenter & erudite a quatuor Viris doctis, ad eam rem conspirantibus, emendatus, & ex* Fabro *præsertim nostro, quod non dissimulant Viri candidi, factus opimior: verum idem tamen talis, qui non deterrere nos ab instituto, sed incitare illud atque adjuvare, deberet. Pretium libri, difficultas ejus vel pretio parandi, faciunt, ut ad paucissimos extra Britanniam Thesaurus iste perferatur: & sunt (quod sine contumelia præstantissimorum Virorum, & egregie in hoc opere versatorum, dictum velim,) multa, quæ abesse velimus; desunt plurima; plurima non accu-*

accurate, ubi inveniantur, indicata: verbo, ita multum nobis in sparta, quam desumsimus nobis, ornanda superest, ut non tam illud nobis metuendum sit, ne actum videamur egisse, & ignavam adhibuisse ac non necessariam describendi Stephani *operam, quam hoc, ne aliqui, vetustatis quodam vel amore vel ambitu ducti, nimium a* Stephano *nos recessisse, &* τὰ καλῶς κείμενα *movisse, aliquando judicent. Sed de toto consilio nostro, & quam non temere, neque frustra adeo, quæramus aliquid Lexicis, quæ hodie habemus, perfectius, non melius constare poterit, quam specimine aliquo proposito. Sumsimus ad eam rem verbum* submitto, *quod ipsum cummaxime, ut diligentius consideraremus,* Quintilianus *dabat occasionem. Profuit hic nobis, quid enim dissimuletur? quod in rustico Lexico illud ipsum verbum jam diligenter satis tractaveramus. Sed quidni in aliis multis, tum ipsum illud Lexicon, tum alia sudata nobis olim opera, & congestas in alvearia nostra copiolas, nobis profutura speremus? Bono quidem sumus animo, & non tam infamiam metuimus nobis ab humili, ut quibusdam videtur, labore, quam illud futurum auguramur, ut hac ipsa quoque opera nostra famæ quasi restituantur ex parte aliqua librorum utilissimi. Qua in re duo præterea nobis animum addunt: primo auxiliatrices operæ juvenis ingeniosi, diligentis, atque eruditi,* Georgii Matthiæ, *qui animo minime mercenario, sed eodem, quo nos, rei publicæ juvandæ studio impulsus, ad ærumnosum laborem mecum accessit, perficietque, spero, ut & maximam utilitatem, & solidum inde decus, reportet; deinde solertia, fides, elegantia, ergodioctæ nostri & choragi,* Casp. Fritschii, *qui nihil faciet reliqui, quo minus cultissime accuratissimeque instructæ in lucem prodeant vigiliæ nostræ. Superest, uti leges indicemus, sub quibus consulere bonis patribus familiarum ac diligentibus statuit* Fritschius, *atque si qui præterea sint, qui alacritate sua ipsius augere ardorem animumque, & stimulos addere currenti velint: quanquam ipse suum consilium ab aliorum rationibus suspendit minime, sed, quicunque hujus promissionis suæ eventus fuerit, quod cœptum est, animose, Deo quidem favente,* per-

perficiet. Igitur 1) *ita instituta omnia & comparata sunt, ut spes sit, intra tertium annum exire posse Opus, cujus titulum supra posuimus, non minus XXVII Alphabeta, quæ vocant, complexum, & elegantissimo typorum chartarumque genere expressum.* 2) *Qui intra annum a Cal. Jan. 1737 currentem dederit imperiales, sive vallenses VI, ille, solutis totidem imperialibus, cum liber prelo liberatus erit, atque adeo pro summa XII imperialium, totum Opus accipiet.* 3) *Qui illam opportunitatem dimiserit, is absolutum Opus non nisi XVIII imperialibus comparare sibi postea poterit.* 4) *Exempla nonnulla, nec tamen plura, quam numerus eorum, qui subscribentes nomina sua dabunt, requiret, charta, quam regalem vocant, maxima, excudentur, pro quibus intra annum supra Artic. II indicatum XII imperiales, cumque liber egressus prelo fuerit, totidem, adeoque XXIV imperiales pro integro opere, solventur.* 5) *Nummi a subscribentibus, optimis quibusque urbium Germaniæ & extra illam bibliopolis, quibus distribuendi specimen nostrum cura commissa est, possunt exsolvi, ipsique Operi subscribentium nomina ordine alphabetico curabuntur præmittenda. Nullum nobis dubium est, futuros multos, qui & sibi prospicere, & honestissimam voluntatem nostram promtis studiis suis excitare velint: non illis pecuniariis modo, quæ Bibliopola exspectat; sed literariis etiam, quibus me adjuvari, non mea magis, quam literarum communium, interest, ab his præsertim, qui vitiosa & corrupta quædam, vel nondum animadversa, in his, quibus adhuc utimur, Lexicis deprehenderint, quorum vitiis omnibus, si id datum esset homini, equidem mederi jam cuperem: qui decreverim, si hoc stadium decurrere detur, non plane quidem ab his studiis recedere, qui enim possim? sed ea tamen tractare potius, in quibus minus aliquanto duri laboris insit & operæ, major qualiscunque solertiæ & judicii exercendi materia suppeditetur. Sed illa quidem, ut volet Deus. Vos Lectores, studio nostro, a bona Vobis inserviendi voluntate profecto, favete. Scr. Gottingæ ipsis Martinalibus sacris MDCCXXXVI.*

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCXXXVII.

PUB. TERENTII COMOEDIÆ, NUNC primum Italicis verſibus redditæ, cum perſonarum Figuris, æri accurate inciſis, ex MSto Codice Bibliothecæ Vaticanæ.

Urbini, ſumtibus Hieronymi Mainardi, 1736, fol. maj. Alph. 3 plag. 17, cum Figuris æneis quamplurimis.

Poſt nobiles tot eruditiſſimorum virorum in *Terentio* aut emendando, aut illuſtrando, collocatas curas, paratasque tot Scriptoris hujus, omnium inter Romanos jucundiſſimi, editiones nitidas & elegantes, jam demum eo publice ornatu prodeuntem, & in tam ſplendido theatro ſuas agentem fabulas, ſpectamus, ut ad incomparabilem illam veteris ævi elegantiam, Latiique priſci incorruptum decus, jam deeſſe ipſi prorſus nihil videatur. Nec poterat illuſtriori ſpecimine florentiſſimorum per Italiam Typographorum laudem æmulari *Hieronymus Mainardus*, Vir ad magnum artis ſuæ incrementum natus, quam ſi ſtudium ingeniumque omne ad expoliendas, & quocunque poſſet modo exornandas, optimi Romanorum præſtantiſſimas reliquias conferret. Fecit id tam dextre, &, quod vere videmur affirmare poſſe, tanta cum officinæ ſuæ & laboris futuri commendatione, ut, ſi pergat ita liberaliter de artis partim ſuæ, partim de rei literariæ, proferenda gloria cogitare, jam animo præcipiamus lautitias inſignes, ex *Maynar-*

diana aliquando officina prodituras. Illud enim intuenti hunc *Terentium* facile cuilibet apparet, nullis nec sumtibus, nec curis, pepercisse Editorem, ut eo liber habitu procederet, quo nec maximorum Principum conspectum refugeret. Chartæ ac typorum nitor est insignis, & plane magnificus ornatus, talis quippe, quali esse in re libraria vix unquam major potest. Ipsæ *Terentii* Comœdiæ ut emendatissimæ hic legerentur, recte sibi sequendam putavit, quisquis edendi curam in se suscepit, (non enim, qui Præfationem præmisit, nomen suum indicavit,) editionem *Dan. Heinsii*, utpote ad probatissimos Codices MStos expressam, & acuminis critici luculenta vestigia servantem; in qua tamen si quid operarum incuria depravatum, aut dejectum loco suo, extabat, id, suum putavit, emendare diligenter, & pristinæ restituere integritati. Scribendi rationem eam hic tenuit, quæ esset inter Criticorum principes recepta, nec interpunctiones vocum neglexit, quæ quantum valeant ad explanandam Scriptoris cujusque mentem, dudum inter doctiores constat. Præterea, ne quid hic deesset, quod legendum nobis darent vulgares illæ & ubivis obviæ *Terentii* editiones, frontem Operis *Vita Terentii*, ab *Ælio Donato*, illustri Grammatico, conscripta, nec non veterum Scriptorum de elegentia *Terentii* testimoniis, calcem vero Sententiarum, ex universis *Terentii* Fabulis collectarum, & vetustiorum vocum, quarum proprius ac præcipuus huic Scriptori usus est, Indice sat commodo, ornavit. Annotationum criticarum nihil addidit, forsan ne ad eam liber molem excresceret, quæ gravis esset manibus summorum Principum, quorum quippe usui hoc quicquid est augusti Operis, dicatum maxime videtur. Sed, ne nimis doleas id factum, habes hic ornamentum quoddam plane exquisitum, quo illud effici, ut editioni huic præ aliis omnibus singulare suum decus constet, periti harum rerum æstimatores agnoscunt. Nimirum oculis & animis Lectorum pabulum jucundum præbent, quas Fabulæ cuique, & cuique Scenæ, Editor præmisit, elegantes Figuræ actorum, in ære expressæ a perito & inter Italos apprime nobili artifice, ita quidem ad vivum, ut nihil unquam amabilius *Pamphilo*, nihil dulcius *Glycerio*, nihil

hil audacius *Thrasone*, nihil plenius sannorum *Sannione*, videris. Nec vultus tantum naturam imitatur, sed ipse etiam corporis totius habitus, gestusque theatrales, ita sunt feliciter effícti, ut, nostro judicio, nihil possit felicius. Servaverat ad hunc diem artis præstantissimæ incomparabile hoc monumentum Vaticana Bibliotheca, illa literariis divitiis, & lectissimis antiquitatis fragmentis, omnium per cultiorem Europam instructissima, in vetusto *Publii* Codice MSto, quem mille annorum ætatem excedere, jam suo tempore *Sponius*, certissimus harum rerum æstimator, judicavit, cujus & præstantiam dudum eruditis *Fulvius Ursinus*, *Lucas Holstenius*, aliique plures, commendarunt. Eo Codice usus olim Perill. *Christoph. Henr. Bergerus*, nunc in Aulico Imperii Senatu gravissimus Assessor, easdem Figuras scenicas, in æs impressas, transtulit in Opus suum eruditum *de Personis, vulgo Larvis, seu Mascheris*, Francofurti & Lipsiæ A. 1722 editum, sed, quod judicat in Præfatione Editor, ita a sculptore male habitas & deformatas, ut difficile agnosci possint. Nec majoris æstimandæ sunt aliæ icones, quibus *Andriæ* actores vultum suum obtexerunt, ex eodem Vaticanæ Codice desumtæ ab *Anna Daceria*, & adjectæ Fabulis *Terentii*, Lugduni Batavorum primum, postea etiam Roterodami, nec tunc, quod ad Figuras illas, emendatius, editis. Vestium, quibus induti sunt actores, varios colores, cum in ære exprimi non possint, nullo negotio addiscet Lector ex *Donati* libro *de Comœdia & Tragœdia*, ubi satis hæc sunt diligenter tradita. Id vero commode & ad usum nostrum accommodate factum est ab Editore, quod universo Operi concinnam, etsi perbrevem, singulorum nominum, quibus insigniti sunt actores, expositionem præmisit, unde ipsa partim ratio & origo nominum, horumque ad personam, quam sustinent actores, accommodatio, partim quam apte eleganterque Figuræ illæ respondeant ingenio actorum, discitur. Ut a suis etiam civibus singularem quandam gratiam iniret Editor, Latinis *Terentii* Fabulis Italicam ejusdem Poetæ interpretationem, metro adstrictam, sed rhythmis carentem, adjunxit, quam ingenio debemus nobilissimi in Italis Viri, *Nicolai Fortiguerræ*, l'i-

ſtorii in Etruria nati genere illuſtri, quem Latina æque ac Italica poeſi multum valuiſſe, ingeniique excellentis in urbe Roma præclara multa, eaque publica, inſpectante ac applaudente magna civium corona, edidiſſe ſpecimina, tum a *Clemente XI*, Pont. Max. Vaticanæ Baſilicæ Canonicatu donatum, nec ita multo poſt in Prælatorum ordinem cooptatum, omnibus approbaſſe prudentiam, dexteritatem, fidem, & ſolertiam ſuam, tandem, a Sacræ Congregationis de Fide propaganda Secretis eſſe juſſum, in morbum incidiſſe gravem atque pertinacem, eidemque ſuccubuiſſe die 17 Februarii A. 1735, in Præfatione Editor doctiſſimus nos docet. De pretio & elegantia hujus interpretationis non tam noſtrum eſt judicare, quam eorum, quibus Italici ſermonis ſatis eſt perſpecta ratio, ipſorum, inquam, Italorum, quorum gloriam novo hoc venerum Italicarum monumento magis auctum iri, quam imminutum, certo nos ſperamus. Unum id miramur, cum in fronte Operis poeticam hanc *Terentii* interpretationem nulla anteceſſiſſe alia dicatur, non recordatum fuiſſe Editorem ſimilis laboris, quem in *Terentio* Italicis numeris reddendo *Jo. Juſtinianus*, quemque, teſte *Creſcimbenio*, nobilis Italorum Poetria, *Fiammetta Maleſpina*, atque dein ipſa *Ludovica Bergalli*, inter Paſtores Arcadas nomine *Irmindæ Partenidis* clariſſima, jam olim ſuſceperunt, perfeceruntque ex parte feliciter. Ne quid intactum nobis abeat, quod gratiam conciliare Operi tam ſplendido & elimato poſſit, illud gaudentes animadvertimus, & plauſu quodam publico proſequimur, quod librum hunc ſuum, tam formoſo habitu indutum, & ornatu tam auguſto condecoratum, tradiderit *Maynardus*, in poſterum cariſſimum nobis nomen, in clientelam Potentiſſimi Regis noſtri, *Auguſti III*, Principis vere magni, cujus immortalis fama, ut illuſtriſſimum huic Operi decus conciliat, ita ab hominis peregrini, nulla mercede conducti, libere & aperte judicantis, ſerio & conſtanti teſtimonio, novum, nec prorſus negligendum, robur nanciſcitur.

ÆGIDII TSCHUDII, geweſenen Land-Amtmanns zu Glarus, Chronicon Helveticum, oder gründliche Beſchreibung, &c.

h. e.

ÆGI-

ÆGIDII TSCHUDII, PRÆFECTI QUONdam agris Glaronensibus, Chronicon Helveticum, seu solida Descriptio rerum memorabilium, non tantum in Imperio Romano-Germanico, sed etiam in ditione Helvetica, eique conterminis regionibus, gestarum. Omnia secundum Epistolas avthenticas, Documenta, & maximam partem Diplomata, singulari studio perpolita, & ex præcipuis pagorum Helveticorum tabulariis collecta, primum nunc ex avtographo evulgavit, Præfatione instruxit, & annotationibus necessariis illustravit, JO. RUDOLPHUS ISELIUS, J. U. D. Ordinis Jurid. Basil. Assessor, Regiæ Societ. Berolinensis Membrum. Pars secunda, ab Anno 1415 – 1470.

Basileæ, sumtibus Jo. Jac. Episcopii, 1736, fol. Alph. 7 plag. 20.

Stetit promissis suis Consultissimus *Iselius*, &, quemadmodum amatores historiæ primo *Tschudiani* Operis *Tomo* haud parum sibi devinxit, ita non dubitandum est, quin plures hoc *secundo Tomo* sibi sit obstricturus. In brevi, quam huic *Tomo* adjecit, Præfatione confirmat, se omnia bona fide edidisse, nihil plane omisisse, hanc fidem etiam in sequentibus *Tomis*, prout decet bonum Historicum, perpetuo servaturum esse. Quæ a Generoso Equite *Josepho Leodegario Bartholomæo a Schudi* accepit, Documenta, ex originalibus, in *Tschudiorum* arce hæreditaria Grepsfungensi adservatis, accurate descripta, quæque in posterum accipiet, ea, cum avtographis collata, bona fide, omni cura, sequentibus *Tomis* inserenda curabit, ornamentum haud exiguum iisdem huic Operi conciliaturus. Hæc vero *secunda Tschudiani* Chronici *Pars Libros VI* complectitur, a nono incipiens, & in decimo quarto desinens. Quemadmodum vero *Librum IX* historia Concilii Constantiensis, a *Tschudio* perscripta, commendat; ita *Libro XIV* documen-

cumenta, historiam fundationis Academiæ Basileensis, A. 1459 conditæ, & A. 1460 inauguratæ, illustrantia, *pag. 633 – 638* ab Historiæ literariæ amatoribus cum fructu legentur. Ceterum Cl. *Iselius* hanc *secundam Partem* Summariis, Annotationibus, Indice etiam, uti primum instruxit, sic boni editoris partibus recte defunctus, & de historia præclare meritus, videtur. Augebit etiam hæc merita magnopere, si reliquos *Tomos Tschudiani* Operis eadem fide ac diligentia propediem evulgabit.

ALBERTI SCHULTENS NOVA VERSIO & Commentarius in Librum Jobi. Tomi II.

Lugduni Batav. apud Joannem Luzac, 1737. 4.
Alph. 7 plag. 8.

Cum Celeberrimus Autor jam in ætate juvenili difficilem & obscurum Codicis sacri librum observationibus singularibus illuminasset, nunc maturiores eruditionis virilis fructus reipublicæ literariæ exhibere, ac promulsidis, quam dederat, loco, pleniores & exquisitiores doctarum cogitationum epulas apparare, earumque avidas mentes saturare voluit. Integram enim illius versionem, cum Commentario perpetuo, adornavit, in quo veterum ac recentiorum Interpretum cogitata præcipua expenduntur, genuinus sensus ad priscum linguæ genium indagatur, atque ex filo & nexu universo argumenti nodus intricatissimus evolvitur. Quod in ampla Præfatione uberius exponit, ubi, præmissa Analysi brevi Capitum totius Libri, & recensione disputationum *Jobi* cum amicis, earum πάθος & sermonis vim exaggerat, ad quod Interpretes non satis attendisse putat. Dein ad ipsos Commentatores progreditur, tam Judaicos, quam Christianos, a se collatos, quorum numerum ultra sexaginta excurrere ait, ac de iis singulis speciatim judicium suum decentibus verbis expromit. Ad novam versionem suam, quæ aliquando longiuscule ab aliis recedit, tuendam, hypothesin non satis intellectam, de Lingua Hebraica

braica ex Dialectis, inprimis Arabica, illuſtranda, fuſius declarat, & contra *Guſſetium* alioſque defendit. Autorem quoque ipſum hujus libri Arabem fuiſſe, cum aliis argumentis, tum præcipue ex grandiloquentia illa Aſiatica, ac ſtili, quo utitur, cothurno, Arabibus proprio, evincere conatur, niſi quod in Introductione *Cap. I* & *II*, & Clauſula *Cap. XLII*, Hebræi alicujus Collectoris veſtigia, illo habitu attexta, comparere cenſeat. Neque tamen diffitetur, majorem adhuc lucem in aliquot Capitibus, quæ allegat, ſe deſiderare, quæque excellentibus ingeniis perquirenda relinquit, ac ipſemet adhuc perquirere ſtudet. In Notis adjectis partim verſionem ſuam novam contra alios diſſentientes, longis interdum digreſſionibus, tuetur, partim hypotheſin ſuam, de Lingua Hebraica ex dialectis accuratius interpretanda, porro confirmat. Sic *Cap. XIX*, 25, non de metaphorica reſurrectione ex malis, ad felicitatem temporalem, ſed de vera ex mortuis, qua certo futura *Jobus* ſe ſolabatur, & *Cap. XXXIII*, 23, per Angelum interpretem non creatum, ſed increatum, nempe Dei Filium interceſſorem pro hominibus, intelligi, ampliſſime demonſtrat. Sic in veram ſignificationem vocum maxime controverſarum ***Behemoth*** & ***Leviathan Cap. XL*** ſtudioſe inquirit. In reliquis autem obſervationibus, per totum librum ſparſis, quamplurimis obſcuris vocibus Hebraicis, ex collatione cum Arabicis, facem præfert, earumque primigeniam vim deducit, atque ex rarioribus Arabum Criticis probare annititur. Quas quidem hic accumulare non conſultum ducimus, ſed Lectores, ſolidioris Linguæ Hebraicæ cognitionis cupidos, ad Indicem additum remittimus, copioſum pariter atque utilem valde, quem Rever. & Doctiſſ. *Hacmannus*, Eccleſiæ Waſſenarienſi deſignatus Paſtor, ipſe Præcidaneis ſacris editis, &, quod optamus, continuandis, jam clarus, ſumma induſtria & ἀκριβείᾳ confecit. Et, cum inclytus Autor noſter, qui poſt *Erpenios*, *Gοlios*que, & *Relandos*, literarum harum florem in Belgio ſummopere promovere ſtudet, ad Origines ſuas Linguæ Hebraicæ paſſim provocet, eum publice hortamur, ut, quas jam edere incepit, porro, promiſſi memor, continuare, atque opes ſuas Arabicas ὅλῳ, ut ajunt, ληκύθῳ effun-

effundere velit. Dissertationes etiam, quas pollicetur, *Jobaat*, Operi huic egregio, supplementi loco, adjiciendas, avide expectamus.

NOVUM TESTAMENTUM, EX TALMUde & Antiquitatibus Hebræorum illustratum, curis Clarissimorum Virorum, BALTH. SCHEIDII, JO. ANDR. DANZII, & JAC. RHENFERDI, editumque una cum suis propriis Dissertationibus de Nasi, seu Præside Synedrii Magni, & de Directoribus Scholarum Hebræarum, a JOANNE GERHARDO MEUSCHEN, Sereniss. Sax. Coburg. & Isenacens. Ducibus a Consiliis Consist. & Ecclesiasticis, Generali Superintendente, Scholarcha, Primario Professore Theologiæ, & Pastore Coburgensi, Regiæque Borussicæ Scientiarum Academiæ Membro.

Lipsiæ, apud hæredes Jo. Frid. Braunii, 1736, 4.
Alph. 7 plag. 7.

Hoc Opus copiosissimum, novusque triplex, post Horas *Lightfootianas*, curasque *Schættgenianas*, thesaurus eruditionis antiquariæ Talmudico-Rabbinicæ, ad interpretationem Novi Fœderis apprime faciens, ita recensebitur a nobis, ut prius ea, quæ ad indolem institutumque libri spectare videntur, adducamus, deinceps vero contenta Operis suppeditemus. Summe Ven. *Jo. Gerh. Meuschen*, genuinus gratissimusque B. *Jo. Andr. Danzii*, Theologi quondam Jenensis, discipulus, & intimæ apud suum præceptorem admissionis, egregie consuluit tam famæ laboribusque in Novum Testamentum Talmudicis Cel. *Balth. Scheidii*, Philologi quondam Argentoratensis, *Jo. Andr. Danzii*, Jenensis, & *Jac. Rhenferdi*, Belgæ, quam Reipublicæ literariæ commodis, Opus istud luculentum, ex Triumvirorum, quos diximus, suisque propriis meditationibus compositum, evulgando. Ipse *Meuschenius* suam in eruditione Rabbinico-Talmudica institutionem uni B. *Dan-*

zio

ætô debet, ille autem incrementa sua, perinde ac *Scheidius* & *Rhenferdus*, *Meuschenius*que ipse, compluribus præstantissimis sui ævi Theologis Philologisque, Germanis, Batavis, Britannis, quin & ipsis Judæis, eorumque frequenti conversationi, in acceptis refert, nec adeo mediocria & protrita, sed multa & præclara, minatur. Post Dedicationem ad Sereniss. Ducem Saxo- Gothanum, etiam Præfatio Operi præmissa est, in qua primum agitur de varia fortuna literaturæ Talmudico-Rabbinicæ, Talmudisque ipsius, sub Conciliis, Imperatoribus, & Principibus, cumprimis vero sub Pontificibus Romanis, qui postremi nunc ultricibus flammis adjudicarunt, nunc, rectius edocti, aureoque imbre placati, foverunt indulgentia sua & Talmud ipsum, & eruditos Talmudistas, usque ad tempora *Jo. Capnionis*, sive *Reuchlini*, qui tandem de persecutionibus studii Hebraici Talmudisque monachalibus gloriose apud Imperatorem *Maximilianum I* triumphans, ea in tuto collocavit. Postea recensentur Autores, qui ex Talmude ac Rabbinis vel Theologiam Judaicam, & ex hac simul veritatem Christianæ religionis, vel Antiquitates Hebraicas, vel ipsum denique Codicem Biblicum, Novi cumprimis Testamenti, illustrarunt, hodieque illustrant. Dein exponit Summe Rev. *Meuschenius*, qua ratione *Balth. Scheidii* labores, qui tam diu MSti latuerunt, nec non *Jo. Andr. Danzii* & *Jac. Rhenferdi* Dissertationes, vel ineditæ, vel rariores, ad ipsum pervenerint, de quibus cordate & æque satis judicat. Nimirum dolet quidem, *Balth. Scheidium* in suis ad Novum Testamentum Annotationibus Talmudico-Rabbinicis, sub titulo: *Præterita Præteritorum* consignatis, non originalem Talmudis textum, æque ac *Lightfootus* & *Schœttgenius*, simul addidisse, sed nudam tantum versionem Latinam exhibuisse, porro passim præter necessitatem excerpta Talmudica cumulasse, imo hinc inde talia ex his lacunis in medium protulisse, quæ ad explicationem locorum Scripturæ Sacræ parum aut nihil conferunt, & interdum casta pectora lædere videntur, v. c. ad *Matth. V, 28, Luc. I, 7, 1 Cor. VII, 2, 3,* aut anilibus fabulis indulsisse, v. c. ad *Rom. VIII, 28*; interim tamen asserit simul, hæc *Præterita*

Præteritorum Scheidiana non omni caritura fructu, quia nobis ex Talmude ea quoque pandunt, quæ frustra apud nobilissimos quosque Autores quæsiveris. De *Danzianis* Annotationibus asserit, eas constare tum Autoris hujus variis Dissertationibus & Programmatibus, hinc inde palantibus, & ad minimam partem obviis, tum MSta ejusdem Dissertatione de Uxore maritum repudiante. De *Rhenferdianis* tandem monet, Opera hujus doctissimi Belgarum Philologica collecta quidem, & Trajecti ad Rhenum edita, a Cel. *Davide Millio*, in præsenti tamen collectione, ab ipso *Meuschenio* adornata, longe plura *Rhenferdi*, quam in *Milliana*, ab interitu vindicari. Præterea refert, Ven. *Jo. Benj. Martinium*, Antistitem Ohrdruffiensem, a B. *Danzio* hæredem constitutum fuisse duorum ab ipsomet ad prelum paratorum perfectorumque Operum, quorum editionem ipse serio flagitaverit, ac moribundus *Martinio* injunxerit. Horum alterum est integer B. *Danzii* Commentarius in *Matthæum*, omnia Hebræorum jura, ibidem occurrentia, ex genuinis Talmudistarum fontibus explicans; alterum vero est celeberrimum, quod dudum B. *Danzius* promisit, Opus, inscriptum Masora throno θεοπνευστίας mota. Nos vero Lectoribus nostris nunc contenta universi hujus eruditi Trifolii *Scheidio-Danzio-Rhenferdiani*
Pag. 1. breviter enarrabimus. B. *Scheidius* sub initium Annotationum suarum peculiari opera collegit loca Talmudica, in quibus Jesu Christi & ejus discipulorum fit mentio, aliaque in ipsis
11. Annotationibus præclara congessit. Sic statim ad *Matth. I, 1*, observat & probat, Messiam esse præcipuum Novi Testamenti argumentum, & vocari Filium *Davidis*, usitatissima Novo Testamento & Talmudicis doctoribus appellatione; qua occasione alia Talmudis loca de Messia notatu digna protulit.
62. Ita locus de Eleemosynis *Matth. VI, 1*, egregie illustratur. Nimis autem ampli foret instituti, ex Opere *Scheidiano* allegata Talmudica, quibus refertum est integrum, huc transferibere; quapropter ad ipsum Opus Lectorem remittimus. Inter
233. *Danzianas* Dissertationes primo loco notissima illa comparet, de

de Baptiſmo Proſelytorum Judaico, cui B. *Gottlieb Wernsdorfius*, Theologus quondam Wittebergenſis, ſe oppoſuit, porro *Danzii* Diſſertatio contra *Wernsdorfium*, cui titulus: Antiquitas Pag. 287.
Baptiſmi initiationis Iſraelitarum vindicata. Subſequuntur deinceps reliquæ Diſſertationes *Danzianæ*, v. g. Inauguratio Chri- 306.
ſti ad docendum, haud obſcurior Moſaica, e ſpectaculis, circa 488.
Chriſti baptiſmum univerſæ multitudini viſis, & ad Dei cum 569.
Moſe Exod. XIX colloquium collatis, in qua Diſſertatione Ju- 615.
dæorum *Jo. IX, 29*, cavillatio enervatur, Evangelicæque do- 649.
ctrinæ θεοπνευςίας aſſeritur; porro origo Talionis, ad mentem gentilium, Judæorum, ac Chriſtianorum, examinata, ad *Matth. V, 38, 39;* Chriſti curatio Sabbathica vindicata ex legibus Judaicis, ad *Matth. XII, 1 – 14;* de ritu Excommunicationis, ad *Matth. XVIII, 18*; de cura Judæorum in conquirendis proſelytis, ad *Matth. XXIII, 15;* de uxore, maritum repu-
diante, ad *Marci X, 12*, & *1 Cor. VII, 10, 12*. Poſt haſce Diſ- 677.
ſertationes ſequuntur *Danziana* copioſiſſima Programmata, de 701.
Schechinah, cum piis cohabitante, ad *Jo. XIV, 23;* Promulgatio 737.
Evangelii haud obſcurior legali, ad *Act. II, 1 ſeq.* de Feſto 751.
Judaico Septimanarum abrogato, & ſurrogato in ejus locum 787.
feſto Pentecoſtali Chriſtianorum; de Spiritu ardente ad *Jeſ.* 795.
IV, 4, coll. *Act. II*, 2; de Animalibus eſu interdictis, *Act. X,* 830.
12 ſeq.; de λύτρῳ redemtionis humanæ, ad *Jeſ. LIII, 10*, & *1 Pet.* 897.
I, 18, 19; porro de Paſchate Judæorum abrogato, & ſurrogato 912.
in ejus locum feſto Reſurrectionis Dominicæ in *1 Cor. V*, 7, ac tandem de functione Pontificis Maximi in adyto anniverſaria,
ad *Ebr. IX, 12*. Poſt curas *Danzianas* comparent labores *Rhen-* 1013.
ferdiani hic collecti, nimirum *Jac. Rhenferdi* comparatio expiationis anniverſariæ Pontificis Maximi Veteris Teſtamenti, cum unica atque æterna expiatione Jeſu Chriſti ad illuſtran-
da varia loca Epiſtolæ ad Hebræos; porro *Rhenferdi* obſerva- 1039
tiones ad loca Hebræa Novi Teſtamenti, & Mantiſſa de Pha-
riſæis, ejusdemque Diſſertationes, de Lepra cutis Hebræorum; 1057.
de ſtilo Apocalypſeos Cabbaliſtico; de Phraſi Græca Novi Te-
ſtamenti ὁ Αἰὼν ὁ μέλλων, & Hebræa העולם הבא, exhi- 1090. 1116.
bens ſummam argumentorum, quibus probatur, ſeculum fu-

 turum

turum non denotare dies Messiæ, sed potius vitam æternam;
Pag. 1130. altera Dissertatio de hoc argumento, exhibens testimonia recentiorum Rabbinorum de seculo futuro & diebus Messiæ, quæ *Herm. Witsius*, *Rhenferdi* Antagonista, & receptæ sententiæ defensor, produxerat, & tertia veluti *Rhenferdi* Vindiciæ sententiæ de seculo futuro, cui superaddita est ipsius *Herm.*
1149.
1171. *Witsii* Dissertatio de Seculo hoc & futuro. Agmen claudunt
1184. Ven. Editoris Diatribe de נשיא seu Directore Synedrii magni Hebræorum, contra B. Cancellarii Brunsuicensis, *Schwarzkopfii*, Consilium, a B. *Christ. Thomasio* evulgatum, directa, nec
1199. non Oratio *Meuschenian*a de Directoribus Scholarum Hebræorum. Operi universo quatuor locupletes subjiciuntur Indices: 1) Dictorum Scripturæ Sacræ adductorum, explicatorum, vindicatorum; 2) vocum & phrasium Hebraicarum; 3) vocum & phrasium Græcarum; 4) rerum & verborum. Nos S. Rev. Editori vitam viresque precamur, ut promissam in hujus Operis Præfatione Bibliothecam Antiquitatum Hebraicarum, secundum materias instructam, propediem luci exponere queat, eandem hinc, quam ex Opere præsenti, a Philologiæ sacræ amatoribus laudem publicam reportaturus.

JULII CAROLI SCHLÆGERI COMMENTatio de Numo Alexandri M. cum summa raritate, tum typo singulari, conspicuo, & Thesauri Fridericiani ornamento maximo. Accedit de Thesauro supellectilis antiquariæ, sive Collectione Opusculorum rariorum, quibus viri eruditi numos, gemmas, lapidesque, illustrarunt, edendo Consilium.

Hamburgi, ex officina Jo. Georg. Piscatoris, 1736, 4 maj. Plag. 12, cum Tabb. æn. 4.

Quantum operæ pretium faciant, qui numorum, gemmarum, lapidum, statuarumque, &, quicquid tandem elegantioris vetustatis naufragia enatavit, ejus argumenta atque significationes explicatas atque illustratas ad literarum incrementa

&

& splendorem transferunt; id satis ea declarabunt, quorum ne in ignoratione versaremur, sola numariæ rei per duo Secula effecerunt studia. Quod cum intelligeret optimus Vir, *Jul. Carol. Schlægerus*, collocare ab aliquo tempore in ea re ætatem decrevit, editisque aliquot doctrinæ jam ante speciminibus, in hoc libello admodum lubricæ arenæ se committere non dubitavit. Tantam autem ingenii fiduciam ostendere visus est, ut plurima contra consentientes atque constitutas artis numismaticæ magistrorum sententias affirmaret, &, quasi patriæ arbitrio aut diffideret, aut in eo non satis gloriæ sibi futurum existimaret, quicquid hoc est libelli, Regiæ Parisiensium Societati, quæ se humanioribus musis addixit, dedicaret. Quam ob caussam Eruditissimus vir nobis, cum ob præclarissimum, de quo postea, institutum, tum ob insignem aliarum literarum notitiam, mirifice ei faventibus, ignoscere, & remittere hoc in communem patriam pietati, debebit, si eum his vocibus, quas ex patriæ ore profectas credat, licebit, alloquamur: Et ingenium, mi *Schlægere*, tuum, & eruditionem, & illustria, quæ tibi comparasti, subsidia eximiæ hujus doctrinæ, amamus, miramur, colimus. Optamus quoque prosperrimos sat bene ominatis tuis studiis, & in cœlestissimam literarum partem conatibus, successus; fatemurque lubentes, volentes, te, si modo culturam adhibueris iis, quibus fortasse aliquid ad maturitatem deest, venturum olim in societatem laudum illarum, quas doctorum ingenui quique *Spanhemio*, &, si qui *Spanhemio* sunt simillimi, maximis viris, se debere præclare sentiunt. At unum nimirum superest, quod nos ad necessitatem tui & nostrum gratia dolendi, tibique aurem modeste vellendi, adducit, maceratque haud leviter. Quod quamvis etiam atque etiam celari potuisse cupissemus; quia tamen ipse ad exteros emanare passus es, ingerere quantumvis inviti cogimur. Consideres autem, quales verborum & phrasium deformitates stilo passim permiseris; ut neque in ipsis verbis, neque in flexionibus & affectionibus eorum, neque denique in compositione, ipsa illæsæ latinitatis quandoque rationem habere memineris. Hanc autem libertatem nostram Cl. Autor minime iniquo animo ferre debebit, si cogitaverit,

 rit,

rit, quæ Gallorum ad hæc fannæ futuræ fint. Ejus enim gentis homines, ceteroqui boni, cum ad crimen, quod paucorum eft, in omnes jaciendum plus æquo proclives fint, cumque hanc veterem nobis impofuerint contumeliam, ut impeditum atque incultum orationis habitum toti genti vitio darent, requirerentque plane in Germanis concinnitatem cum verborum, tum fententiarum; elaborandum *Schlægero*, & nobis, maximopere fuit, illi primum quidem, ne hujus negligentiæ autor, at nobis quoque, ne faltem approbatores videamur exftitiffe. Totus præterea ftilus, fatis difficili decurfu laborans, hortari doctiffimum Virum debet, ut, fi quidem ab exteris intelligi velit, huic curæ emendandi fui dicendi generis inter reliquos frugiferos labores animum præcipue attendat. Hujus noftræ admonitionis moleftiam omnem ex animo Cl. Autoris evellere fubfequens noftra induftria conabitur, quæ ad id incumbet, ut juftis hujusmodi egregiæ eruditionis laudibus perpetuo & accurato recenfu fatisfiat. Autor, ad id, quod de hoc numo animo concepit, quafi inde ex *Alexandri* ævo fuperfit, efficiendum, fex argumentis fuarum rationum arcem complexus eft. Quorum primum pertinet ad exactam fimilitudinem vultus *Alexandri*, quam pæne unice expreffam atque infignem retinuiffe hic numus ei videtur. Eam enim fatis declarari retortis & incomtis crinibus, quos tam fignatos & confpicuos exhibeat. Qua in libelli parte multa egregia & culta nefcio quo pacto Talmudicarum quoque impuritatum admiftione temerantur: a quibus, dudum cum fcarabæis fuis hinc ad æternam noctem ablegatis, ut requiefcere doctorum hominum aures finamus, literarum cultiorum majeftas atque caftimonia nos movere poterit. Oculos *Alexandri* illuftres fuiffe, aliquot locis apte demonftrat: quod autem ampli fuerint, ea, quibus utitur, teftimonia nequaquam conficiunt. Apud *Plutarchum* enim qua ratione ὀμμάτων διάχυσις intellectum habeat *latitudinis oculorum?* quod folum commode vertas per *fplendorem atque lætitiam oculorum.* Apud *Solinum* autem *latos oculos* mutare in *latos*, id vero effet *Alexandri* oculos pingere, quafi ingentes fint, *ut Polyphemi lata acies,*

acies, per quam solers evasit Ulysses, apud *Juvenal. IX, 65*. Ὑγρότης ὀμμάτων præterea apud eundem *Plutarchum* alia docet. De cervice reflexa eximia commentatur, & curiosissima artificis sedulitate in hoc numo effictam credit. Data mox opportunitate, Cel. *Heumanni* sententiam, veras vultuum similitudines ullas in numis exstare negantis, sat firmis rationibus, & fide dignis testimoniis refellit. Secundum argumentum affert, quod leonis in altera numi parte effigies *Alexandrum* sine dubio signet: quod quidem satis erudite executus est, ostendendo, hunc heroa patri per somnium sub leonis figura olim in obsignata] Olympiadis natura monstratum, a Poetis quoque leonem passim appellari. Deinceps novo argumento molitur explicationem symboli, Cupidinis leoni insidentis, & lyram pulsantis. Unde significari Cupidinis de *Alexandro* victoriam concludit, cum in nostro numo *Cupido*, leoni æque insidens, non tanquam bellicum aliquod numen, quod alii putarunt, effictus sit: improbataque de *Alexandri* castimonia objectione, ostendit, *Alexandrum* interdum libidinibus & stupris indulsisse. Affert autem plurima nuptiarum *Alexandri* exempla, earumque historia & temporibus pertextis, tandem ad constituendum tempus, quo numus videatur cusus, accedit. Colligit ergo ex absentia cornuum in capite *Alexandri*, quasdam ante profectionem ad Jovis Hammonis oraculum nuptias hujus numi argumento fuisse designatas. At vero, *Roxanes* matrimonium ei tempori maxime congruere, docet. Deinde quartum, si ita vocare licet, quod solam difficultatis declinationem continet, argumentum ducit exinde, quod *Liebius* ipsi erraffe videtur in cognoscendis epigraphes literis. Ubi enim Ξ legi debeat, ibi eum Ξ positum affirmasse, figura Seculo III usitatissima. In quo eum tamen falli apertissime, cum Ξ litera hac tantum nota Ξ expressa fuerit. Sed nos hic optaremus, ipsum *Schlægerum* tam parum lapsum fuisse, quam *Liebium*. Etsi enim vel hoc nunc plane omittamus, potuisse *Liebium* lineolam transversam intermediam ab unoquoque addendam intellectu duntaxat & tacita mentis cogitatione relinquere; at multæ esse possunt causæ,

causæ, cur aut vetustate, aut quacunque alia re, tanta minutiis obliteraretur evanesceretque. Sed non contentus hac *Liebii* oppugnatione, nimis sane confidenter denuo eum insimulare satagit, tanquam iterum sub finem scripturæ falso compendium literarum O & Y commentus sit, cujus loco fuisse vel ◻Y, vel Ύ, vel solum ◻, quod antiqui pro OY scripserint, ei sit probabile. Etsi antem hoc refellatur, sperat tamen, sibi credi posse, figuram ȣ jam *Alexandri* ætate fuisse usurpatam. Quod, cum sit contra omnium, qui hujus antiquitatis peritiam habent, sententiam, duobus probat verisimilitudinis signis; primo, quod jam monogrammata & aliæ contractarum in arctius spatium literarum species jam tum in usu fuerint; altero, quod figura ȣ jam secundo a Christo nato Seculo usurpata sit in quadam Inscriptione. Pro qua quidem opinione nos neque veritatis, neque doctorum assensus, sponsionem in nos susceperimus. Quintam rationem ei suppeditare videtur similitudo hujus nummi cum alio quodam Comitis Winckelseensis, in quo perspicua *Alexandreæ* ætatis signa deprehendi confirmat. Ubi iterum complura occurrunt, nequaquam tam expeditu facilia, ut hic satis exposite commemorari possint. Ultimo argumento non de suo expromit, sed ab aliena fide & arbitrio mutuatur, disputationem de numi pulchritudine sibi nunquam visa. Quantum probatione hac satis amplos & satis amœnos per locos fusa profecerit, judicare, eorum, qui longa in his literis exercitatione versati sunt, negotium esto. Nos plausum & favoris manifestas significationes hic ad publica hominum judicia & lucem edere minime dubitamus; quando, tam præclara in elegantissimarum literarum studia a doctissimo Autore propediem parari, cum magna voluptate atque boni literarum publici ominatione intelligimus. Constituit enim, eos doctorum hominum labores, quibus artificiosæ vetustatis reliquias, gemmas, numos, statuas, & tabulas, vel columnas, inscriptione signatas, per partes atque singulatim persecuti sunt, quasi sub una signa atque delectum vocare. Ne enim tam propter multitudinem, quam antiquitatem & rarissimam interdum copiam, plurima politissima excellentium ingeniorum monu-

monumenta doctorum notitiam & Bibliothecarum divitias fugerent amplius, salutare hoc & omni eruditorum studio sublevandum inflammandumque consilium iniit, cujus si omnes rationes eodem, quo hic proposuit, modo diducentur conformabunturque, neque utilitatem instituto, neque operi delectum aut copiam, neque argumentis novitatem, neque libellis ipsis accessiones, neque chartæ etiam, typis, atque figuris, munditiem, ornamenta, splendorem, confirmamus defutura. *Sex* itaque *Voluminum* modus Operi statutus. Unicuique Dissertationem ipse Editor præmittet; cujus doctrina & in his studiis pertinax industria cum elegantissima omnia nobis promittat; jam jucunda quadam spe præcipimus insignem fructum, ex præstabili hoc Opere certissime nobis expectandum.

A NEW TREATISE ON THE DISEASES of the Chrystalline humour &c.

h. e.

TRACTATUS NOVUS DE MORBIS Humoris Crystallini oculi humani, seu de Cataracta & Glaucomate, cum nova Theoria causæ illorum, & Tentamine demonstrandi, membranaceas cataractas non existere, sed omnes cataractas a mutatione ipsius humoris crystallini fieri. Accedit curatior novæ & successus plenæ methodi descriptio, qua operationes ad removenda varia istorum morborum genera necessariæ institui debeant. Opus inscriptum Regiæ Majestati. Cui præfigitur ad Medicos & Chirurgos Londinenses & Westmonasterienses Epistola. Autore JO. TAYLOR, Medicinæ Doctore, Ocular io, Collegii Medicorum, quod Augustæ Rauracorum est, Imperialis Coloniensium in Germania Academiæ, & Societatum Ligensis Rhemensisque, Socio.

Londini, typis Jacobi Roberts, 1736, 8.

Plag. 5.

P Non

Non defuerunt, qui Clarissimum *Taylorum*, cujus nomen rerum gestarum fama satis jam inter exteros æque, ac inter suos, nobilitatum est, usu magis, quam ratione, Ocularium factum arbitrati, haud levis injuriæ in bonum Virum rei exstiterunt. Videtur adeo de se ipso optime promeruisse, quod artis suæ vera & demonstrata principia ante oculos universi ponere, suamque causam dicere, aggressus sit; etsi in proprias laudes nimium effusus putari quibusdam possit, legentibus, quæ in Epistola, ad Medicos & Chirurgos Londinenses data, Operique præfixa, habentur, ubi se *illis rerum per octo annorum experimenta notitiis instructum* profitetur, *quibus aptus effici debuerit ad certam ampliorem que Theoriam formandam, quam vel antecessores sperare, vel coævi sibi promittere possint*, seque *primum* jactitat *methodi inventorem, qua sine maturitatis expectatione, promte, minorique cum periculo, deponi cataracta possit.*

De Cataracta in genere differit, explicato nomine, Græcis *hypochyma*, Latinis *suffusio*, dicto, cujus substantiam plures membranaceam, ab aquei humoris prava dispositione ortam, appellare soleant. Additur ætiologia ex mente eorum, qui pro membranacea cataracta militant, a pure, post rupta uveæ vasa collecto, eandem generari. Huic opinioni, qua suam de crystallino humore mentem comprobatam efficiat, objicit primum, si sic res sese habeat, debere anteriorem magis, quam posteriorem, oculi cameram hujus membranæ sedem esse, quod tamen secus observetur, cum ex incremento cataractæ manifeste observari possit, eandem in ipsa humoris crystallini sede primordia ducere, &, quo magis ille obscuretur, eo magis videri, ac si morbus versus pupillæ centrum inclinet. Inde urget, si membrana in aqueo oborta vera esset morbi forma, debere eandem non tantum omnes radios luminosos præcludere, quod tamen contrario modo observetur, siquidem per capsulam lentis aliquid lucis persentiscere ex latere ægri tunc soleant, sed etiam omnem iridis motum sufflaminari. Adducuntur, qui utramque sententiam amplectuntur, Autores, alias membranaceas, alias a lentis crystallinæ alteratione cata-

tara-

taractas esse, asserentes, *Hecquettius*, *Woolhousius*, *S. Yves*, *Hovius*, *Morandus*, aliique. Unicam lentem arguunt *Heisterus*, aliique. Quo hancce, quæ ipsius etiam est, opinionem clariorem reddat, plura erudite de situ lentis, de vera profunditate & diametro utriusque cameræ, aqueo humore repletæ, monet, siquidem sine harum circumstantiarum curata observatione cautelæ practicæ ad operationes dirigendas formari haud possint. Ipsam autem camerarum structuram allegat tanquam securum, non dari membranaceas cataractas, argumentum. Urget enim insimul, cum membranæ putatæ remotione non posse non totum ligamentum ciliare disrumpi, & ipsam capsulam lentis violenter affici, sua denique experientia negotium ulterius declarans, sibi tot tantorumque experimentorum successibus membranaceam cataractam obviam haud fuisse. Cataractam ipsam veram *aliam*, *aliam* spuriam, appellat; hæc solutio saltem est continui in aliqua aut omnibus humoris crystallini partibus, cum ipsius capsulæ alteratione; illa mutationem lentis per varios opacitatis & coloris gradus, cum diametri jactura & consistentiæ, magnitudinis, figuræ, gravitatis, situs, depravatione, supponit. Causas cataractæ veræ quærit, nova prorsus theoria, in uno pluribusque bulbi musculis, irregulari motu contractis, quibus a presso in suis cameris humore aqueo, ligamento ciliari itidem pressius lenti admoto, humor crystallinus ipse in obliquum plus minus situm divergat, nec, quam in capsula sua servare debebat, legitimam objectisque oppositam directionem obtineat. Nihil penes eundem vel inflammatio, vel vasorum læsa continuitas, vel reliquæ causæ, hactenus allegatæ, valent. In diagnosi tres cataractæ ætates habentur. Prima levem & profundius propiusque centro lentis sitam umbram pro signo habet, unde ipsam lentem majore obstructarum partium numero abundare certum sit. Altera, supra lentem, mediam fere posterioris cameræ altitudinem implere videtur, cum colore albo subcœruleo mixto, & impossibilitate, nisi a latere, ideas cognoscendi. Tertia opacitatem lenti cum inæqualitate junctam habet, pluribus insimul coloribus mixtis. Spuria cataracta a

præternaturali mutatione contentorum in ſanguineis lymphaticisque globi vaſis oritur, cum variis ſolutionis continui, vel opacitatis, gradibus, ita quidem, ut modo lactis, modo cremoris, modo puris, colorem lens præ ſe ferat; unde nomen cataractæ lacteæ, vel purulentæ, qualis, a prævia plerumque ophtalmia, doloribus primum intra oculum a percepto lumine obortis, colore dein apparente ſubcœruleo, vel albo, per varios gradus aut morbi ætates, oboriatur. Cujus mali dubiam tamen lubricique effectus curam adornat, evacuantibus, arteriotomia temporum, collyriis, fotibus ſpirituoſis & camphoratis, & legitima oculorum, ne luminoſis objectis male habeantur, diæta. Æque obſcure apparet, glaucoma, de quo ſpeciatim differit, cataractæ ſummum gradum eſſe. Eſt enim Autori glaucoma, lentis mutatio cum capſulæ ipſius pravo habitu, quo non tantum opacitatis & coloris varii gradus, ſed & diametri amplitudo, dilatatio, pupillæ immobilitas, tandemque gutta ſerena, producuntur. Sic enim contra receptam de paralyſi nervi optici, juxta recentiores, *Maitre Jean*, & *Pitcarnium*, ſententiam pronuntiat. (*) Operationis ſuæ methodum, in deprimenda lente cryſtallina, eademque intra vitreum recondenda, uſitatam, fideliter & liberaliter impertitur. Acus eidem in negotio eſt convexe plana, capſula lentis artificioſe aperitur, inciſio in humoris vitrei inferiore parte fit, ligamentum ciliare ne attingitur quidem, integrumque remanet, acus ipſa, quando immittitur, per vitreum tranſit, vitreus ex concavo nunc convexus fit, & ſinum lentis eo promtius implet, quod aliqua ejus pars a depreſſa lente occupetur, ligamento & capſula ſuam a cornea diſtantiam legitimam, cameris ſuam plenitudinem ſervantibus. Eadem dexteritate reliquas operationum ſuarum enchireſes detexit, ex quarum numero ſunt, quas novas appellat. Elegans eſt, & materiæ dignitate commendabilis, libellus, quamvis ea, quæ a quibusdam monita in contrarium fuerunt, ſuo pondere haud carere perhibeantur.

CARO-

(*) Confer librum, *Ophtalmographia, or a Treatiſe of the Eye*, Londini A. 1713, 8, editum, pag. 71.

CAROLI LINNÆI, MEDICINÆ DOCTORIS, *Musa Cliffortiana, florens Hartecampi A. 1736 prope Harlemum.*

Lugduni Batavorum, 1736, 4.
Plag. 6, cum Tabb. æn. 2.

Cliffortia gens, quam in ſuſcepti herbarum patrocinii teſſeram nobiliſſima planta, *Cliffortia* dicta, immortalem fecit, nominis ſui celebritatem novo horti proventu illuſtrem efficit, regiæ prorſus nobilitatis, proceritatis & formæ ſpectabilis, plantam nobis, interprete Clariſſimo *Linnæo*, ſiſtens, quam, *Muſa* appellatam, altero abhinc anno eadem proceritate, numeroque fructuum haud inferiore, florentem fructificantemque, coluit hortus Lipſienſium *Boſianus.* Eo jucundior erit in poſterum omnibus principis iſtius inter vegetabilia plantæ adſpectus, quæ tantam hucus que omnibus, quotquot eandem præſentes intuiti ſunt, ob ſingularem indolem, admirationem fecit, quo certior fiducia eſt, pluries paſſim florituram, plenius, ſicut *Linnæi* induſtria nunc eſt, cognitum iri. Fecimus, quantum potuimus, & quantum nobis per ſpatii anguſtiam licuit, hiſce in *Actis Anni 1734 Menſe Aprili pag. 171 ſeq.* &, ſi qua ad characterem floris fructusque, aliquo ex noſtris obſervante, pertinere viſa ſunt, fideliter retulimus, gaudemusque, non prorſus hanc noſtram operam *Linnæo* diſplicuiſſe, cujus eruditiſſimam rerum varii argumenti huc pertinentium ſupellectilem lubenter adoptamus. Evolvuntur primo plantæ nomina, additurque, ſingulari prorſus conquirendi ſtudio, ex quo Autoris vaſtiſſimam lectorum memoriam intelligere poſſis, qui, quotque Autores hanc plantam *Muſam, Maur, Pacoeram, Bacoba, Banana, Pacoveram, Palam, Balam, Pyſang, Platanum, Ficum, Dudaim,* appellaverint. Adducuntur, quibus antiquitus ad hæc tempora innotuerit, gentes. Inde, quam diverſi methodorum Autores illi claſſem aſſignarint, apponitur. *Cæſalpino* ſcilicet eſt arbor baccifera monoſperma, *Moriſono* heteroclita loculamentis ternis, *Rajo* arbor caudice ſimplici folio lato, *Hermanno* arbor pomifera umbilicato poly-

pyreno fructu, *Bœrhavio* arbor monocotyledon, ex Palmarum gente, *Tournefortio* anomala polypetala, calyce in fructum abeunte, *Rivino*, ejusque asseclis, tripetala irregularis pericarpio carnoso, *Magnolio* arbor calyce interno tantum, dipetalo flore, ipsi Autori polygamia monoecia, secundum novam suam acute excogitatam methodum, palma scilicet spatha composita spadice ramoso. Quamvis enim plura Autoribus, cur palma esse nequeat, dubia enata sint, ob partium tamen omnium in hac classe diversitatem, aliis scilicet maribus, aliis fœminis, aliis hermaphroditis, aliis bacciferis, aliis nuciferis, existentibus, cum nihil hactenus præter spatham seu spadicem palmæ genus definiverit, ob hujus involucri, ex quo flores confertim erumpunt, in Musa præsentiam, palma merito appellabitur. Hac occasione in palmarum umbracula exspatiatur, spatha unica simplici, spatha unica composita, spathis pluribus simplicibus. Musa hæc, communi spatha persistente, duplicis generis flores tulit, hermaphroditica exin appellanda, inferiores fœmininos, seu fertiles, superiores masculos, seu steriles, singulo flore suam propriam spatham denuo obtinente, alternam, ovatam, coriaceam, coloratam. Petalum floris *Linnæo* visum fuit unicum, sex staminibus receptaculo insertis, quibus nullæ antheræ superstant. Pistillum mutatur in germen, omnium maximum, longissimum, obtuse triquetrum, lateribus inæqualibus, gibbum versus alterum latus, sessile, intra receptacula floris positum, stilo erecto, nec deciduo, longitudine petali, stigmate, in summitate coronato. Eadem omnia in masculo flore obtinent, nisi quod antheræ supersint sex staminibus, fructus vero nullus, quamvis pistillum ad fructum inclinare videatur, abortivum scilicet, stigmate itidem obsoleto. Semina fructui insunt nusquam fœcunda, vel propagationi apta. *Plumierio* tamen & *Bœrhavio* flos polypetalos dictus fuit, quo ipso ad Mesembryanthema, seu Ficoides, spectare videtur, cum quibus tamen male sub eadem classe collocari docent calyx, corolla, stamina, pistillum utrinque magnopere diversum. Nec ficus esse poterit, tametsi, seminibus in fructu sterilibus, aliquam similitudinem habere videatur. Plantæ habitus a radice, caudice, foliis,

liis, florendi modo, an elegantius exsculptus sit, an doctius descriptus, dubium superest. Hortus *Bosianus* noster, Carolsruhanus, Viennensis divi *Eugenii*, alteram illam speciem fructu cucumerino breviori colunt, quam præcocem appellare suevevrunt, ab incrementi celeritate, id quod quo jure dictum sit, tempus docebit. Peregrinatores hanc Musam in infinitis propemodum observarunt & detexerunt locis, ex quorum observationibus curiosissimum ducit calculum *Linnæus*, eandem inter gradus 30 latitudinis loci utrinque ab Æquatore sitis regionibus nasci. Ab aliquo nostrum Tripoli Barbariæ, quæ urbs 33 gradu definitur, pleno solo nata deprehensa fuit, ex Ægypto tamen illuc translata. Longitudine vero locorum nullis omnino circumscripta esse dicitur limitibus. Culturam definit Autor ab irrigatione frequenti, quod eo magis usu venit, quod filtrum vegetabile sit nobilissima ista planta, siquidem post irrorationem aquæ guttæ per transspirationis speciem ex apicibus foliorum in filum terminatis depluunt. Observavimus inde, frequentiorem singulis mensibus, quamdiu juvenes sunt, ad nova vasa translationem easdem ad incrementum excitare. Usus plantæ in patria, ubi nascitur, uberrimus est; inservit enim umbraculis, vestitui, quæ res forte, folium Adami ex hac planta fuisse, sentientibus occasionem præbuit, de pabulo elephantum cogitandi. Fructus copioso proventu integras gentes alit, recens æque ac coctus, vel in panes pistus. Potum etiam præbet, succo in vinum mutato, imo & medica quædam subest utilitas, siquidem & pectoris & renum cruciatui opem ferre habita fuit. Adduntur omnis antiquitatis encomia, disputatur, *an arbor scientiæ boni & mali, an ficus, cujus foliis nuda sua circumdederunt corpora protoplastæ, an uva e terra Canaan, an Dudaim, an arbor, cujus fructu Alexander milites interdixerat, an cibus sapientum Indiæ, an Phœnix antiquorum, fuerit hæc Planta*, & si qua alia sunt eruditionis & industriæ monumenta, de quibus, aliisque, propediem lucem literariam adspecturis, Autori cum applausu gratulamur.

MACHINES ET INVENTIONS, APPROUvées par l'Academie Royale des Sciences, &c.

h. e.

MA-

MACHINÆ, ET INVENTA, APPROBATA ab Academia Scientiarum Regia, inde a sua fundatione ad nostra usque tempora; una cum illorum descriptionibus. Delineata ac publicata, consensu Academiæ, per GALLONUM.

Tomus III.

Parisiis, apud Gabr. Martin, Jo. Bapt. Coignard, fil. & Hippolyt. Ludovic. Guerin, 1735, 4 maj.
Alph. 1 plag. 4, Fig. æn. 75.

Perlustratis nuper Collectionis hujus prioribus *duobus Tomis*, age, eodem studio reliquos quoque percurramus. *Tertius* igitur eas conspectui sistit Machinas, quæ inde ab A. 1713 usque ad 1719 Academiæ fuerunt ostensæ. Anno igitur 1713 sequentes fuerunt, quibus Academia suum addidit calculum. 1) Machina, palis terræ fortiter intrudendis idonea, quam exhibuit *de Camus*. Magna hujus Machinæ præ aliis, eodem scopo adhibitis, est opportunitas. Malleus enim, (quem appellant Gallice *Mouton*, & in vernacula nostra *die Ramme*,) postquam decidendo palum feriit, extemplo ac sine dispendio temporis sursum trahi potest, ita, ut decem ictus eodem tempore perficere possit, quo vix duos absolvere liceret per machinamenta ordinaria. Malleus sursum trahitur hac ratione: funis, cui alligatus est, in summitate trabis verticaliter erectæ trochleam ambit, ex qua descendens, per aliam adhuc transit, ut directio ejus evadat horizonti parallela; deinde circumvolvitur cylindro vel ergatæ alicui, verticaliter erectæ, & ope vectium circumagendæ, in cujus constructione præcipuum totius machinæ artificium consistit. Primo est cylindrus vel ergata, cui vectes & potentiæ agentes applicantur. Huic in eodem axe verticali alius jungitur cylindrus, non adeo altus, sed ejusdem prorsus diametri, & circa axem mobilis, cuique funis circumvolvi debet. Fibulis quibusdam ferreis instruitur, quæ annectuntur circulis,

hac


quibus probe cingendus eſt, ferreis. Deinde in ſummitate cylindri prioris adhibetur vectis recurvus, ſuper ipſum prominens, ita, ut altero ſuo extremo unam ex fibulis poſterioris cylindri offendat. Quando itaque cylindrus prior circumagitur, vectis hicce fibulam, & ejus ope cylindrum alterum, trudet, & ſic malleus ſurſum trahetur. Malleo ad ſummitatem trabis verticalis evecto, deprimendus eſt vectis, ut fibulam non amplius retineat, tuncque malleus omni, qua poteſt, vi decidet. Ictu facto, vectis, ope elaterii in, cylindro priori adhibiti, rurſus attolletur, ut aliam offendat poſterioris fibulam, & ſic malleus, eadem, qua prius, ratione, mox iterum evehi poteſt. 2) Ejusdem Rheda, quæ ſubverti haud poſſit. Id hac ratione obtinetur, ut lectica Rhedæ ex medio altitudinis ſuæ ſuſpendatur, utque adeo onus ſemper infra punctum ſuſpenſionis collocetur. Verendum autem eſt, ne ſuccuſſus hujus Rhedæ ſint paulo rudiores, adeoque ſecuritas incommoditate aliqua compenſetur. 3) Traha novæ conſtructionis, una cum modo frictiones Machinarum diminuendi, propoſita ab *Hermando.* Modus hic conſiſtit in applicatione cylindrorum, quibus onus imponitur, de quo jam diximus in recenſione *Tomi primi*, occaſione Machinarum *Perralti.* Ita enim obtinetur motus *volvens* loco *radentis.* In applicatione horum cylindrorum vulgari, uti oneribus trahendis ſupponuntur, hæc fere deprehenduntur incommoda: 1) Situm inter ſe parallelum difficillime conſervant, niſi centra laminis ferreis probe jungantur. 2) Vix tres quatuorve ſimul adhiberi poſſunt, quæ cauſa eſt, ut ob oneribus grandioribus ita comprimantur, ut figuram ovalem vel cylindroidicam induant, adeoque ſuperinceſſui remoram haud exiguam objiciant. 3) Si ex materia duriori, quam eſt traha, conſtruerentur, cavitates ipſi imprimerent. 4) Quando traha incedit, opus eſt hominibus, qui eos a parte poſtica ad anteriorem ſemper transferant, ac de novo applicent. 5) Summo ſtudio cavendum eſt, ne cylindri in ipſo motu ſeſe contingant, quoniam exinde reſultarent frictiones vix ſuperabiles. Hiſce igitur incommodis mederi nova ſua conſtructione ſtuduit *Hermandus.* Traha

Q ha

ha hæc conſtat ex duobus cancellis rectangulis, ſibimet ſuperimpoſitis, & parallelis, ope fulcrorum probe junctis, quorum longitudine a ſe invicem diſtant. Inferior inſtructus eſt cylindris plurimis, latitudini trahæ parallelis. In ſpatio iſto, quod inferius rectangulum a ſuperiori ſeparat, adhibentur alii cylindri, forma *roſarii* ſibimet invicem juncti, *(un Chapelet de Rouleaux,)* quorum diameter major eſt diametro priorum. Quando traha movetur, Roſarium hocce circulando quaſi ſuper cylindris prioribus incedit. Hac cylindrorum multiplicatione obtinetur, ut onus probe diſtribuatur, & æqualiter per omnes partes ſuas ſuſtineatur. Traha igitur hæcce facile erit tractabilis, nec iis, quæ diximus, incommodis obnoxia; ſed requiritur, 1) ut cylindri roſarii omnes eandem habeant diametrum, 2) ut traha hæc non adhibeatur, niſi in planitiebus, alias enim cylindri onus non ſuſtinebunt æqualiter; &, uno ſolum diffracto, tota Machina inutilis evadet. 4) Pons ductarius, vel fluctuans, (*Pont flottant,*) inventore *Camo.* Conſtat ex pluribus trabium compagibus, quarum una ex 5 vel 6 compoſita eſt: trabes hæ intus, ciſtarum inſtar, cavæ ſunt, & cellulis quamplurimis interſtinctæ: quælibet trabs eſt 6 pedes longa, lata & alta unum pedem. Cellulæ probe debent eſſe junctæ & obturatæ, ut aquæ omnis præcludatur ingreſſus. Sex hujusmodi trabes compinguntur ope duorum aſſerculorum transverſalium, quorum quilibet tot foraminibus pertuſus eſt, quot ſunt trabes jungendæ. Hiſce foraminibus quadrant cochleæ fœminæ, in extremitatibus cujusque trabis collocatæ: deinceps ope cochlearum marium, quas fœminæ recipiunt, aſſerculi trabibus firmiter & ſolide junguntur. Plurium compagium connexio etiam fit ope cochlearum marium & fœminarum, & hac ratione totus Pons conſtructus erit. Porro quælibet trabs ita conſtrui poterit, ut partes ejus facile a ſe invicem divelli & conjungi iterum poſſint, ita, ut Machina tota huc illucque commode transportari poſſit. Pons hic executioni jam datus fuit A. 1710. 5) Idem Pons ab eodem Autore magis perfectus. Differt a priori, quod trabes ciſtulis inſtructæ ſint, ſibi invicem propiores, & commiſſuris junctæ, ita, ut plu-

res

TAB. II a



res simul in unum quasi fasciculum colligi queant. Quando igitur Pons construendus est, fasciculus talis explicari, & hac ratione compages 10 vel plures pedes lata in promtu esse potest. Magno igitur usui esse potest, in locis præsertim præcipitibus, e. g. fossis trajiciendis. Cochleas ex cupro fieri jubet Autor, ut sic a rubigine defendantur. 6) Ejusdem generis Pons, autore *Hermando*. Vix differt a præcedente, nisi quod trabes loco cochlearum jungantur fibulis, cuneisque ligneis. Promtus est Pontis hujus usus. Inventor enim, Rege spectante, 10½ minutorum spatio illum canali Versaliensi induxit. Cum inventum hocce Academiæ ostenderet Autor, *Camus*, ejus autorem se esse, contendebat; & Commissarii, eam in rem nominati, reapse invenerunt, Pontem *Cami* aliquo jam antea tempore executioni datum fuisse. *Hermandus*, de inventionis gloria non disputans, solummodo asseveravit, sese de ponte *Cami* nil antea audivisse. Anno 1714: 1) Horologium oscillatorium, quod tempus verum sive apparens indicat, autore *Bono*, horologiorum fabro. In *Fig. 1* AB est circulus horarum mediarum immobilis, cui minutorum mediorum circulus contiguus est. Huic proximus est circulus EF, mobilis, & qui ope indicis D tempus verum monstrat, ita, ut index D in circulo immobili tempus medium, & in mobili verum simul, indicet. *Fig. 2* exhibet mechanismum, qui pro movendo hoc temporis veri circulo adhibetur. GH iterum est circulus hicce movendus, cui affixa est rotula dentata I, impellenda ab arcu dentato KLM, rastri pæne formam habente. Rastrum hocce circa punctum L in medio sui fixum mobile est, & brachii ejus extremum M unco suo dentes curvæ OP arripit, ab elaterio N eo semper directum. Curva OP æquationis curva est, dentibus 360 instructa, junctaque rotæ pari modo dentatæ RQ, eodem, ac curva, dentium numero præditæ, ac detenta ab lamina Z, quæ ab elaterio N protruditur. Rota alia S circuitum suum horis 24 absolvit, impellenda a minori T. In circumferentia ejus fixa est fibula V, quæ media qualibet nocte in unum rotæ PQ dentem impingit, eamque una cum curva OP impellit, & per spatium unius dentis movet, in quo

TAB. II Fig. 1.

Fig. 2.

ſitu deinceps a lamina Z retinetur, donec fibula ſequenti nocte iterum in alium dentem impingat. Evidens igitur eſt, raſtrum KLM unco ſuo M quolibet die novum curvæ OP dentem arripere, &, prout partes curvæ vel altiores, vel depreſſiores, attingit, nunc progredi, nunc retrogredi, debere, & hac quoque ratione circulum GH, utpote rotulæ I firmiter affixum, quaſi oſcillaturum fore. Et hac ratione circulus hicce mobilis tempus apparens commonſtrabit. Eſt hoc horologium unum ex ſimpliciſſimis. 2) Idem quoque Artifex modum exhibuit pondus horologiorum ſurſum trahendi ope rotarum, quæ malleum campanulæ impellunt, ut adeo motus penduli nunquam interrumpatur. Tantum quoque abeſt, ut in nuda ſpeculatione hæc omnia conſiſtant, ut potius in pendulis quamplurimis ad executionem feliciter perducta fuerint; quibus ex cauſis Academia titulum ſui horologiorum Fabri Autori impertivit. 3) Machinamenta, oneribus ex altitudine aliqua demittendis idonea, autore *P. Reſſino*, Oratorii Socio. Loco contrapondii adhibetur ſitula aqua plena, quæ, ubi ad ſummitatem pervenit, in infundibulum effunditur, ex quo aqua in vas grande infra poſitum effluit, ut adeo hæc operatio absque aquæ diſpendio, quoties libuerit, repeti poſſit. 4) Ejusdem modus elevandi trabes, lapides, &c. in conſtructione ædificiorum; id quod fit ope aquæ in ſummitate machinæ per tubum in ſitulam, qui loco contrapondii eſt, effluentis. Non autem, niſi in caſibus quibusdam particulariſſimis, locum invenire poteſt. 5) Ejusdem modus peculiaris navem onerandi & exonerandi. Nimis autem implicatus eſt, ideoque in particularibus ſolum caſibus uſui eſſe poterit. 6) Ejusdem modus demittendi currum onuſtum ex acclivitate nimis præcipiti. Ut reliquas ejus difficultates taceamus, eum inprimis nimis ſumtuoſum eſſe, Cl. Editor obſervavit, neque adeo adhibendum, niſi iis in locis, quæ ſine maximo circuitu & moleſtia evitari haud poſſunt. 7) Currus velis inſtructus, inventus a *du Quet*, adeoque a vento propellendus. Ingenioſum eſſe, Academia pronuntiavit, licet judicarit, quamplurima obſtare, quo minus feliciter uſibus adhibeatur, e. g. inæqualitates viarum,

vico-

vicorum & ſylvarum obſtacula, &c. 8) Alius ejusdem generis currus, priori commodior, ab eodem Autore propoſitus. 9) Applicatio hujus conſtructionis in navibus, autore eodem, quæ vero incommoditatibus quamplurimis eo præſertim caſu obnoxia foret, quando vento adverſo navigandum eſſet. 10) Ejusdem Plauſtrum, quod ſemet ipſum ope venti onerat & promovet, ex iisdem fere principiis, ac currus velis inſtructi, excogitatum. Anno 1715: 1) Media quædam, quibus impedire licet, ne camini nimis fument, propoſita a *de la Chaumette*. Verendum autem eſt, ne in quibusdam caſibus effectu ſuo careant. 2) Pyxis pro pulvere pyrio, (*fourniment*,) novæ conſtructionis, autore eodem, cujus uſus facilis & expeditus eſſe poſſet. 3) Alia pyxis, pulveri pyrio globisque ſimul bombardæ immittendis idonea, autore eodem. 4) Ejusdem tormentum bellicum, ex poſtica ſui parte (*par la Culaſſe*) onerandum. Ejus generis tormenta hac tempeſtate valde in uſu eſſe incipiunt; citius enim ac expeditius onerantur, nec adeo incaleſcunt, quoniam aeri liberior in animam tormenti ingreſſus patet, poſtquam pars poſtica aperta eſt. Ex hac ratione in vernacula noſtra vocantur *Geſchwind-Stüke*. 5) Ejusdem pyxides tabacariæ, (*Tabatieres*,) quarum uſus frequentiſſimus fuerat, nunc autem ob incommoda quædam fere abolitus. 6) Ejusdem Scalpella, quorum ope unico ſolum tractu calamum temperare licet. Non opus eſt, ut de iis multa dicamus, cum apud nos quoque cuilibet nota ſint. 7) Machinula, vi pulveris pyrii explorandæ apta, & bombardis applicanda, autore eodem. 8) Ejusdem candelabra, atramentaria, &c. ab ordinariis diverſa. 9) Rheda ſubverſioni haud obnoxia, ab eodem *Chaumette* propoſita. Duos hoc efficiendi modos exhibuit. Judicat Cl. Editor, Rhedas ſic conſtructas non ſatis eſſe ſolidas, neque adeo perſonarum iis vectarum ſecuritati ſatis proſpici. 10) Ejusdem adhuc Tabula picta, quæ ſimul conopei loco inſervire poteſt, cum in ſitum horizontalem & verticalem facile dirigi queat. Anno 1716: 1) Machina pro fabricandis bombardarum tubis, autore *Villono*, quam valde ingenioſam eſſe, Academia pronuntiavit, & in praxi commode

mode usurpandam. Inservit autem præcipue laminis ferreis, ad formandos exinde tubos probe præparandis. Opus autem ab artifice harum rerum probe perito conducatur, necesse est. Tota Machina aquæ cursu agitatur. 2) Ejusdem Machina, tubis bombardarum perforandis inserviens, vi fluminis rursus agitanda, & ex iisdem, quibus prior, principiis constructa. 3) Ejusdem Machina, pyrobolis minoribus jaculandis idonea, quæ, licet sumtuosa sit, & plus pulveris pyrii requirat, magnas tamen habet utilitates, 1) quia pyrobolus securius dirigitur, & multo longinquius projicitur, quam quidem sola manu militis fieri potest; 2) quia spatium haud magnum occupat, adeoque commode transferri potest, & utiliter adhiberi in occupationibus improvisis, ut alias jam taceamus. 4) Alia adhuc ejusdem Autoris Machina, fabricandis tormentis pyrotechnicis destinata, cujus usus præcipuus is est, quod inserviat rotunditati conciliandæ istis partibus, ex quibus tubus sive anima tormenti formari debet. 5) Alia porro ejus generis Machina, cujus ope plura frusta ex ferro cusa, & probe præparata, calefactaque, sibi invicem ita jungi & quasi afferruminari possunt, ut tubum tormenti longitudinis desideratæ exhibeant. Fabrefacta fuerunt hæc tormenta ex ferro cuso Marliæ ab ipso Autore; imo quædam in armamentario Parisiensi videre licet. Hisce omnibus denique 6) additur Machina, perforandis tormentorum tubis idonea, valde simplex, & executioni facile danda, adeoque perutilis iis in locis, ubi tormenta bellica vel funduntur, vel cuduntur. Ut pleniorem horum inventorum descriptionem exhibeamus, instituti nostri ratio non permittit. Sufficiat, recensuisse usus eorum bene multos & magnos. Præclara harum rerum scientia se imbutum esse, ostendit Inventor, id quod ipsissimum fuit Academiæ judicium. 7) Clavicymbalum, malleolis instructum, autore *Mario*. Malleoli substituuntur loco plectrorum subsultantium, & pennarum, apicibus chordas tangentium. Credit Autor, sonos hac ratione reddi suaviores, & magis temperari posse, ita, ut chordæ modo fortius, modo lenius, tangi queant. Ipsa quoque Academia, ingeniosam esse hancce constructionem, judicavit. Ex hoc deinceps fundamento 8), 9), &

10), di-

10), diversas exhibet pro adhibendis hisce malleolis methodos, unam altera meliorem. Ostendit præcipue, quomodo in uno eodemque Clavicymbalo plectra, & malleoli simul applicari queant. 11) Organon pnevmaticum, tot follibus instructum, quot clavibus, (quod vix ad praxin deduci posse arbitramur,) autore eodem. 12) Horologium portatile, mari usurpandum, inventum a *Sully*, Anglo, quod novæ constructionis & valde ingeniosum Academia prædicavit. Est autem horologium hocce formæ cylindricæ, cujus diameter est 3 digitorum & æqualis profunditatis. Differt ab aliis ejusdem generis horologiis in eo præsertim, quod axis pinnatus alia ratione constructus sit, & librationes suas aliter, ac vulgo fieri solet, conficiat. Loco duarum pinnularum in axe, qui unum, plus minus, digitum longus est, adhibentur duo frustula cylindrica & chalybea, quorum diameter est 3 linearum, & quæ axi, vel arbori, oblique & situ subcontrario applicantur, ac a rota libratoria (quam ita appellare liceat,) 15 vel 20 dentium alternative excipiuntur. In *Fig. 3* O est libramentum, (*Balancier*,) OMP axis, M & R frustula cylindrica, ipsi applicata, N rota libratoria. Ceterum, ne motu navis horologium turbetur, suspendendum erit ea prorsus ratione, qua suspendi consueverunt pyxides magneticæ. 13) Ejusdem methodus evitandi frictiones in Horologiorum axibus pinnatis. Scilicet quælibet axis pinnati extremitas includitur inter quatuor cylindrulos, probe fabrefactos, ac adamanti, vel alii cuidam durissimo politissimoque lapidi, insistere debet. Eadem quoque ratione axis rotæ libratoriæ includitur. Hac methodo frictiones multum minuuntur, &, quod ex iis adhuc restat, ad æqualitatem perducitur, ut nihil amplius motum horologii turbet. 14) Rheda pro veredariis, (*Chaise de Poste,*) subversioni haud obnoxia, proposita a *Godofredo*, quæ multum affinitatis habet cum Rheda *Cami*, cujus jamjam mentionem fecimus. 15) Nova Scalarum constructio, satis ingeniosa, & ab eodem Autore proposita, & executioni jam A. 1699 data. Inservit in iis præcipue locis, ubi adhibendæ sunt scalæ occultæ, quas appellant *Escaliers derobés*. Quoniam Scalæ hujus gradus separatione aliqua a se distin-

TAB. II Fig. 3.

diſtincti ſunt, ut duos quaſi ordines efficiant, & alternative conſcendendi ſunt, hinc vocatur *Eſcalier de Répétition.* 16) & 17) Machinæ frumentis ventilandis aptæ, propoſitæ a Barone *de Knopperſ.* Prima prorſus convenit cum ea, quam exhibuit *Agricola de re Metallica* eo fine, ut laboratoribus in metallifodinis novus aer ejus ope affluere poſſit. Ejus autem applicatio ad frumenti ventilationem utilis viſa fuit. Secunda ex priori, ſed perfectius, conſtructa eſt, & executioni in quibusdam Flandriæ locis data. Anno 1717: 1) alia adhuc Rheda, ſubverſioni haud ſubjecta, a *Camo* exhibita. Narratur in Hiſtoria Academiæ ad hunc Annum, eam ab Autore executioni datam fuiſſe, & coram Academia ambulaſſe. Lectica ſuſpenditur ex ſui medio, eo fine, ut onus puncto ſuſpenſionis ſemper inferius evadat. Rotæ anteriores eandem, ac poſteriores, diametrum habent, qua ratione efficitur, ut temo quoque magis elevatus eſſe debeat, adeoque equi terræ parallele trahant, &c. Nihilo minus ſubeſt adhuc quibusdam difficultatibus, quæ in magnis præcipue acclivitatibus ſeſe proditurӕ forent, niſi ex ferro conſtruantur, quæ alias ex ligno fieri ſolent, adeoque Rheda nimii ſit ponderis, & valde ſumtuoſa. 2) Inſtrumentum Geometricum, cujus ope angulorum gradus una cum minutis & ſecundis exacte in quolibet plano capere licet, & in chartam transferre, autore *Du Val*, Presbytero. Uſus itaque ejus idem eſt, qui Graphometri, vel Semicirculi. Judicat Cl. Editor, operationes ichnographicas hoc inſtrumento ſat accurate perfici poſſe, modo non ſint nimis magnæ, quoniam dioptræ Teleſcopici ii difficulter applicari poſſunt. 3) Culcita, inventa a *de la Chaumette*, quæ cumprimis in Noſocomiis utiliter adhiberi poteſt. 4) Modus naves a naufragio præſervandi, ſub pontibus tranſeuntes, propoſitus a *Figuierio*, occaſione pontis, quem vocant, S. Spiritus, ſuper Rhodanum fluvium facti, utpote cujus rapiditas quamplurimas naves dicto ponti allidit, & ſic in naufragium conjicit. Methodus in eo conſiſtit, ut Pontium pilæ, per quas navium frequentiſſimus eſt tranſitus, ex illa, quæ fluminis curſui objecta eſt, parte textura aliqua circumdentur, quæ ad culcitæ fere formam acce-

accedit, id quod Galli vocant *matelaſſè*. Culcitæ hæ ultra fluvium prominent, & catenis annectuntur, quæ in ſuperiori pilæ parte trochleis circumducuntur, contrapondiisque inſtruuntur, ita, ut textura probe tenſa maneat, & nunc elevari, nunc demitti, pro ratione incrementi vel decrementi fluvii, poſſit. Navis igitur, quæ alias in pilam impingeret, texturæ huic ſine detrimento impingit, eoque in directionem torrentis reducetur. Cl. Editor aliquas contra hancce methodum objectiones formavit, de quibus, niſi fiant experimenta, dicere haud licet, an ſint ſolidæ, an ſecus. Ipſa enim methodus, ſi executioni daretur, variationes forte ſubire deberet, quæ non, niſi experientia magiſtra, addiſci poſſunt. 5) Rota elevandæ aquæ idonea, exhibita a *Jouæo*. Scilicet radiis rotæ a torrente circumactæ adhibentur ciſtulæ, parallelepipedi formam habentes. Quælibet ciſtula duobus foraminibus, per quæ aqua in receptaculum effluit, inſtructa eſt; quæ ut aperiantur, rurſusque claudantur, ingenioſa ſatis ratione efficere docuit Autor. Foramina ſcilicet in iis parallelepipedi planis ſunt, quæ ſunt muris rotam ſuſtinentibus parallela. Super eo plano canali inſeritur aſſerculus vel regula, huc illuc facile trudenda, & brachio recurvo affixa. Muro infigitur horizontaliter in fundo torrentis virgula lignea, vel ferrea, ut & in receptaculo, quod ſuper muro exſtruendum eſt. Quando ciſtula aqua plena attollitur, brachiolum recurvum virgulæ receptaculo infixæ occurret, & ſic regula, quæ duo foramina obtexit, protrudetur, ut foramina aperiantur, & aqua effundatur. Foraminibus ſic recluſis, ciſtula ex altera parte in torrentem deſcendet, &, poſtquam aqua repleta fuerit, alteri virgulæ, quæ muro inſerta eſt, ſenſu priori contrario occurret, & ſic regula foraminibus rurſus inducetur, donec iterum ad virgulam receptaculi pervenerit. 6) Alia adhuc rota, eidem ſcopo inſerviens, & ab eodem Autore exhibita. Poſtquam ſcilicet ei objectum eſſet, rotam priorem iis in torrentibus, qui magnam arenæ limique copiam ſecum vehunt, huic defectui fore obnoxiam, ut aſſerculi vel regulæ motus facile ſufflaminari, imo ea diffringi, queat; illum corrigere alia conſtructione conatus

 fuit

fuit. Situlas scilicet non amplius radiis rotæ affigit Autor, sed in fronte peripheriæ ex ansis suis suspendit. Et, quoniam ansæ sitularum per cavitatem cylindruli alicujus ferrei transeunt, qui in extremitate virgæ ferreæ, peripheriæ rotæ infixæ, & situlam sustinentis, collocatus est, liberrime in eo movebuntur, & sic situlæ in situ semper verticali constitutæ erunt, & aqua plenissimæ ad receptaculum pervenient, non procul a summitate rotæ positum; in illud deinceps impingent paulo infra centrum suum gravitatis, ut facilius inclinentur, & aquas effundant. Hæc rotæ constructio priori multum præferenda est.

7) Differentes methodi strata vel pavimenta viarum bona & commoda efficiendi, propositæ a *le Large*, cujus integrum Schediasma, utilibus utpote cogitatis refertum, hic exhibetur. Loquitur Autor primo de incommodis, quibus ordinaria viarum pavimenta premuntur, ex quibus id præcipuum est, quod rotæ curruum nimios ipsis sulcos imprimunt juxta commissuras lapidum. Credit quoque, latitudinem absidum rotæ pro talibus pavimentis nimis esse exiguam, utpote quæ non est nisi $2\frac{1}{2}$ digitorum, suadetque 1), ut fiat quatuor digitorum, imo quinque vel sex, super pavimento veteri & nimis jam sulcato. 2) Suadet tale pavimentum efficere, ut commissuræ lapidum in longum (quibus scilicet integra lapidum series alteri jungitur,) collocentur sub via rotæ, sive, quod idem est, parallele cum directione rotæ, sed probe, quoad ejus fieri potest, jungantur, & ab uno ad alterum spatium 5 pedum 8 digitorum, quæ est latitudo currus, relinquatur. 3) Potest quoque pavimentum simplex & duplicatum alternis vicibus adhiberi. 4) Si pavimentum duplicatum solum adhibetur, tanta spissitudine opus non erit, sed 4 vel 5 digiti sufficient; imo nec sabulo opus videtur, ita, ut conservatio talis pavimenti dimidiis fere sumtibus fieri queat. 5) Possunt commissuræ lapidum oblique locari, qua ratione illis nulli omnino sulci a rotis imprimi poterunt. 6) Quando pavimentum ex silicibus sternitur, viæ rotarum ita formari possunt, ut sine ulla aurigæ opera rota semper in medio maneat, duos scilicet silicum ordines ad se invicem inclinando. Rotæ curruum brevi tempore omnes silicum inæquali-

qualitates ita deterent, ut via perfecte plana & pæne polita evadat. 7) Idem modus adhiberi potest sic, ut rotarum solummodo viæ formentur, interque eas spatium silicibus vacuum pro caballis relinquatur. Deinceps Autor examinat obstacula, ex succussibus curruum orienda, ac tabellam obstaculorum exhibet, quæ ex succussibus in altitudinibus unius lineæ usque ad 9 digitos 8 lineas oriuntur, supponendo, diametrum rotarum esse $5\frac{1}{2}$ pedum, &, quomodo in suis pavimentis evitentur, monstrat. Adjicit annotationes utiles, quæ ad vecturas generatim spectant, quibusque subjungit alias de vi equorum trahentium, ac de viis montosis. Ultimo denique loco ad duas objectiones respondet, quæ contra hanc viarum emendationem fieri possent. 8) Machina, quæ inservire possit aquæ marinæ a salsedine purgandæ, inventa a *Gauthierio*. Cubus ligneus excavatus est, in quo tympanum est ope manubrii versatile, cui acerra cum igne includitur. Aqua marina ope canaliculi in fundum cubi intrare potest. Super cubo collocantur quinque quasi capitella intus cava, & in canalem communem desinentia, qui epistomio instruitur. Quando tympanum calefactum versatur, aqua marina, superficiei ejus adhærens, in vapores resolvetur, qui sursum adscendent, & in capitellorum cavitatibus colligentur, ac in canaliculum communem rursus decident. Verum est, quamplurimas hac operatione particulas salinas ab aqua separari; sed non absque ratione dubitatur, an eo usque omnes expellantur, ut aqua dulcis plane & potabilis evadat. 9) Pendulum, tempus verum monstrans, una cum loco & declinatione solis, inventum a *Juliano Regio*. Fundamentum & constructionem ejus, quæ sane ingeniosa est, copiosius explicat & demonstrat Cel. *de la Hire* in *Commentar. Acad. Scient. ad h. A. pag. 306 – 317 edit. Batav.* Breviter autem huc redit fundamentum constructionis: Supponitur ellipsis, quæ per centrum Solis transit, cujusque semiaxis major est distantia centri Solis a centro terræ, & semiaxis conjugatus axis Telluris. Consideratur deinceps hæc ellipsis tanquam meridianus circa axem Telluris mobilis, & a continuo Solis motu abreptus. Exinde deducitur, punctum hujus meridiani ficti,

 quod

quod in plano circuli polaris tetrestris jacet, indicis locum subire posse, qui tempus verum super polari hoc circulo ostensurus sit. Hos itaque motus sua horologii constructione imitari conatus est Autor; quam, cum ex *Hireana* descriptione satis colligere liceat, transferre huc nolumus. 10) Machina pro elevandis aquis, autore *Martenotio*. Ceterum inter inventa hujus Anni inprimis quoque numeranda est rota, elevandis aquis idonea, inventa a Cel. *Fayo*, quam Cl. Editor hic exhibere supervacuum judicavit, cum integro Schediasmate describatur in *Commentar. A. S. R. ad h. A. pag. 76 seq. edit. Bat*. Præcipua ejus novitas & præstantia consistit in applicatione curvæ, quæ ex evolutione circuli describitur. Jam autem Petropolim transferri eam curavit *Petrus I*, Russorum Imperator, postquam ejus utilitatem satis perspexisset. Anno 1718: 1) Ponto, inserviens portubus maritimis curandis, i. e. a sordibus purgandis, propositus a *de la Balme*. Quo prærogativæ novi hujus Pontonis eo melius innotescant, Cl. Editor delineationem descriptionemque illius adjunxit, quo in portu Brestiensi, Toloniensi, &c. utuntur. In Machina ordinaria duabus rotis ab hominibus calcandis opus est, quarum una vasi, quo sordes exhauriuntur, elevando, altera eidem iterum ad fundum portus deprimendo, inservit. Nova Machina non nisi unica rota instruitur, cujus diameter est 24 pedum: quælibet axis ejus extremitas rotulam dentatam habet, quæ virgam, super duabus trabibus horizontalibus (quibus tota quoque rota incumbit,) positam, dentatamque, prout in suculis ordinariis adhibetur, impellit, cuique annectitur catena, vas, quo sordes exhauriuntur, trahens. Descensus vasis temperatur contrapondio, alteram virgæ dentatæ extremitatem trahente. Altera igitur rota in hac Machina penitus suppressa est: sed ob tenacitatem fundorum, & pondus vasis repleti, suculis a frictionibus metuendum esse, Cl. Editori videtur. Ceterum multæ ejus prærogativæ præ ordinaria sunt, quia cumprimis minore virium & temporis dispendio effectus suos præstat. 2) Alia, eidem scopo inserviens, Machina, cujus exemplar in theatro Machinarum Academico, quod in Observatorio Regio est, af-

ser-

servatur. Non est nova, cum ante illarum, quibus hodie utuntur, inventionem jam in usu fuerit; sed, ob affinitatem, vel potius identitatem, effectus, Cl. Editor eam hic inserendam esse judicavit. Hodie vero negligitur ob nimiam compositionem, motuumque difficultatem & asperiem; vix itaque opus est, ut plura de illa dicamus. 3) usque ad 11) Inventa varii generis, armis pyrotechnicis applicanda, & proposita a *Deschampio*, quorum nonnulla executioni data fuerunt cum successu. 12) *Vergierii* Machina, inserviens palis in aqua figendis, quam haud esse novam, ait Cl. Editor, utpote quæ parum differat ab alia ejus generis Machina, in *Jac. Bessonii* Theatro Instrumentorum Mathematicorum & Mechanicorum (*Lugd. 1579 fol.*) *pag. 23* proposita. 13) *Marchandii* Fons artificialis, cujus constructio ingeniosa quidem est, sed haud nova, & pluribus in locis executioni data. 14) Machina, oneribus attrahendis idonea, exhibitaque ab *Alixio*. Funis, onus trahens, axi verticali circumducitur, in cujus summitate horizontaliter posita est rota libratoria, eum prorsus in modum dentata, ut rotæ horologiorum libratoriæ: & hanc impellit cylindrultis pinnatus, fere ut in horologiis. Ex duabus cylindri hujus extremitatibus vectes dependent, quibus vires applicantur, quæ oscillando, perinde ac horologiorum pendula, onus attrahent. Magnos hæc Machina præstare potest effectus, sed paulo lentius. Anno 1719: 1) Currus, constructionis novæ, quem ejus inventor, *le Large*, vocat *Chariot brisé*, & cujus plurimæ possunt esse præ ordinariis commoditates, e. g. quod nec frictionibus, nec subversioni, adeo obnoxius sit, &c. 2) Ejusdem Currus, eadem fere ratione, mutatis mutandis, constructus. 3) *Pourchesii* Horologium pro metiendo navium itinere, quod ex rotis sex, & quinque tympanis, componitur. Motus ejus fit ope catenæ sine fine, situlis instructæ, & vestigiis navis expositæ. Sustinetur catena a tribus trochleis, lateri navis ita insertis, ut in formam triangularem dispositæ sint. Quando Machina hæcce navi probe applicatur, nauclerus quovis momento longitudinem itineris sui cognoscere poterit. Autor quoque hanc in rem tabulas promisit, quarum usus foret expeditus. Me-

tuunt autem Academici præcipue ab irregularitatibus catenæ, &, iis in navigationibus utilem esse Machinam, pronuntiant, quæ vel prorsus tranquillæ sunt, vel ubi venti constantes spirant. 4) Rheda, subversioni haud obnoxia, inventa a *du Tanney de Gourney*, cujus adhuc quædam sunt incommoda. Et sic quidem *Tomum tertium* ea, qua licuit, brevitate absolvimus, ad *quartum Mense* proximo accessuri.

PENSÉES CRITIQUES SUR LES MATHEmatiques, &c.

h. e.

COGITATIONES CRITICÆ IN DISCIplinas Mathematicas: ubi varia afferuntur præjudicia, ad ostendendum, neque plane certas esse illas scientias, neque multum contulisse ad perficiendas bonas artes.

Parisiis, apud Gabrielem Valleyre, filium, 1733, 8. Alph. 1 plag. 10.

Libellum, qui tardius ad manus nostras pervenit, omittendum tamen non putamus, ne id studio partium fecisse videamur. Enarrabimus simpliciter præcipua capita, integram judicandi potestatem legentibus relicturi. Autor, cui nomen est *Cartaud*, in scientiis Mathematicis, ut ipse profitetur, mediocriter versatus, ceterum nimiis harum scientiarum elogiis offensus, nec principiis earum satis fidens, ut Mathematicos excitaret ad sua principia magis percolenda, operæ pretium se facturum ratus est, si præjudicia quædam contra eos colligeret, præsentique Opusculo pro virili persequeretur. Unum horum præjudiciorum ita se habet: Mathematicis, antequam certi aliquid demonstrare possint, cum Scepticis & Epicuræis decertandum, difficultatesque metaphysicas de natura Dei, mentis, perceptionum, corporum, atomorum, infiniti, expediendas esse. Alterum est præjudicium autoritatis: ubi varia afferuntur loca, ex utroque *Pico Mirandulano*, *Jos. Scaligero*, *P. Ba-*

P. Balio, *Huetio*, *Cartesio*, *Agrippa*, *Gassendo*, *Clerico*, *Pascalio*, *Mereo*, quæ loca infallibili veritati principiorum conclusionumque mathematicarum minus favere videntur. Tertio præjudicio, quod prioribus affine est, autoritate potissimum *Fontenellii*, *de Malezieu*, & *P. Lamy*, quam profundas habeant & incomprehensibiles abyssos scientiæ Mathematicæ, in iis, quæ ad infinitum & ad incommensurabilia spectant, inculcatur. Quarto, de dissensu magnorum Mathematicorum, exemplo *Rollei* & Abbatis *Galois*, qui *Leibnitii* novam methodum improbarunt, & *P. Casteli*, qui contra *Fontenellii* Geometriam infiniti quædam opposuit, testimonio *Thom. Hobbesii*, cum encomio Critices, disseritur. Quinto, objectum Matheseos consideratur, ostenditurque, nullas nos habere notiones satis firmas, neque de magnitudine in genere, quæ plane nulla sit, neque de materia, neque de numero, neque de tempore & motu. Sexto, paradoxa quædam geometrica promuntur, ex systemate indivisibilium desumta, quale hoc est: a quovis puncto A ad quamvis rectam BC plures, quam una, duci perpendiculares possunt: incidat enim perpendicularis AD in elementum D ipsius rectæ BC, & sit elementum O elemento D contiguum, erit etiam recta AO rectæ AD contigua & parallela, ideoque perpendicularis. Septimo denique & ultimo præjudicio, hoc contendit Autor, Mathesin, præcipue sublimiorem, parum aut nihil ad inveniendas & perficiendas artes contulisse. Præmisit septem his præjudiciis sermonem aliquem præliminarem, quatuor distinctum Capitibus: quorum uno de Geometria dicit, quæ paulo post repetit: altero de Idololatria paganorum in molliorem partem, multa excusans, & commodius explicans, cultumque idolorum cum cultu Sanctorum in sua Ecclesia haud gravate componens, disputat: tertio de Astrologia, quarto de Magia, verba facit. Influxum siderum non penitus inficiatur, eumque ex parte cum vi magnetica congruere censet, ita, ut, exempli causa, in sympathia exhalationes astrales ex corde hominis in cor alterius facile penetrare, in antipathia repelli, imo vero in corde quovis duos esse polos, & homines inter se amantes, dum se mutuo assidue respi-

ſpiciant, polos amicos ſibi invicem obvertere,' auguretur. Præterea etiam in ipſo Opere varia occurrunt, quæ non facile in eo quæras. De Geometria elementari & vulgaribus Matheſeos diſciplinis interdum ſatis benigne judicatur: in ſublimiorem vero Matheſin inclementior Autor eſt. Adjiciemus extremo loco elogium Mathematicorum, ne quid notatu dignum præteriiſſe videamur. Non eſt mirandum, inquit, Geometris pro idolo eſſe ſuam Matheſin, ſenſusque expertes videri, qui eam audeant infirmare: cum enim omnis eorum vis imaginandi occupata ſit lineis, planis, ſolidis, directionibus, motibus, curvis, haud ſane idonei videntur, qui ad difficiliores diſquiſitiones purioris Criticæ deſcendant: ratiocinia abſtracta ſublimium ſpeculationum humores melancholicos & lymphaticos ita in iis excitant, ut, cum ſemel irritati fuerint, non facile veniam ab iis ſperare poſſit, qui res eorum impugnare contenderit. Hæc ille.

JO. SIMONIS ARCANI FORMARUM NOminum Hebrææ Linguæ Pars altera, de Nominibus auctis. Accedunt 1) Appendix de Participiis Benonim nominaliter uſurpatis, nominibus animalium, peregrinis & compoſitis; 2) Exercitatio Philologica, qua uſus ſignificationis formalis in enucleandis vocibus difficilioribus demonſtratur; 3) Indices neceſſarii in utramque Partem.

Halæ Magdeburgicæ, impenſis Orphanotrophei, 1735, 4. Alph. 2 plag. 8.

Summa cum voluptate excipimus *Partem* hanc *alteram*, in *Actis Anni 1735 Menſ. Dec. pag. 583 ſeq.* in eam igniculis deſiderii jam accenſi. In hac ipſa *Parte altera* Autor Clariſſimus, ut nominum Hebraicorum ſignificationem formalem, quam *priori* in *Parte* ex Punctis ipſis eruerat, ex literis ſervilibus, ſeu heemanticis, excuteret, dedit operam. Multa hic offendimus, ſi non paradoxa, nova certe, ac prorſus ſin-

prorsus singularia. Literæ illæ heemanticæ huc usque plurimis otiosæ fuerunt visæ, vel earundem usus ac significatio ad minimum exstitit ignota. Quantopere in eo fuerit erratum, fide hic edocemur oculata. Nec minus plerique crediderunt ad hanc usque nostram ætatem, Hebræis vel nulla, vel saltem paucissima, esse *composita* appellativa. Enimvero Appendix, hic subjuncta, integrum lectori de Compositis Caput farraginemque eorum exhibet satis diffusam. Eadem Appendix præterea sistit participia Benonim nominaliter usurpata, ac nomina animalium, quæ significationem, reliquis nominibus communem, respuunt: eo quidem fine, ut singula Codicis Hebraici nomina appellativa hic in unum congesta habeamus, quorum nonnulla insuper, quæ in ipsa tractatione fuerant prætermissa, in Indice Hebraico, admodum copioso & accurato, Autor Cl. supplevit. Ita in Indice vocem גֻּלֶם, *Psalm. CXXXIX, 16*, obviam, exponit per glomum, massamque rudem, quacum ibi conferatur embryo, utero matris adhuc involutus, גלם, *convolvendo*, *involvendo*. Porro vocem חָרוּם exponit per *mutilatum*, simum, siquidem Arabes consentiunt. Item vox כֵּס *Exod. XVII, 16*, ei est *thronus*, a radice כסה, *texit*: עָקֵב, *impressio calcanei*, seu vestigium, ex עָקֵב, *calcaneo*: שְׁרִירוּת, *pravitas*. Denique Autor coronidis loco subjecit *Exercitationem philologicam*, ad usum illum in enucleandis vocibus difficilioribus demonstrandum, aliquot ante annos loco speciminis conscriptam, nunc vero nova facie indutam. Reliquos usus, ibidem commemoratos, alii Commentationi Autor reservat, qua eos ipsos declarabit uberius, & cujus proxime videndæ desiderio tenemur. Exercitatio illa philologica enodat tres voces vexatissimas, דּוּדָאִים, זַרְזִיר & תַּחַשׁ. Quantum ad vocem attinet primam, illam Autor deducit ex radice inusitata דוד, alias ידד, Arabico وَدَّ, *dilexit*, & ex forma geminata פִּקֵּר, quæ objectum actionis iteratæ & continuæ, h. e. iterum iterumque repetitæ, vel objectum ipsum iteratum & continuum, denotat. Quare significat vox דּוּדָא vi originis formæque suæ *objectum actionis*, idque

Pag. 68. seq.

idque *iteratum*, *continuum*, *varium*, & *copiosum*, hoc est, *flores vel fructus dilectos & gratos*, *conjunctim & copiose crescentes*. Unde vox pluralis דוּדָאִים denotabit *plures ejusmodi fasciculos*, seu *plures congeries florum vel fructuum*, *in eadem arbuscula pendentes*. His adde, quod 1) Dudaim habent flores, vere ineunte effulgentes, *Cant. VII, 14;* 2) habent fructum, tempore messis triticeæ maturescentem, *Genes. XXX, 14;* 3) habent flores & fructus suavissimos, ita, ut a diligendo queant jure dici; 4) fructus rarior est, ideoque perquam expetitus. Quæ singula duntaxat ficui Indicæ, Orientalibus *Maus* dictæ, inprimis conveniunt. Hæc enim est fructus præcellentissimus, sapore delicatus, gratusque palato, ac, teste *Plinio*,
Pag. 684. succi dulcedine admirabilis: in Syria rarior, nec ubique obvius, siquidem clima exigit calidius: præditus floribus odorem spirantibus admodum & suavem & salubrem, rosis similem: maturescens mense Junio: ex cujus fastigio plantæ velut thyrsus quidam florum nascitur, in morem pinei strobili congestorum, ex cujus malleolis nodisque ficus prodeunt. Eadem sententia jam arrisit *Jobo Ludolfo*. *Gussetius* quidem & *Caspar Neumannus* dubitarunt, an *Ludolfi* opinio stare possit talo firmiore. Dubia quoque obmovit *Hillerus* in *Hierophyt. pag. 266*, quæ ab Autore Cl. removentur. Pergit deinde ad animal, quod vocatur זַרְזִיר מָתְנַיִם *Prov. XXX, 31*, ac cum *Jobo Ludolfo* itidem *zecoram*, animal Autoribus sub specie onagri notum, interque quadrupedia totius orbis omnium longe pulcherrimum. Originationem repetit ex זיר, אזר, זרן, *cinxit*. Unde זרזיר notat multis variisque cingulis cinctum.
688. *Tellez Hist. Æthiop. Lib. I Cap. 14* distincte de hac bestia: *Lumbos ambit circulus coloris nigri, in morem cinguli, quem utrinque plures sequuntur, pro corporis portione modo latiores, modo arctiores, tam nigri, quam cineracei, coloris nitidissimi, tanta elegantia atque ordine, ut cujuslibet etiam egregii pictoris artem superare videantur.* Tandem Autor vocem תַּחַשׁ cum *Conrado Mel* de *corio præparato & tincto*, *Ezech. XVI, 10*, exponit, tum quod inde facti fuerint calcei, tum quod
691 seq. vox Æthiopica ሐሰየ denotet actum *fricandi*, *confricandi*, *atte-*

atterendi, conterendi. Vocat quoque in subsidia Arabum & Persarum vocem سختيان *sechtian*, i. e. *corium ex pelle caprina præparatum*, sive *Cordubense, Corduanum*. Pelles, quæ vocantur מְאָדָּמִים, interpretatur ipse per *rubefactas, easque depilatas, & arte coriaria præparatas.* In subsidium arcessit Arabem interpretem, qui transtulit اديم, i. e. *corium odoratum*, quod ex Arabia Felice apportatur, & ex quo Arabes coriarium vocant ادّام. Alexandrini interpretes transtulerunt *δέρματα ἠρυθροδανωμένα, pelles rubia tinctas.* Rubiam tingendis coriis esse necessariam, autor est *Plinius Lib. XIX Cap. 3, Lib. XXIV Cap. 11.* Specimine hoc delibato, retrocedimus ad nomina, ab initio aucta per מ, cujus literæ significatio in nominibus locorum & instrumentorum non aliam ac præfixi ב Autor Cl. esse contendit, ita tamen, ut id discernendum sit a מ præfixo, & מ præformante Participia. Distribuit deinde nomina in classes, & quidem in ea, quæ designant 1) locum actionis vel passionis, 2) possessionem qualitatis, 3) locum, in quem, vel ad quem, vel per quem, uti מַחֲמֹרָה *fossa, per quam aqua fluit*, ex Arabico חמר, *fluxit aqua*, 4) instrumentum, cujus interventu peragitur actio, 5) tempus, in quo aliquid fit, e. g. מוֹעֵד, *tempus indictum*, מִשְׁחָר, *tempus auroræ*, diluculum, 6) occupationem in operando & laborando, 7) occupationem circa motum & quietem. Præformativa ת ex ת conjugationis Hitpael arcessitur, ac præcipue actionem intransitivam designat, nonnunquam actionem mutuam. Dabimus exempla. Vox תִּקְוָה est ex קַו, *filo, funiculo*, ac denotat extensionem sui ac directionem erga aliquid, tam in funiculo ipso, quam in animo erga bonum cognitum, necdum præsens, impetrabile tamen & verosimile, exporrecto & prominente. Hac ratione uterque significatus ad communem & generalem reducitur notionem; qui solet esse character genuinæ inventæ significationis in vocibus, quibus complures inhærent significatus. Ita תְּשׂוּמֶת *mutuam* notat *sui suarumque opum compositionem*,

Pag. 539. — 447. — 472 seq. — 491 seq. — 523 seq. — 534.

ex שׂוּם, *ponendo*, hoc est, *commercium*, *societatis initionem*. Præterea præformativa litera ת continuitatem & indesinentem durationem exprimit; qualis in verbo Græcorum medio latet. Cum classe nominum, ab initio per ת auctorum, convenire respectu significatus propemodum aucta per א & י, Autor Cl. pronuntiat. Vocula אֶהְיֶה Dei propria, *Exod. III*, 14, vi formæ designat hoc pacto *æternum*, *qui existentiam suam continuat*. אֵיתָן notat illud, quod pertinaciter persistit & perennat. Autor nomina quædam, ab initio per ה, נ, & הת aucta, jubet æstimari ex conjugatione, ex qua descendunt. Eadem ratione idem nomina a fine aucta per ן, ם, & י, percenset. Appendix subjecta de Participiis Benonim nominaliter usurpatis, de nominibus animalium, & de peregrinis compositisque, agit. In ea occurrunt varia, eaque satis egregia, passim delibata, quibus successu temporis aliqua possunt adjungi. Gratulamur Autori Cl. promissum generose & in tempore præstitum, comprecantes ei in posterum quoque vegetas & alacres corporis animique vires.

Pag. 536. 544. 549. 558. 562 seq.

CAROLI FRIDERICI KRUMBHOLZII, V. D. M. Weid. Varisc. Operarum subsecivarum, sive Animadversionum sacrarum in loca quædam Novi Fœderis selecta Libellus primus. Accedit Dissertatiuncula ad 1 Reg. XVII comm. 11 seq. qua, Eliæ quondam non sine miraculo cibos ministrasse corvos, adversus celeberrimi nominis Virum, CHRISTOPH. AUGUST. HEUMANNUM, defenditur.

Norimbergæ, apud Jo. Christoph. Gœpnerum, 1736, 8.
Plag. 18.

Non male agunt Viri sacris officiis admoti, qui horas a sanctioribus negotiis, si quas habent, vacuas explanationi divinæ Scripturæ tribuunt, collectasque Animadversiones suas cum literata communicant civitate. Succisivis ejusmodi horis multa debemus πάρεργα, quæ in doctorum virorum manibus hodieque versantur. Horum numerum nunc Operæ augent suc-

ſucciſivæ, quas nominatim deſignavimus, jamque breviter, more noſtro, ſumus indicaturi. *Duodecim* ſunt Animadverſiones, quæ in hoc apparent libro, ſi ab ea, quæ ſeparatim adjecta reperitur, diſceſſeris. *Prima*, Viro Cl. *Georg. Lud. Oedero* oppoſita, antiquam cohærentiam vocum ἑςὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ, ad *Matth. XXIV*, 15, tuetur, ſic, ut participium hoc ad τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως referendum ſit. Hæc quidem, Bibliothecæ Bremenſi jam antehac inſerta, auctior hic ſiſtitur. Pag. 1.
Altera de ſale terræ, nec non de ſenſu vocis μωρανθῇ, ad *Matth. V*, 13, inſcripta eſt. Cl. Autor *ſalis* nomine vulgarem intelligit, cibis condiendis deſtinatum, verbaque, ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ, *ſi ſal inſulſus fuerit factus*, vertit, duce ac interprete *Marc. IX*, 50. 40.
Tertia, *Miſcellaneis* olim *Lipſienſibus* jamjam inſerta, de *virtute Servatoris mirifica in urbe Nazareth ceſſante*, ad *Marc. VI*, 5, agit, &, verba, ὀυκ ἠδύνατο ποιῆσαι, idem, quod ὀυκ ἐποίησε, ſignificare, cum *Dan. Heinſio*, aliisque, coll. *Matth. XIII*, 58, contendit. 55.
Quarta ἀπιςίαν *Judæorum a Chriſto reprehenſam*, ad *Jo. IV*, 48, exponit, hancque verborum ſacrorum adſciſcit ſententiam: ἐὰν μὴ σημεῖα καὶ τέρατα ἴδητε, ὀυ μὴ πιςεύσητε, (ὅτι δύναμαι, σημεῖα καὶ τέρατα ποιῆσαι,) *niſi ſigna atque prodigia videritis*, (ſigna me ac prodigia in ægrotis, etiam abſentem, edere poſſe,) *non eſtis credituri*. 73.
Quinta de *legis perito*, *Chriſtum malo animo pertentante*, ad *Matth. XXII*, 35, 36, diſſerit. 91.
Sexta, in qua *ira*, *cui locum dare debemus*, ad *Rom. XII*, 19, exploratur, de *ira ac ultione Dei* juſtiſſima locum accipit ſanctiſſimum. 97.
Septima de *Servatore fuſtibus cæſo*, ad *Matth. XXVI*, 67, ita commentatur, ut voces, οἱ δὲ ἐῤῥάπισαν, *quidam vero baculis quoque ſeu fuſtibus eum percutiebant*, præeuntibus *Theod. Beza*, *Eraſmo Schmidio*, aliisque, convertuntur. 109.
Octava, *vim ac poteſtatem* vocis εἰκῇ, ad *Matth. V*, 22, evolvens, hunc Servatoris ſenſum eſſe jubet: *quisquis ira in fratrem ſuum exardet* εἰκῇ, non repugnanter, ſeu indulgenter, h. e. *ita, ut primis animi ad iram accenſi motibus non ratione reſiſtat atque repugnet, ſed iis potius cedat & obſequatur; dignus eſt ille, qui tanquam homicida judicio ſiſtatur.* Nos quidem, ut vere dicamus, veremur, ut hæc vera ſit expoſitio, 123.

 ab

ab ingeniosa & incerta vocis εἰκῆ notatione ducta. Hæc nimirum a verbo εἴκω, *cedo, non repugno,* derivatur; ut *Homerus* θυμῷ εἴξασα, *animo suo cedens,* sive *obsequens,* & ὕβρει εἴξαντες, *audaciæ indulgentes,* dixit. Istum quidem verbi usum nemo paulo intelligentior in dubium vocabit, quippe quem & *Thucydides, Isocrates,* aliique castiores Græciæ scriptores, firmant. Hoc vero fictum ex ingenio & excogitatum est, voculam sacram εἰκῆ verbo illi, & huic quidem separatæ ejusdem potestati, qua *cedere, non repugnare,* designat, suos natales debere. Est illa potius ex earum numero vocum una, quæ ex alia originem non ducunt, verum unde aliæ potius derivantur. Ab εἰκῆ enim εἰκαῖος, εἰκαιοσύνη, εἰκαιότης, aliaque nascuntur vocabula; ut illi docent, qui Græcas voces in separatis exposuerunt libris. Sed veram ac genuinam particulæ notionem Vir doctus non accurate putavit. Vocula εἰκῆ non significat *temere,* hoc est, *sine causa.* Verum sententia totius locutionis, ὀργίζεσθαί τινι εἰκῆ, hæc est, *ira in aliquem exardescere temeraria quadam & inconsulta ratione, importune insolenterque, verbis ac gestibus effervescentibus, ob leviorem forsitan causam.* Is sane in Græcis melioris notæ libris perpetuus est voculæ usus. Testem hanc in rem citamus phrasin *Isocrateam,* illuc egregie pertinentem, τοῖς εἰκῆ καὶ φορτικῶς καὶ χύδην, ὅ, τι ἂν ἐπέλθη, λέγουσιν, *qui temerario impetu, importune, & citra delectum, quicquid in buccam*
Pag. 134. *venerit, effutiunt.* Sed mittimus hæc, ad *nonam* perrecturi Animadversionem. Hæc notionem verbi διχοτομεῖν *Matth. XXIV, 51, Luc. XII, 46,* enucleat, & *synecdochen speciei pro genere* defendit, ut, *dissecare in duas partes,* idem sit, ac *gravissimis aliquem pœnis afficere.* Conf. *Histor. Susann. v. 55, 59.* Ceterum hæc eadem Observatio in Bibliotheca Bremensi
167. jam locum obtinuit. *Decima,* quæ consequitur, in *Marc. XV, 11,* conscripta est, ubi hæc longior, eamque ob causam coacta, ellipsis admittitur: οἱ δὲ ἀρχιερεῖς ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον (κατὰ τὸν Ἰησοῦν, καὶ κράξας αὐτὸν ἠτήσατο παρὰ τοῦ Πιλάτου,) ἵνα μᾶλλον τὸν Βαραββᾶν ἀπολύσῃ αὐτοῖς, *Sacerdotum principes concitabant populum* (contra Jesum, & maximo iste sublato clamore postulabat a *Pilato,*) *ut Barrabam ipsis dimittere*

mal-

mallet. At vero quidni ſufficiat ellipſis τȣ̃ αἰτῆσαι poſt τὸν ὄχλον, quam *Eraſm. Schmidius*, & *Ge. Frid. Heupelius*, Viri Græce peritiſſimi, commendarunt? Sed nulla omnino adſciſcenda erit omiſſio, ſi verbum ἀνασείειν rectius, & ſicut plenior ejusdem poteſtas requirit, vertatur, hoc modo: *οἱ δὲ ἀρχιερεῖς ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον*, *Pontifices autem Maximi concitarunt multitudinem ad ſeditionem ac tumultum*. Quonam vero conſilio? *ἵνα μᾶλλον τὸν Βαῤῥαβᾶν ἀπολύσει αὐτοῖς*, *quo Barrabam potius ipſis dimitteret*. Animadverſio *undecima Ellipſeos in Novo* Pag. 177.
Teſtamento uſum frequentiorem exemplis demonſtrat. Sic, exempli gratia, *Matth. V*, 22, ad ἔνοχος τῇ κρίσει verbum παραδοθῆναι, ad εἰς τὴν γέενναν verbum βληθῆναι, Cap. VII, 6, poſt μήποτε ȣ̃τοι ſcilicet χοῖροι, & poſt καὶ, ἐκεῖνοι, ſcilicet κύνες, *Matth. IX*, 24, *Marc. V*, 40, *Luc. VIII*, 53, *poſt* κατεγέλων αὐτȣ̃ nimirum τὸν λόγον, τὰ ῥήματα, *Matth. X*, 23, poſt τελέσητε τὸ κηρύσσειν διὰ, ſuppleri debet. Ut cetera taciti exempla prætereamus. *Duodecima*, eaque ultima, Obſervatio Δέκας *Animadverſionum in loca Novi Fœderis ſelecta* inſcri- 204.
bitur. Spectant nimirum illæ ad *Matth. I*, 11, *V*, 42, *VIII*, 4, *XXI*, 42, *Marc. IX*, 10, *XII*, 10, 11, *Luc. I*, 73, *II*, 52, *XV*, 7, *XXII*, 42, 2 *Cor. I*, 15, 16, *coll.* 1 *Cor. XVI*, 5, 6. Diſſertatiuncula 235.
ſubjuncta, ad 1 *Reg. XVII*, 4 – 7, Cel. *Heumanno* adverſa eſt. Hic videlicet, corvos, ut fit in locis deſertis, longius evolantes, ex remotioribus terris, præter carnem cadaveribus avulſam, ſegetes, ſemina, poma, & alia, ſecum attuliſſe, quo ſe ſuosque alerent, ſciſcit, hisque *Eliam*, ſanctiſſimum vatem, quantum ad vitam tantiſper conſervandam opus eſſet, eripuiſſe arbitratur. Ita vero divinam *Eliæ* ſuſtentationem *mirabilem* largitur, at, miraculoſam eam fuiſſe, negat. Cl. Adverſarius nihil horum concoquere valet. Primo quidem non putat veroſimile eſſe, propitium Deum cibis in lege vetitis, & nauſeam præterea moventibus, veſci ſanctum juſſiſſe vatem. Deinde negat, a corvis eſculenta, quo ſe ſuosque alerent, allata, cum ideo allata, ut cibum *Eliæ* neceſſarium adminiſtrarent, præpotens Deus diſertis affirmet verbis. Ac denique urget, *Eliam* panem carnemque corvis non eripuiſſe, ſed hos illi attuliſſe, perſpicue in ſacra dici Hiſtoria. Ex quo concludit, corvos *Eliæ* non

ſine

non ſine miraculo cibos miniſtraſſe. Ceterum Horis his ſuccifivis tres ſubjiciuntur Indices. Primus Animadverſiones hoc libello contentas recenſet, alter loca Scripturæ Sacræ explicata, tertius res ac voces, nec non præcipuos enarrat Autores, quorum vix aliqui hic ſunt laudati, plerique vero omnes notati & confutati.

FRANCISCI FABRICII, THEOLOGI, THEOLOgia Chriſtiana, ex ſolis Chriſti Salvatoris verbis, in Evangeliis relatis, ſuccincte adornata.

Lugduni Bat. apud Sam. Luchtmans, 1735, 4.
plag. 10.

Ex inſcriptione libri ipſa apparet, Rev. Autorem religionis Chriſtianæ capita nova quadam ratione hic tradidiſſe. Hæc vero in eo poſita eſt, ut ſecundum ordinem ſyſtematicum Articulos doctrinæ Chriſtianæ omnes proponat, eosque ſolis Chriſti verbis, quæ ab Evangeliſtis accepimus, muniat & firmet. Tota tractatio *Capitibus quinque* abſolvitur. *Caput I* ea complectitur, quæ Dominus noſter docuit de Deo, eſſentia ejus, exiſtentia, ſubſiſtentia, cultu, & operibus. *Caput II* de fœdere gratiæ, fideque in Jeſum, tanquam mediatorem, agit, ubi tota doctrina de perſona, officiis, & duplice ejus ſtatu, exponitur. *Caput III* ſpectat ad conditiones fœderis gratiæ, agitque adeo de reſipiſcentia, vocatione, regeneratione, juſtificatione, ſanctificatione, conſervatione, obſignatione, & glorificatione. *Caput IV* denique oſtendit, quomodo ex his omnibus oſtendi poſſit, Jeſum eſſe verum Meſſiam. In Præfatione monetur, Commentationem hanc primo quidem pro cathedra Eccleſiaſtica propoſitam, & Belgice editam, deinde Latine converſam, & publice diſputatam, jam vero ab Autore induſtrio recognitam, & hac forma vulgatam eſſe. Mentio præterea fit B. *Jo. Henr. Maji*, Theologi quondam Gieſſenſis, qui *Synopſin Theologiæ Chriſtianæ ex ſolis verbis Chriſti erutam & demonſtratam* ediderit Francof. ad Mœn. A. 1708. Additur vero, & methodum ejus a ſua eſſe diverſam, & Tractatum ipſum non ante ſibi conſpectum, quam ſuus ille in lucem prodiiſſet.

Publicavimus haud ita pridem *Supplementorum* ad *Nova Acta Tomi II Sectionem VII & VIII.*

* * *

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCXXXVII.

GLOSSARIUM GERMANICUM, CONTINENS origines & antiquitates totius Linguæ Germanicæ, & omnium pæne vocabulorum, vigentium & desitorum. Opus bipartitum, & quinque Indicibus instructum, JOANNIS GEORGII WACHTERI.

Tomi II.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschii B. Filium, 1737, fol. Alph. 11 plag. 5.

Cum Linguæ vernaculæ studium inter præcipuas eruditi hominis curas referre, magis in dies magisque discant nostri, facillimo illis negotio persuadebimus, multum debere *Wachtero* suo Germaniam, quod in sermonis patrii originibus investigandis tot annos insumserit gnaviter, exactoque nunc feliciter opere, fidem ante aliquot annos datam plenissime liberaverit. Solent, qui in aliquo scientiarum genere sine ducibus progredi sustinent, si vel maxime crudum imperfectumque laborum specimen protrudunt, veniam tamen accipere ab æquis rerum æstimatoribus, suaque laude omnino non privari. Quali ergo decore ornandus erit, qui primum Germanis Glossarium tanto successu scripsit, ut illos in sui rapiat admirationem? Majores nostri nunquam viderunt Linguæ suæ Glossarium, nunquam etiam vidit ætas nostra, quod causam

suam agens, modeste monet Autor. Quo certius autem istud affirmari utique potest, eo majori cum gaudio nos fructus hos indefessi sudoris accipimus, & doctissimo non tantum Autori superatos ex voto labores gratulamur, sed *Gleditschio* etiam nostro, cujus sumtibus typo eleganti atque nitido descriptum est Glossarium, interpretes sumus communis lætitiæ, quam suis impensis cuilibet genuino Germaniæ civi excitavit. Si in laudes excurrere nostrum esset, dignum diceremus librum, qui nomen supremi rectoris atque parentis totius Germaniæ præ se ferat, quod ipsum in Dedicatione, ad invictissimum Imperatorem *Carolum VI* data, videmus factum esse. Nonnulla etiam dicenda putaremus de Præfatione Autoris ad Germanos, nisi illa decem ante annos in lucem jam emissa cum specimine Glossarii, paucis ignota esse posset. Repetendum tamen hoc est, Virum doctissimum existimare, linguam, qua utimur Germani, non ex lingua Scythica descendisse, quod *Salmasio* placuit, neque ex Celtica, quod *Cluverio* visum fuit, sed ex utraque simul coaluisse. Hinc, quando Doctiss. Autor in his & cognatis linguis aliquid annotavit, unde vox aliqua Germanorum deduci posset, sine omni animi hæsitatione illud arripuit. Quæ sequuntur Præfationem Prolegomena, silentio a nobis præteriri nequeunt. Sistunt enim nobis *Sectiones sex*, quarum 1) continet doctrinam de Etymologia in genere; 2) proponit genesin literarum; 3) observationes doctissimas tradit de cognatione & permutatione literarum; 4) docet transpositionem, augmentationem, & diminutionem literarum; 5) agit de literis & particulis præpositivis; 6) de literis & particulis terminantibus. His expositis, ipsæ Glossæ ab *A* ad *M* usque exhibentur, & *Tomus I* ita finitur. *Tomus II* continet glossas ab *M* usque ad finem alphabeti. Additur Epilogus, & post hunc Indices verborum adjiciuntur. In hisce Indicibus talis ordo servatur, ut primo nomina propria gentium, personarum, locorum, deinde voces ex legibus antiquis Germanorum, post Latino-barbaræ medii ævi, forenses & non forenses, deinde Latino-barbaræ antiquiores, tandemque Franco-Gallicæ voces sistantur. Vocum Italicarum, quæ perinde ut Gallicæ cum Germani-

manicis passim contenduntur, Indicem desideramus. Agmen claudit brevis catalogus erratorum, quæ sub prelo irrepserunt. Bene autem ac sapienter egisse existimamus Clarissimum Virum, quod in Prolegomenis, Operi præmissis, de origine, permutatione, attractione, & additamentis vocum, multa copiose dicta præmiserit, animosque lectorum hac ratione ad Opus ipsum præparaverit. Necessarium hoc utique erat, ne lectoribus harum rerum, quales utique plerique sunt, ignaris peregrinum nimis videretur, quod tantæ vocum & syllabarum mutationes in lingua nostra materna occurrant. Quis enim rudis & expers originum sermonis patrii primo statim intuitu persuaderi sibi patiatur, *heide* derivari ab ἄθεος, *Bilgram* a *peregrinus*, *Brust* a *brechen*, quia fractum sit in medio pectus, *fas* Latinorum ab ὁσία, justitia, *dignus* ab ἄξιος, *gicht* ab ἄχθος, *Busem*, sinus aut gremium, a *fassen*, quod significat capere, comprehendere, *sacer* ab ἅγιος, *sum* ab εἰμὶ, *knix*, genuflexio, quasi *genix*, *kalben*, quod vaccarum est, a κοιλία, venter, *Dinte*, atramentum, a Cambrico *du*, ater, per epenthesin τȣ̃ *n*, adjecta terminatione antiqua *te*, & id genus alia? Quis nullo usus magistro isthæc sine mentis repugnantia statim valeat arripere, & vera reputare? At vero, qui Autoris nostri Institutiones Etymologicas vel fugitivo perlustrat oculo, tantum abest, ut incredulus & hebes ad hæc maneat, ut & regulis & exemplis doceatur, qua ratione tam mira literarum mutatio atque adjectio secundum indolem Germanicæ linguæ fieri omnino possit, & in multis vocibus vere ita facta sit. Noli autem existimare, solas vocum derivationes in hoc Glossario contineri, nihilque amplius egisse *Wachterum*, quam ut fontes quæreret, ex quibus rivulos deducere posset. Utique ex eo palmam deportaret, si vel in hoc laborum genere constitisset. Sed majora tibi Glossæ ejus exhibent. Nam quarundam vocum occasione excursionem ad rem ipsam facit, uti in vocibus *Rune*, *Soldurii*, *todte Hand*, *Druiden*, *Sal-Recht*, aliisque pluribus. Unum tamen est, quod nonnullis lectoribus fortasse minus placebit, nempe peculiaris quædam scribendi ratio, qua, præter consuetudinem inter nostros receptam, alia litera voci

intruditur, alia, tanquam ſupervacanea, conſortio ceterarum excluditur. Neſcimus, quo fato fieri dicamus, ut, quæ inuſitata & nova ſunt, quamvis forte jure ſuo uſurpentur, difficillimo tamen negotio accipi ſoleant. Offendi videtur oculus rei novitate, ſi quando voces Germanorum *reue*, *zauen*, *trauen*, *bauen*, in medio litera w auctas cernit, *bauwen*, *zauwen*, *trauwen*, *reuw*; aut ſi ſequentes voces, & plures inſuper, ſuo *h* privatas videt, *nemen*, ſumere, *lon*, merces, *eren*, honorare, *malen*, pingere, *one*, ſine, *welen*, eligere, *raten*, conſilium dare, *rat*, conſilium, *verfüren*, decipere, *ſal*, pars ædium amplior, *zal*, numerus, &c. Pari modo nova apparet facies vocum *Beiſpil*, exemplum, *kennen*, poſſe, *Her*, exercitus, *ſegen*, benedictio, *ſelig*, beatus, *Schaf*, ovis, &c. Speramus tamen, fore aliquando, ut his aſſueſcat Germanorum calamus, ſi rationes, in Gloſſario additas, ſecum diligenter expendant, & majorum ſcribendi modos innovare haud erubeſcant. Speramus etiam, excitatum iri hac præſtantiſſimi *Wachteri* opera alios in poſterum Germanorum eruditos, ut pari induſtria Linguæ maternæ conſulere vel incipiant, vel eo majori ſtudio pergant, quibus ſingulis pares tanto labori ſucceſſus precamur.

HENRICI CATHARINI DAVILÆ DE BELlo civili Gallico Hiſtoriarum Libri XV, quibus res geſtæ ab Francorum Regibus, FRANCISCO II, CAROLO IX, HENRICO III, & HENRICO MAGNO, continentur. Ex Italicis Latinos reddidit PETRUS FRANCISCUS CORNAZANUS, Foro-Cornelienſis, additis ad Operis calcem Notis, & Virorum illuſtrium Numiſmatibus.

Volumen I.

Romæ, typis Rocchi Bernabò, 1735, fol.
Alph. 4 plag. 3.

Volumen hoc *primum* attingit Francorum Reges primos, ac a *Franciſci II* rebus geſtis exorſum, ad anni usque 1573 finem

nem decurrit. Præmittitur formula Dedicationis ad Pontificem Romanum, *Clementem XII*, cujus facta magnifica recensentur. Excipit eam vita *Henrici Catharini Davilæ*, & Præfatio Interpretis, instituti sui rationes exponentis. Cognomen *Davilæ* trahit originem ex urbe Avila, Madritum & Salamanticam interjacente. Ex ea gente & *Navasii* & *Mirabelli* Domini *Caroli V* munificentia insignibus Marchionum receptis decorati fuerunt. Ex eadem gente *Petrus Davila* A. 1464, avita relicta sede, in Cyprum profectus, ibi lares suos fixit, *Jacobi Lusignani* gratiam iniit, & ad summam armorum præfecturam ab eo fuit evectus, quod munus brevi redditum est genti illius *Davilæ* hæreditarium. *Antonius*, ex eadem stirpe genitus, a *Selimo*, Turco, Cypri potito, fortunis omnibus exutus, patria insulaque profugus, assumta secum *Florentia Sinclitica*, uxore, ac novem liberis ex ea susceptis, Patavium demigravit, ubi forte nonnulla possidebat prædia. Iter dein instituit in Hispaniam, sed a cognatis sensit sibi multa promitti, verba dari. Abiit itaque in Galliam A. 1572, facilique impetrato ad Reginam *Catharinam*, ex *Henrico II* viduam, tum regni moderatricem, accessu, servatus ibi fuit. Rediens inde Patavium ad uxorem, paulo post prole nova est auctus, *Henrico Catharino*, nato A. 1576 d. 30 Oct. in oppido agri Patavini, quod Plebis Sacci vocant. Nomen filio impositum ad gratam beneficiorum acceptorum a Regina & *Henrico III* memoriam testandam. Filius, egregia indole florens, omne tempus æqua dispensatione in palæstram & literarum studia contulit, ut brevi & arma & equos egregie tractaret, ac eleganter sciteque non minus oratoriam, quam poeticam, facultatem exerceret. Duodecennis Lutetiam delatus, & a *Catharina* Regina ephebis aulæ adscriptus fuit. Tum Philosophiæ sese addixit excolendæ. *Catharina* Regina mortua A. 1589, castra sequi decrevit. Pericula in bello adiit multa, præliis & obsidione Ambianensi fatigatus. In ipsis expeditionibus bellicis & historiarum lectioni & Philosophiæ vacavit. Intentus inter hæc fuit describendo illi bello civili Gallico, cui ipse interfuerat, initia ab A. 1560 deducenda a proceribus aulæ regiæ & exercitus ducibus percunctatus. Finito illo A. 1598 bello, ad paternam Patavii domum

remigravit. Duxit uxorem *Urſeolam Aſcuſſiam*, nobili genere natam, ex qua poſthæc filios quinque, filias quatuor, habuit. Paucis annis poſt, Parmæ cum degeret, implicatus fuit cum *Thoma Stiliano*, Appulo Equite, altercationibus de re literaria. Res a verbis ad arma & certamen ſingulare pervenit, in quó diſceſſit ſuperior A. 1606. Contulit deinde ſeſe Venetias, ac ei reipublicæ perpetuo ſeſe dedidit, honeſto ſtipendio donatus, quod inde per totum vitæ ſuæ tempus meruit, variis obeundis muneribus adhibitus in Creta Inſula, in tractu Illyrico, Brixiæ ceterisque terræ continentis regionibus. Intra triginta annos e Galliis redux, Hiſtoriam ad finem A. 1630 perduxit, ſcriptam ea ſtili elegantia, & veritatis eo candore, ut palmam reliquis Hiſtoricis reddiderit dubiam. Gaudium ejus, ex eo Opere conceptum, intercepit caſus poſt menſes perpaucos miſerabilis. Cum enim juſſu *Aloyſii Georgii*, copiarum terreſtrium præfecti, Cremam iter ſuſcepiſſet *Davila*, ut eidem urbi ejusque regionis militibus præeſſet, & ad S. *Michaelis* pagum in agro Veronenſi veniſſet, ad loci cauponam divertens cum uxore & liberis, ibi pernoctaturus; exceptus fuit ab incola quodam, quem ab immani feritate Turcum vocabant, & qui carros ad transportandas *Davilæ* ſarcinas parare juſſus fuerat, ſuper cœnam inſolentiſſimis verbis ac ſclopo exploſo, cujus ictu trajectus, miſere in uxoris gremio & inter filiorum amplexus obiit. Turcam mox reverſum *Antonius*, filius *Davilæ* natu maximus, enſe transfixit. Socii ſceleris ac reliqui percuſſores poſtridie capti, ac in urbem retracti, ad ſuſpendium damnati interierunt. Nondum egreſſus fuerat *Davila* annum ætatis ſuæ 51, dignus vita diuturniori, qui e tot præliis bellicisque diſcriminibus evaſerat incolumis. Corpus ejus, peractis in anguſtia temporis exequiis, in æde B. *Mariæ* virginis ſepultum eſt. Senatus Venetorum uxori ac liberis ejus annuos *Davilæ* reditus reliquit intactos, ejusque familiam, tam acerbo caſu fortunæ proſtratam, non mediocriter ſublevavit. Vita hæc erit inſtar Supplementi *Menckeniorum Bibliothecæ Virorum militia æque ac ſcriptis illuſtrium.* Digna omnino erat dudum *Davilæ* Hiſtoria interprete Latino;

nam

nam victurus Latium debet habere liber. *Balduinus* eam in Gallicum jam converterat. Interpres noster præstantissimus fuit ab Epistolis Eminentissimorum Cardinalium, *Jacobi Cantelmi*, Neapolitanæ,& *Thomæ Ruffi*, Ferrariensis Ecclesiæ, Pontificum, postea Magni Comitis stabuli Regii Neapolitani, *Philippi*, ac in præsens Excelsi Principis ejus filii, *Fabritii*, *Columniorum*: adeoque non nisi subsecivas horas huic Operi Latine reddendo insumere potuit. In appellandis rebus bellicis, quas veteres ignorarunt, verborum circumscriptionem, exempla *Bembi* & *Jovii* imitatus, adhibuit: in reddendis Gallicarum familiarum agnominibus *Jacobum Augustum Thuanum* secutus est: Pariensem Historiæ editionem, regiis typis concinnatam, utpote emendatissimam, ut ad eam in interpretatione adornanda Latina potissimum respiceret, præcipue consuluit: vitam *Davilæ* desumsit tam ex *Brullartio*, quam ex ea, quam Cl. Vir *Apostolus Zenus*, numeris omnibus absolutam, eidem Historiæ, nuper Venetiis elegantissime evulgatæ, præposuit. Ad Operis vero calcem rejicere decrevit uberrimas, quas parat, Notas, ex ejusdem ævi scriptoribus depromtas, easque ornabit Virorum illustrium, qui in Historia recensentur, Numismatibus. Applaudimus destinationi tam utili, tamque gloriosæ, omnibus contendentes a Viro Cl. precibus, ut ea, quæ restant, eadem fidelitate & industria cum orbe erudito communicare ne dedignetur. Dolemus, Libros in membra minora non esse distributos, ac sphalmata nonnulla Operi irrepsisse, e. g. *primave* pro *primæva pag. 5 fin. equabilis* pro *æquabilis pag. 3*, *imbecillitatem sexus obsecundans pag. 13*, *obsequi quem* l. c. *obsecundare consilium pag. 17*, &c. ne dicamus, periodos nonnullas nimis esse circumductas, nec interpreti vitio verti potuisse, si eas divisisset in duas vel complures; interpunctionis leges sæpius esse neglectas; structuras, Latio quondam familiares, nonnunquam fuisse immutatas.

APPARATUS AD HISTORIAM HUNGARIÆ, sive Collectio miscella Monumentorum, ineditorum partim, partim editorum, sed fugientium. Conquisivit,

in

in Decades partitus est, & Præfationibus atque Notis illustravit, MATTHIAS BEL. Decadis I Monumentum tertium, exhibens Juvenci Cœlii Calani Dalmatæ Attilam, post Venetam & Ingolstadiensem editionem, tertium recusum, recognitum, & Notis uberrimis illustratum.

Posonii, sumtu Philohistorum patriæ, typis Jo. Pauli Royer, 1736, fol.

Plag. $22\frac{1}{2}$.

Quod est civis boni & de patria præclare merentis, insigni nobilique studio illustrare res Hungariæ, gentisque omni tempore florentissimæ historiam, adhuc nimis incultam, & in tenebris jacentem, in clarissimam revocare lucem, strenuo pergit eruditissimus ille, &, quantumvis nobis laudatus, nunquam inferior nostris laudibus, *Matthias Belius*. Is, magno animo ad colligenda, si qua exstarent usquam, veteris monumenta Hungariæ conversus, laboris hujus Partem primam, Scriptorum rariorum selectu commendabilem, & in *Actis* superioris *Anni Mens. Aprili pag. 160 seq.* copiose laudatam, haud ita pridem, magno patriæ suæ commodo, nec minori eruditi orbis plausu, publicavit. Cujus instituti adeo ab illo tempore non pœnituit præstantissimum Virum, ut jam de prosequendo eo, &, si fieri posset, proxime perficiendo, sedulo diligenterque cogitet. Exire igitur e scriniis suis, optimarum rerum apparatu plenis, *Monumentum* hoc *alterum* passus est, exhibens Scriptorem, fama, quam pretio & dignitate sua, majorem, sed eruditorum diu votis expetitum, neque adeo indignum novo hoc ornatu, quo præ ceteris ætatis suæ Scriptoribus jam superbit, &, quam fuerat antea, multis modis illustrior efficitur. Est is *Juvencus Cœlius Calanus Dalmata*, cujus *Historia Attilæ*, continuam quandam gestorum illius Principis narrationem, apud alios Scriptores nimis dispersam, continens, hic diligenter recognita, & varia eruditione illustrata, comparet. Ejus Operis copiam olim fecerat

cerat Cel. Editori *Martinus Schedelius*, Pisonienfis, publicata Argentorati, Præfide *Matthia Berneggero*, *de Hungaria* Differtatione Academica, quam poftea ibidem A. 1676 *Jo. Ferdin. Behamb*, obfervationibus perpetuis inftructam, infcripto *Notitiæ regni Hungariæ* titulo, denuo edidit, inter cives fuos clariffimus, qui *Juvencianam* hanc *Hiftoriam* Argentorati, ubi ftudiorum caufa tunc temporis agebat, ex Codice Rebdorffenfi transfcripferat. Exultavit Nofter munere tam diu fruftra expectato, id quippe, multorum teftimonio, certiffime perfuafum fibi habens, non inter editos referendum hunc *Attilam*, nec fuis ad hunc diem tenebris egreffum. Inductus in hunc errorem, quali nec oculatiffimi femper carent, & in eo multis rationibus confirmatus, accinxit fe ftatim ad edendum expoliendumque hoc quicquid eft operis, &, ut omni ex parte expectationi fatisfaceret eruditorum, ampliffimum, &, fi dicendum, quod res eft, ipfius merito Scriptoris diligentiorem, in partem hanc Hiftoriæ Hungaricæ Commentarium paravit, vocato in laboris hujus focietatem Viro æque docto, *Joanne Tomka*, cujus & in hoc negotio tam præclara induftria enituit, ut valde fit dubium, acceptiorne eruditis ipfa *Juvenci*, an hujus doctiffimorum Virorum paris, mufa fit futura. Inter hæc confilia opportune accidit, ut, facto Vindobonam itinere, hic, aditum parante Ill. *Pio Nicolao Garellio*, Auguftiffimo Imperatori a corporis cura & Bibliotheca, admitteretur Nofter ad congreffum Viri, ut in omni doctrina prorfus excellentis, ita in literaria Hiftoria vix habentis parem, *Dominici Paffioneji*, Archiepifcopi Ephefini, & Pontificis Max. ad Auguftiffimum Imperatorem *Carolum VI* Legati, ex cujus fcilicet fermonibus cognovit, jam dudum luce frui publica hunc *Attilam*, quippe ante duo jam Secula ad calcem *Vitarum Plutarchi* adjectum. Rem eandem eodem tempore ipfi per literas confirmavit Amicus quidam Germanus, cujus & liberali opera idem deinde liber ille, A. 1502 Venetiis, typis *Pincii* cujusdam, cura *Hieronymi Squarciafici*, Alexandrini, in *fol.* editus, in manus Cel. Editoris venit, id fibi datum judicantis, ut Rebdorffenfem Codicem cum Veneta editione accu-

rate conferret, &, si quid hic diversitatis obveniret, id diligenter annotaret. Qua in re jam occupato, novum incepti laboris tædium injectum est, cum aliam ipsi opellæ hujus editionem, in *Promtuario Ecclesiastico Canisiano*, edito A. 16 8, obviam, & ad Codicem Rebdorffensem expressam, idem ille, quem modo diximus, Illustriss. *Passionejus*, interprete *Garellio*, non indicaret tantum, sed utendam etiam in rem suam permitteret. Atque sic facile errorem suum agnovit *Belius*, de Codicis MSti olim præstantia conceptum, cujus nec expers fuerat, quisquis hunc *Attilam Canisiano* illi *Promtuario* adjunxerat, quippe qui primæ editionis gloriam sibi tribuerat, majori jure *Vitarum Plutarchi* Editori Veneto tribuendam. Non tamen ideo ab editionis novæ instituto penitus cessavit, partim quod commendatissimam hanc cuilibet efficere cura & annotationes Editoris possent, partim quod Opus utrumque, cui olim accesserat *Juvencus*, jam fere oculos eruditorum, multorum etiam notitiam, effugerit. Qua in re prævenit industriam *Erici Benzelii*, quem ejusdem *Juvenci*, cum aliis Scriptoribus Septentrionalibus, editionem parare, docemur ex Diario Venetorum, *Giornale de' Letterati d'Italia, Tom. XXXV pag. 395*. Observantiæ & grati animi ergo dedicatum est *alterum* hoc Historiæ Hungaricæ *Monumentum* Reverendissimo *Passionejo*, cujus amplissimas virtutes, & in re literaria incomparabilem doctrinam, exquisitis laudibus Epistola, ipsi Operi præfixa, concelebrat. Præfatio Cel. Editoris varia *Juvenci* fata, & institutum edendi, commemorat. Docemur ibidem probatissimorum Scriptorum & Diplomatum fide, vixisse hunc *Calanum* Seculo XII, (Seculo XV antiquiorem non esse, contendit *J. A. Fabricius* in *Biblioth. Lat. med. & inf. ætatis Lib. IX pag. 629*,) A. 1197 sub *Emerico* Rege Episcopatum Quinqueecclesiensem gessisse; cognomen *Dalmatæ* ab eo habuisse, quod Dalmatiæ & Croatiæ gubernator fuerit; distinguendum etiam videri ab alio *Calano*, Ecclesiæ Quinqueecclesiensis itidem Episcopo, sed ætate aliquantum inferiori, nec non a *Culano* quodam, Bosnæ Bano, quem vixisse ante *Calanum* nostrum, dubitari vix possit. Ne in præfando copiosior esset Noster, effecit nobilis & omni

laude

laude digniſſima induſtria Ill. *Garellii*, qui, pro ſua incredibili humanitate, & labores exterorum adjuvandi ſtudio, ex præſtantiſſimis omnis generis Scriptoribus, quorum uſum Auguſtiſſimi Imperatoris Bibliotheca ipſi conceſſerat, ſelectiſſima quæque de *Hiſtoria* hac *Attilæ* collegit, eademque, in concinnum ordinem diſpoſita, ampliſſima ad *Belium* Epiſtola complexus eſt, quam ideo, quod nihil fere annotatu dignum prætermitteret, nec ulla indigere lima videretur, in ipſa Operis fronte collocandam Noſter merito putavit. Hujus lectione, dici vix poteſt, quantum ſimus delectati, nec temperare nobis poſſumus, quin plauſu publico *Garellianæ* Muſæ in obſervando ſolertiam, in conjectando acumen, in enarrando ſuavitatem, proſequamur. Neque adeo hanc manibus dimittemus Epiſtolam, niſi penitius inſpectam, & in Lectorum aliquod commodum converſam. Singulare eſt, quod de *Promtuario Eccleſiaſtico Caniſii* animadvertit Autor, non in omnibus ejus exemplaribus reperiri *Attilam Juvenci*, etſi, qui ſingulis præfixus eſt, *Index contentorum* eundem promittat; in his vero, quæ habeant libellum, ad calcem voluminis adjectum eſſe, tanquam appendicem quandam, ſine numero paginarum, ita, ut absque magno voluminis diſpendio abeſſe potuerit, & ſingulatim vendi. Addit & illud Autor, nihil differre hoc *Promtuarium* a *Tomo quinto Lectionum antiquarum Caniſii*, A. 1604 edito, niſi quod *Monumentis* quatuor, ſed iis vix viginti paginas implentibus, auctum ſit ab *Angermario*, Typographo, qui in ipſa fronte Operis inſcripſerit annum 1608, cum extremæ paginæ ſubnotatus ſit annus 1604, idem nempe, quem ipſe *Lectionum Antiquarum Tomus V* habet. Ill. Autori mira hæc videntur; ſed non æque nobis, qui ex manifeſtis his indiciis id certo ſatis colligimus, quæ diſtincta videntur, & diverſo titulo incedunt, librum plane eundem eſſe, ſed Typographo, aut potius ſordido lucri ſtudio, quod eſſe his hominibus familiare ſolet, id deberi, quod libro per ſe veteri, ut ementita novitatis ſpecie vendibilior evaderet, exſtincto forſan jam tum Autore, (non enim annum mortis indicant Scriptores,) novus titulus, cum novo editionis anno, ſit præfixus, additumque aliquid *Monumen-*

torum, quod allicere emtores possit, & egregie decipere. Caute vero in eo factum, quod adjecta recens *Monumenta* nihil paginarum numerent; quo ipso illud effecit *Angermarius*, ut vel separatim hæc vendi, si qui forte jam olim sibi comparassent *Canisianum* Opus, vel illa reliqua, si quidem id e re sua putaret Typographus, rursus conjungi cum Opere *antiquarum Lectionum* possent. Parum vero prudenter in extrema pagina servatus est annus 1604, qui, nostro judicio, fraudem omnem maxime apertam facit. Confirmat suspicionem nostram illud inprimis, quod nec *Andreæ* in *Bibliotheca Belgica*, nec *Sweertius* in *Athenis Belgicis*, nec si qui alii de scriptis *Canisii* diligenter commemorant, ullam hujus *Promtuarii* mentionem faciant. Nos igitur, dum certiora edoceamur, ipsi *Canisio* Historiæ hujus editionem tribuendam, etsi aliter videatur Ill. *Garellio* & *Casp. Barthio*, non putamus. Nec dubitamus, in eadem opinione fuisse *Jac. Basnagium*, hincque satis causæ habuisse, cur nec *Attilæ Juvenci*, nec reliquis *Promtuarii Ecclesiastici Monumentis* quatuor, locum concederet in nova *Antiquarum Lectionum* editione, quod ipsum Ill. *Garellio*, autorem *Promtuarii Canisium* putanti, non potuit non mirum valde ac singulare videri. Notat hac occasione Ill. *Garellius* errorem *Colomesii*, *Attilam Juvenci* adjectum *Lectionibus Antiquis Canisii* perhibentis; quod ipsum tamen facile ferendum putes, si levem utriusque Operis diversitatem, non Autori, sed typographo, tribuendam, consideres. Allata exempla *Peiresii* & *Colomesii*, *Attilam* hunc, diu ante editum, in Anecdotis habentium, excusare facile possunt similem errorem *Belii*, si quidem dicendus est errare, qui omnes omnium librorum editiones, inter rerum graviorum curas, in numerato non habet. Ipsi *Jo. Alb. Fabricio*, in Historia literaria principi, ignota fuit editio *Juvenci* Veneta, de qua nihil habet nec in *Bibliotheca Latina* vetustiorum temporum, nec in nova illa *mediæ & infimæ Latinitatis*, in cujus *Lib. IX pag. 628 seq.* de *Juvenco* hoc ex instituto agit, variaque affert, unde *Garelliana* hæc Epistola aliquantulum suppleri possit. Quin eo processit magnus ille *Leibnitius* in *Otio Hanoverano pag. 477*, ut *Attilam* hunc plane diceret supposititium; quod suspicari dubitanter, quam affirmare & pro-

pronuntiare audacter, impunius licebat. Inter hæc literaria, non infeliciter, quantum posset in Græcis literis, expertus est *Garellius*, interpretando locum *Prisci* cujusdam, Rhetoris, quo usi fuerant *Barthius*, & alii Scriptores, ad probanda Hunnorum incesta cum filiabus matrimonia. *Prisci* hæc sunt verba: ὡς τοῦ Ἀττήλα ἐς κώμην τινὰ παρεσομένου, ἐν ᾗ γαμεῖν θυγατέρα Ἐσκὰμ ἐβούλετο, πλείστας μὲν ἔχων γαμετὰς, ἀγόμενος δὲ καὶ ταύτην κατὰ νόμον τὸν Σκυθικόν. Hæc ita acceperat *Barthius*, ut *Attilæ*, Hunnorum Principi, filia fuerit nomine *Esca*, quam ipse ducere in matrimonium voluerit, idque ex instituto Scytharum. Sed, deleri posse hanc maculam, genti Scythicæ inustam, prorsus persuasum sibi habet *Garellius*, si voculam Ἐσκὰμ, non inusitata scribendi ratione, positam pro τοῦ Ἐσκὰμ, porro si nomen hoc fuisse viri cujusdam, non fœminæ, denique si illum νόμον Σκυθικὸν non ad morem ducendi filias, sed ad polygamiam, Scythis omnino maxime familiarem, pertinere arbitremur. Ingeniosa interpretatio, cui similem jam olim in *Originibus Hungaricis* dederat *Franc. Foris Otrokocsiu*, in eo æquior longe *Barthio*, qui, si satis fuisset ad hæc pervidenda acutus, Scytharum fortassis famæ pepercisset. Ceterum in *Diario Trevoltiano A. 1715 Mens. Octobr. Artic. 134* Rev. Pater *de la Porte* ex Italia & Gallia, inter alios MStos Codices, attulisse dicitur *Juvenci Cellii Dalmatæ Attilam*, conversum ex Græco in Latinum a *Pontico Belvino*, ex Codice MSto Bibliothecæ Ambrosianæ; quæ an recte sint narrata ab Autoribus Diarii, hoc magis dubitari possit, quod ad hunc diem nemo fuerit, qui *Bern. Justiniano*, Latine scriptum a *Juvenco Attilam*, docenti in libro *de urbis Venetæ origine*, fidem negaverit. Sed, inde natum errorem, felicissime suspicatur Ill. *Garellius*, quod sua fere omnia desumserit *Juvencus* ex Historia *Prisci*, Sophistæ, Græce composita. Quod ad ætatem *Juvenci*, dissentire a Cel. *Belio* Ill. *Garellium* videmus, quippe qui Scriptorem judicat Seculo XII multo recentiorem, idque ex variis indiciis, quæ ipse in Historia sua suppeditat *Juvencus*, luculente probat. Tantum de Epistola *Garellii*, ad id satis idonea, ut, quantum expectari possit a polita illa & venusta musa, nisi graviores curæ in-

interciperent labores doctos, omnibus perſpicuum ac manifeſtum faciat. In Commentario, quo illuſtrata eſt Hiſtoria *Juvenci*, tantum olei & operæ conſumſit *Belius*, ut, ſive molem, ſive doctrinam, ſpectes, nihil valeat *Juvencus* ipſe, cum Commentatore ſuo comparatus. Non enim illud tantum agit, ut, quæ obſcurius narrata ſunt a *Juvenco*, his ope Critices clariſſimam accendat lucem, ſed ſupplet etiam ſæpiſſime lacunas ejus, modisque variis honori ejus proſpicit, nunc emendantis, nunc defendentis, vices ſuſtinens. Et facillimum nobis eſſet, ex tanto numero Notarum, in quibus ſunt nonnullæ, quæ ad Diſſertationis integræ modum accedunt, varia ſelectioris doctrinæ ſpecimina exhibere, niſi ea jam eſſet ingenii & eruditionis *Belianæ* fama, ut quilibet Lectorum in univerſi hujus Operi lectionem abditurus ſe ſponte ſua, & magnum illum disquiſitionum non vulgarium apparatum converſurus in rem ſuam, videatur.

D. SALOMONIS DEYLINGII OBSERVAtiones Miſcellaneæ.

Lipſiæ, ſumtibus hæredum Frid. Lanckiſii, 1736, 4. Alph. 5 plag. 5.

S. Reverendus Celeberrimusque Autor, poſt *tres ſacrarum Obſervationum Tomos*, ſuperiori tempore, antequam in hanc Academiam venit, editos, quorum primum *A. 1709 Menſ. Febr. pag. 55*, *ſecundum A. 1711 Menſ. Sept. pag. 405*, & *tertium A. 1715 Menſ. Sept. pag. 430*, in hiſce *Actis* recenſuimus, nunc addit *Tomum quartum*, qui miſcellas varii generis Obſervationes & Exercitationes continet. In *priore* hujus *Voluminis Parte* argumenta, ex Theologia puriore, Hiſtoria, & Antiquitate, ſumta enodate tractat, & multos Patrum locos illuſtrat. In *poſteriore* difficiliora utriusque Fœderis oracula exponit, & a diſſentientium, inprimis recentiorum, ac Deiſtarum, ſingulatim *Jo. Tolandi*, *Ant. Collini*, *Guil. Cowardi*, *Thom. Woolſtoni*, *Matth. Tindalii*, aliorumque empæctarum, depravatione atque injuriis ſolide vindicat. In limine comparent Vindiciæ S. *Irenæi* contra *Ren. Maſſuetum*, jam olim, cum ſummi ſacrorum Antiſtitis munere in patria B. *Lutheri* adhuc fun-

fungeretur, ad celebrandam emendatæ religionis memoriam bisecularem adornatæ, & nunc valde auctæ & emendatæ. *Massuetus* in Dissertatione, S. *Irenæi* Operibus, abs se emaculatius editis, præmissa, hunc Lugdunensium Præsulem ecclesiæ suæ asseruerat, contendens, illum doctorem perinde ac universam ecclesiam primitivam, omnes Romanensium corruptelas, a nobis damnatas, agnovisse. Contra sentit Cel. Autor noster, &, eundo per exempla, clara veritatis Evangelicæ testimonia ex eo depromit, & verba obscuriora, quæ adversariis patrocinari videntur, ex clarioribus elucidat. Sic observat, *potiorem principalitatem*, Romanæ ecclesiæ ab *Irenæo* adscriptam, non inferre potestatem ac dominatum in alias ecclesias, sed ordinis duntaxat & externæ cujusdam dignitatis ac suffragii ferendi prærogativam, ab urbis magnitudine, ipso *Baronio* non dissentiente, repetendam. Perspicue etiam ostendit, Lugdunensem Antistitem justificationem soli obedientiæ & merito Christi adscripsisse, realem corporis & sanguinis Christi præsentiam in sacra cœna docuisse, sed a barbaro transsubstantiationis commento, & sacrificio missatico, aliisque corruptelis Pontificiis, temporum injuria invectis, peralienum fuisse. Quid veterum exomologesis, & ἐπίκλησις in S. Eucharistia, quo sensu hoc Sacramentum ab *Irenæo nova oblatio* dicatur, notato *Scip. Maffejo*, item quo sensu *Grabius*, aliique Theologi in Anglia, illud appellarint sacrificium verum, proprium, ac propitiatorium, accurate exponit, & disquirit, an *Irenæus* aliique veterum præluserint *Dodwelliano* & *Cowardiano* commento de anima naturaliter mortali; quod Autor noster negat, vindicans *Irenæi* verba & opinionem de tribus hominis partibus essentialibus a crasso Fanaticorum errore. Sequuntur Vindiciæ pro *Cyrillo*, Hierosolymitano, scriptæ adversus *Nat. Alexandrum*, *Dupinium*, *Tillemontium*, & inprimis contra recentem Operum ejus editorem, *Ant. Aug. Tuttæum*, quorum vanitas detegitur in antiquitatis purioris consensu sibi asserendo & jactitando. Eundem Sacræ Scripturæ canonem S. *Cyrillus* nobiscum agnoscit, e contrario ecclesiam catholicam Romanæ hodiernæ dissimillimam describit. Nihil in eo deprehendas de cultu imaginum, nec de cœlibatu sacerdotum, Seculo quar-

to

to nondum ſancito. Qua occaſione plurimi ſacri ordinis viri, qui ea ætate in conjugio vixerunt, commemorantur. Initiatorum confirmatio ex S. *Cyrillo* deſcribitur, doceturqne, eam olim non peculiare Sacramentum, ſed baptiſmi appendicem ritualem, fuiſſe. Quam ſententiam S. Rev. Autor contra *Tuttæum* vindicat, & ſuffragio *Sirmondi* munit, cujus lites, cum *Petro Aurelio*, ſive, quod verum viri nomen fuit, cum *Jo. Vergerio Hauranuio*, S. *Sigiramni* Abbate, & Doctore Sorbonico, ſuperiori Seculo agitatas, enarrat. Commemorata Reformatorum in Gallia cum *P. Nicolio*, *Arnaldo*, aliisque *Perpetuitatis fidei* autoribus, lite, docet, a *Transſubſtantiationis* dogmate S. *Cyrillum*, & alios veteris eccleſiæ doctores, peralienos fuiſſe, & ex vocibus μεταβολῆς ac μεταβάλλειν illud nequaquam probari, quin potius perſpicuis veterum teſtimoniis, & ex ipſo Canone Miſſatico, & orientalium eccleſiarum liturgiis, ac ἐπικλήσεως inprimis formula, in omnibus pæne Liturgiis illis, a *Renaudotio* editis, obvia, everti poſſe, quia illa oratio, poſt ſymbolorum conſecrationem recitata, ſupponit, panem & vinum in S. Evchariſtia conſecrata remanere, quia Sacerdos Deum rogat, ut Spiritum Sanctum ſuper dona panis & vini mittat, qui ſuo illapſu efficacique operatione panem faciat corpus Chriſti. Quia Pontificii hanc ſententiam cum ſuo converſionis dogmate conciliare non poſſunt, eam *Jacobus Goar petram ſcandali*, & Cardinalis *Bona* peſſimum & deteſtandum appellavit errorem recentioris Græciæ, a quo antiqui Græci abhorruerint. Sed *Euſ. Renaudotius* ſemel iterumque candide faſſus eſt, ἐπικλήσεως illius uſum perantiquum, & ab Apoſtolica inde ætate repetendum eſſe. Idem ſentiunt *Rich. Simonius* & *Petrus le Brun*. Illarum precum uſum Cel. Autor noſter oſtendit ex S. *Cyrillo*, ipſo ejus elucidatore, *Tuttæo*, non diffitente, qui iſti formulæ conſecrandi vim adſcripſit, & negare auſus eſt, eam ſententiam eccleſiæ Romanæ adverſari. *Renaudotius*, longius progreſſus, non ſolum Græcos excuſavit, negavitque, eorum ſententiam Transſubſtantiationi adverſari, ſed & validiſſimum argumentum ſibi in illa ἐπικλήσει inveniſſe viſus eſt, pro omnimoda panis & vini in S. Evchariſtia converſione.

Sed

Sed Vir eruditiſſimus exiguam gratiam in aula Romana ea transſubſtantiationis defenſione iniit, quemadmodum id *Tomo II Bibliothecæ Orientalis pag.* 200 declaravit *Aſſemanus*, ubi illum *Renaudotii* conatum appellavit *laborem vanum, & valde periculoſum.* Inprimis doctori Maronitæ diſplicuit, quod *Renaudotius* eorum probavit ſententiam, qui ajunt, conſecrationem a verbis Chriſti inchoari, & per invocationis formulam perfici ac conſummari. Facile, pro ſua perſpicacia, prævidit incommoda ex illa hypotheſi dimanatura. Vileſcet autoritas traditionum & ſedis Romanæ, quæ ſolis verbis Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, vim conſecrandi adſcribit. Quam opinionem Pontifex Romanus *Benedictus XIII* in Concilio Romano, A. 1725 celebrato, confirmavit. Si falſa eſſet hæc ſententia, & poſt illa demum ἐπικλήσεως verba panis evchariſtici fieret transſubſtantiatio, omnes ſacerdotes, Miſſam facientes, ac ipſe Pontifex, craſſi forent idololatræ, quia, prout ex Miſſali Romano & praxi apparet quotidiana, poſt verba inſtitutionis, *H. E. C. M.* recitata, continuo procidunt, & panem, tanquam in corpus Chriſti transſubſtantiatum, cultu λατρείας adorant. Poſtea S. Rev. Autor noſter inſigniores exhibet Romanæ Eccleſiæ variationes circa S. Evchariſtiam, ut confunderet *J. B. Boſſuetum*, qui in famoſo libello *de Eccleſiarum Proteſtantium variationibus* magna aſſeveratione aſſeruerat, veram Chriſti eccleſiam nulla temporum viciſſitudine aut locorum diſtantia unquam variaſſe in doctrina, aut ſententiam mutaſſe. Et hunc tam certum ac evidentem veræ Eccleſiæ, ſigillatim Romanæ, characterem eſſe ait, ut promiſerit, velle ſe, ſi vel minima ejus inde a Chriſtiani nominis origine inconſtantia ac varietas fidei offendi poſſit, cauſa, quam tuendam ſuſceperat, cadere. Sed Autor noſter Cel. perſpicuis orthodoxæ ac genuinæ antiquitatis teſtimoniis probat, pompæ theatralis introductionem in S. Evchariſtiæ celebratione, quæ ab initio ſimpliciſſime fiebat, linguæ vernaculæ abrogationem, ſacri calicis ſubtractionem, Miſſas ſolitarias, Sacramenti in ſacrificii proprie dicti, ſed incruenti, commutationem, nec non μετουσίαν illam monſtroſam, & Miſſarum in honorem Sanctorum recitatio-

nem, novellas esse corruptelas, temporum injuria invectas. Quibus expeditis, S. Rev. Autor in originem S. Eucharistiæ inquirit, negatque, illam ex ritu & formula Judæorum paschali repetendam esse, quod viris quibusdam eruditis, & fanaticis, nostri temporis perplacuit. Postcœnium Judæorum paschale commentitium esse, demonstrat, & commenti vanitatem funditus evertit, dum, allatis rerum argumentis, palam demonstrat, valde incertum esse, an Christus in ultima cœna agnum paschalem cum discipulis comederit. Realem corporis & sanguinis Christi in S. Eucharistia præsentiam, eorumque cum pane & vino unionem sacramentalem, non tantum ex verbis institutionis probat, sed & primitivæ ecclesiæ consensu, nec non suffragiis Æthiopum, Coptorum, ac Nestorianorum in Oriente, munit atque confirmat. Missæ vocabulum secundum veram suam originem, & antiquum primitivæ ecclesiæ usum ac sensum, nunquam notasse sacrificium expiatorium, pro vivis & mortuis offerendum, nec aliunde ortum esse nomen, quam a populi in cultu publico congregati *ἀπολύσει* ac dimissione, nec *λειτουργίαν Act. XIII, 2*, ac alibi, sacrificium missaticum notare, ample demonstrat, & *J. B. Bossuetum* refellit, qui peculiari libello probare voluit, sacrarum epularum sub una specie sumtionem in veteri ecclesia *ἀδιάφορόν τι*, & in cujusvis arbitrio, fuisse, velletne sub uno aut sub utroque symbolo hoc Sacramento uti. Cumque, prius extra Missarum solennia multis, ac ægrotis inprimis, usitatissimum fuisse, *Bossuetus* & *Jo. Bona* audacter asseruerint, Noster, allatis plurimis exemplis & testimoniis, utrumque refellit, simulque exponit, quid *communio laica, & peregrina*, fuerint, quibus in vocibus multi ex adversariis, turpi decepti ignorantia, erroris præsidium quæsiverunt. Expositis reliquis, quæ ad hoc argumentum pertinent, Cel. Autor noster ad describendam regiminis monarchici novitatem in Papatu progressus, in limine statim refellit Virum illustrem, *G. G. Leibnitium*, pacis intempestive sanciendæ studio eo inductum, ut opinaretur, regimen monarchicum in ecclesiam universam juris esse divini, licet Romanæ sedis prærogativæ juris tantum sint humani. Negat Noster,

Ser-

Servatorem ſacrum aliquod dominium, ac multo minus regimen orbis Chriſtiani monarchicum, quale Præſules Romani multis artibus, ac diuturnis temporum injuriis, & arripuerunt, & uſurparunt, inſtituiſſe. Ab initio omnes eccleſiæ miniſtros inter ſe fuiſſe æquales, & Epiſcopos ante Seculi poſt Chriſtum natum ſecundi initia nec ſupra Presbyteros evectos eſſe, nec peculiares ſacri muneris partes & prærogativas ſibi vindicaſſe. Cum illis enim Presbyterorum etiam & Diaconorum ordinem, ne plebe quidem excluſa, in partem regiminis eccleſiaſtici veniſſe. Senſim tamen paulatimque caput extuliſſe Epiſcopos, & non exiguas ſibi ſumſiſſe, ac ſponte delatas accepiſſe prærogativas, ita tamen, ut omnes manerent αὐτοκέφαλοι, & nullus in alios haberet juris dicendi poteſtatem, dum circa Seculi tertii dimidium Metropolitani, hoc eſt, antiſtites ſacrorum primæ in provincia urbi præpoſiti, ob illius civitatis dignitatem, aliquam in ceteros ejusdem provinciæ Epiſcopos autoritatem nacti, ex iisque tres inprimis, Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, adeo ſe extulere, ut quisque eorum peramplam regeret diœceſin, ita tamen, ut ſingulis ἴσα eſſent πρεσβεῖα, æqualia jura, nec ullus in ceteros aliquid juris vel poteſtatis haberet. Qua occaſione in Patriarcharum originem inquirit, &, quamvis neget, illorum jura *Canone ſexto Nicæno* confirmata eſſe, qua ætate & jus & nomen adhuc fuerit ignoratum, facile tamen largitur, Patres Nicænos Romano, Alexandrino, & Antiocheno antiſtiti, majus aliquid, & ſupra vulgaria Metropolitanorum jura poſitum, vel contuliſſe, vel confirmaſſe, & hac ratione fundamenta Patriarchalis dignitatis & autoritatis, paullo poſt ſanciendæ, jeciſſe. Illis enim non unam duntaxat provinciam, ſed ampliſſimas diœceſes, h. e. plures provincias ſimul junctas, adſcribi, dicique τοὺς ὑπὲρ τὴν διοίκησιν ἐπισκόπους, & ἐξάρχους τῆς διοικήσεως, ut ab ἐξάρχοις τῆς ἐπαρχίας, *ab unius* tantum *provinciæ exarchis*, quales Metropolitani erant, diſtinguerentur. Sic Romani Præſulis diœceſis jam tum tempore Nicæni Concilii plures complectebatur provincias, quæ, quandoquidem urbi Romæ vicinæ erant, *urbicariæ* & *ſuburbicariæ* appellantur, de quarum nomine

mine, amplitudine, & numero, enarratis ſententiarum divortiis, S. Rev. Autor noſter diſputat, &, litem compoſiturus, tempora probe diſtinguenda eſſe, monet. Ab initio, & primis Epiſcopatus Romani cunabulis, antiſtitem illum exiguo tractui præfuiſſe, & tanquam Epiſcopum ſpecialem ac vulgarem illas duntaxat gubernaſſe eccleſias, quæ urbi Romæ erant proximæ, ac in ejus territorio, ſive Præfectura urbica, ſitæ. Poſtquam autem æternæ urbis Præſul jura etiam *Metropolitica*, exemplo aliorum, quin &, favente occaſione, ac creſcente opulentia atque faſtu, *Exarchica*, uſurpare, ſibique vindicare, cœpit, illius autoritas, ac poteſtatis amplificandæ ſtudium, intra anguſtos centeni lapidis, ſive Præfecturæ urbicæ, limites contineri amplius non potuit, ſed jurisdictio ejus ſacra in univerſas Vicarii Romani provincias, ſive in omnem Diœceſin urbicariam, tam late extenſa fuit, ut cunctis ampliſſimæ ſuæ provinciæ Epiſcopis, quorum ſupra ſexagenos numerantur, jam ſub Seculi quarti initium præeſſet, extra hoſce limites autem non extenderetur. Nam dominatus Romani Pontificis in totius Occidentis, aut univerſi orbis, eccleſias ſequiorum demum temporum injuriis, & variis artibus, quo S. Rev. Autor noſter vicariorum Romanæ ſedis in Gallia, aliisque provinciis, conſtitutionem, & pallii transmiſſionem, refert, invectus, illa ætate profunde ignorabatur. Præſulum Romanorum judicium ab errandi periculo nequaquam immune eſſe, Papæ *Honorii* exemplo probat, & contra diſſentientes erudite vindicat. Affectatum Romanorum Præſulum dominatum in eccleſiam univerſam aliquamdiu repreſſerunt & cohibuerunt Chriſtiani Reges, & Conciliorum Patres, dum *Gregorii VII*, aliorumque Pontificum, ferocia Papalis poteſtas ad ſummum faſtigium evecta, & eccleſia Chriſtiana depreſſa, conculcataque Imperatorum majeſtate, terribili jugo collum ſubmittere coacta fuit. Quæ omnia ex genuinis hiſtoriarum monumentis demonſtrantur & fulciuntur. *Altera* harum *Miſcellanearum Obſervationum Pars* continet potiſſimum Philologico-Exegetica. Primo exhibetur Jeſu Chriſti *ἐμφανισμὸς* in conſpectu Dei, ex ſacro Codice & antiquitate Hebræa deſcriptus, ad illuſtrandum locum *Hebr. IX, 24.* Ubi notat,

tat, τὰ ἅγια Apoſtolo eſſe tabernaculi τὸ ἁγιώτατον, & τὰ ἀληθινὰ & ἀλήθειαν in multis Novi Fœderis locis opponi umbris ac figuris Leviticis. Hebræorum traditio de quaternario S. Pontificis ingreſſu in adytum feſto expiationis die confirmatur. Sociniani, negantes Chriſti in his terris Pontificatum, refelluntur, doceturque, Servatorem, quoad vixit, omnes muneris ſacerdotalis partes expleviſſe. Quid ἐμφανίζειν, ac Chriſti ἐμφανισμὸς in cœlis, quod differat a προσφορᾷ, quid item ἐντυγχάνειν ſit, enucleate exponitur, & *Jonæ Schlichtingio*, Chriſti ſatisfactionem ex ἐμφανισμῷ everſuro, reſpondetur. Poſtea Chirographi ac principum legalium abolitionem, *Coloſſ. II*, *14*, *15*, deſcriptam, illuſtrandam ſibi ſumit, & obſervat, in hoc loco directe ac proxime non agi de glorioſo Chriſti triumpho ſuper hoſtes infernales, ſed de legis cerimonialis abrogatione per Chriſtum facta, victisque & exutis Synedrii Patribus, poteſtatibus, & magiſtris, in Moſis cathedra ſedentibus, ſumtis loquendi formulis ex more veterum militari, quo hoſtes in prælio occiſi exui, & ſpolia iis detracta publice figi, ac amicis mitti, ſolebant. Lux affunditur loco *Eph. IV*, *8*, & phraſis δειγματίζειν ἐν παῤῥησίᾳ ex antiquis triumphi ritibus, perinde ac verba *Phil. II*, *6*, illuſtrantur. Per Philoſophiam, ab Apoſtolo *Coloſſ. II*, *8*, rejectam, non tam corrupta Platonicorum & Stoicorum placita, quam Philoſophiam Judaicam, vult intelligi, qualem Phariſaici inprimis Doctores in Synagogis profitebantur, & qualem hodiedum deprehendimus in Talmude, quæ corruptiſſima erat, & בקבלה ἐν παραδόσει τῶν ἀνθρώπον κατὰ τὰ ϛοιχεῖα τοῦ κόσμου, conſiſtebat. Deinde ſiſtitur ὀρθοτομία τοῦ λόγου τῆς ἀληθείας ex *2 Timoth. II*, *15*, ubi phraſeos vis, rejectis virorum eruditorum conjecturis, quorum alii a victimis rite diſſecandis, alii ab œconomo, diſtribuente panem famulitio, aut a coriariis, aut hortulanis, vel marmorariis, aut agris recte arandis, formulæ originem repetere voluerunt, expenditur, & Vulgatus Interpres laudatur, qui ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας interpretatus eſt *recte tractare verbum veritatis*, ita, ut idem ſit ac ὀρθοποδεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου, *Gal. II*, *14*, h. e. verbum divinum recte exponere & applicare pro

ſtatu & diverſitate auditorum. Contra hanc regulam peccabant falſi Apoſtoli, καπηλεύοντες τὸν λόγον, *2 Cor. II, 17*, quæ verba ex Philologia Græca copioſe illuſtrantur, oſtenditurque, *Neſtorianas* controverſias ad λογομαχίας, ut multis viſum eſt, referri nequaquam poſſe. In illuſtratione *Pſalmi CXIV, 2*, ſiſtit Iſraelem Jehovæ dominium, rejectaque *Adr. Houtuyni* ſententia de Hebræorum monarchia, & ariſtocratica regiminis forma, quæ *Carolo Sigonio* in mentem venit, defendit Θεοκρατείαν, non a rudioris ſeculi ingenio, nec bruta Iſraelitici populi indole, ſed a Dei ſingulari amore, repetendam, cujus luculenta indicia ex Scripturis profert, unde obſcurioribus locis lux affunditur. Sic enim rationem reddit, cur Iſraelitis nullum cum vicinis gentibus fœdus inire licuerit. Quia videlicet Jehova ſui populi defenſor & Rex ſocia aliorum opera non indigebat, quæ etiam citra diffidentiam & defectionem eo tempore quæri non poterat. Porro, cur eo tempore falſus propheta, crimen læſæ majeſtatis regiæ committens, & cives ad rebellionem & defectionem a Deo, Iſraelitarum Rege, ſolicitans, ultimo ſupplicio fuerit afficiendus? item cur nonnulla delicta apud Iſraelitas in foro civili abierint impunita? nec non cur Regum objurgatio vehementior a Prophetis olim facta, hodie a verbi miniſtris non ſit imitanda, quia nunc videlicet theocratia deſiit, ſub qua vates olim divinitus afflati & miſſi, tanquam Dei, ſummi Regis, miniſtri & legati, agebant, ejus voluntatem ſummis & imis in Republica denuntiantes. Loci *Rom. IX, 13*, *Gen. XXV, 23*, & *Mal. I, 3*, a *Jo. Marckii* aliorumque corruptelis vindicantur, doceturque, Judæorum rejectionem non adſcribendam eſſe decreto alicui abſoluto, cujus originem non ab *Auguſtino*, ſed a Prædeſtinatianis, repetendam eſſe ait. Cumque multi negent, hanc hæreſin olim re vera extitiſſe, S. Rev. Autor noſter docte oſtendit, eam fabulis annumerari non poſſe. S. Scripturæ recte interpretandæ rationem traditurus, optima ſubſidia non ſolum commemorat, ſed & veterum doctorum induſtriam examinat, & monet, eorum perpaucos rectum interpretandi genus ſecutos eſſe, id quod, eundo per ſingula Secula, luculenter declarat. Patres enim, linguarum Orientalium cultu, & aliis adminiculis, deſtitu-

tos,

tos, difficultates, in ſenſu literali eruendo obvias, ſuperare non potuiſſe. Hinc ad ſenſus allegoricos delapſos, vel ad varia doctrinæ capita tractanda feſtinanter nimis evagatos eſſe. Ad *Exod. XIV, 19*, agit de angelo Domini, ſeu Filio Dei, in columna nubis & ignis gratioſe præſente, & Iſraelitarum per vaſtas Arabiæ ſolitudines ductore, & refellit *Jo. Tolandum*, qui in *Hodego* aſſerere auſus eſt, illum angelum non fuiſſe alium, quam *Hobabum*, ſolitudinis Arabicæ gnarum, qui, tanquam ſpeculator locorum, & inſidiarum explorator, ac dux itineris, exercitum Iſraelitarum præiverit, & fumi ac ignis ſigno, more Arabum, tempus profectionis, ac viam, qua eundum eſſet, monſtrarit. Deſcripta *Ant. Collini* impietate, qui, edito virulento libro, ipſa religionis Chriſtianæ fundamenta ſubvertere conatus eſt, oſtendit Chriſtum verbi Prophetici nucleum & ſcopum, atque locos *Eſa. VII, 14*; ac *Hoſ. XI, 1*, ab evangelicæ hiſtoriæ conditoribus recte ac ſenſu literali de Chriſto Jeſu expoſitos eſſe. De oraculo *Eſa. XIV, 13*, de mirabili eccleſiæ incremento, ab *Eſa. LXVI, 7*, prædicto, de ſacrorum emendandorum neceſſitate tempore B. *Lutheri*, allatis ex rerum geſtarum ſerie argumentis, copioſe agit, & divinum purgatæ religionis beneficium, uti par eſt, celebrat. Paulo poſt bina *Eſa. IX, 1—5*, oracula exponit de Galilæa Meſſiæ doctrina illuſtranda, & de principatu humeris ejus imponendo, quibus verbis non ad epomidem regiam, ab humeris pendentem, uti *Vitringa* voluit, ſed ad geſtationem clavium, quæ apud veteres prælongæ, graves, inſtar falcium curvæ, & propter pondus κατωμαδίαι dictæ, hoc eſt, *humeris geſtari ſolitæ*, dominii domeſtici inſigne erant, reſpici opinatur. Rei illuſtrandæ cauſa de Diis Deabusque κλειδούχοις, ac eorum ſacerdotibus clavigeris, qui in nummis & aliis monumentis antiquis comparent, agit, & angelum illum *Jacobi* colluctatorem *Gen. XXXII, 24*, ab injuriis cujusdam empæctæ in Anglia vindicat, ac demonſtrat, illum non ſicarium, ab Eſavo ad fratrem e medio tollendum emiſſum, ſed Filium Dei, fuiſſe. Quæ ſententia ex rei geſtæ hiſtoria, & amplitudine prædicatorum, quæ huic angelo tribuuntur, confirmatur, & antiquæ purioris eccleſiæ conſenſu munitur. *Jonæ* a ceto deglutiti hiſtoriam, & perexi-

mium

mium Christi ex morte resuscitati typum, perinde ac agni paschalis cerimoniam, elucidat & applicat. Veritatem resurrectionis Christi Jesu contra *Spinozam*, *Th. Woolstonum*, aliosque adversarios, solide vindicat, & difficultates circa tempus resurrectionis motas tollit. Mittimus alia non adspernandi argumenti capita, e. g. de dispersis Israelitis ad Apostolicam Ecclesiam per præconium Evangelii colligendis, *Zach. X, 9*, de effundendo Spiritu gratiæ & supplicationum, *Zach. XII, 9, 10*, de largis Spiritus Sancti donis, credentibus in Christum promissis, *Jo. VII, 37 & 38*, & in festo tabernaculorum per aquæ ex fonte Siloæ haustæ effusionem repræsentatis, & his similia, quæ apud ipsum legi possunt Cel. Autorem. Tandem universo Operi finis imponitur illustratione loci *Esa. XX, 3*, ubi prophetæ nuditas a *Matth. Tindalii*, novi in Anglia Deistæ, irrisione vindicatur, ostenso empæctæ stupore, ignorantis, apud Hebræos illos dici nudos, qui, superiore exuti veste, interiore duntaxat tunica sunt amicti, *1 Sam. XIX*, 24, & *2 Sam. VI*, 20, circa quem locum *Davidis* modestia contra *Jo. Clericum* asseritur. Eundem vocis γυμνοῦ & *nuditatis* usum esse apud Græcos & Latinos, allatis Autorum testimoniis, probat, & locum illustrat *Matth. XXIV*, 18, *qui in agro est*, videlicet nudus, arando metendove occupatus, & tunica tantum, vel alio leviori & quotidiano vestimento, indutus, non revertatur domum omissa fuga, ut sumat τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, seu vestes exteriores & meliores, quibus Hebræi in publicum prodire solebant. His qui carebant, nudi dicebantur, & tunica interiore & indusio amicti erant. Sic, *Esaiam* non omnia abjecisse indumenta, sed exterius duntaxat vestimentum deposuisse, & discalceatum ambulasse, censet, quod in tantæ autoritatis viro omnino portentosum erat.

DISSERTATIONES MEDICÆ, QUARUM prior περὶ τῆς Ἀλλαντοειδέως, *sive de Membrana allantoide, versatur, Autore* LUDOVICO DE NEUFVILLE, *Med. Doct. posterior* περὶ τῆς Νύμφης, *de Clitoride, disserit, Autore* THEODORO TRONCHIN, *Med. Doct. Editio nova, emendatior, accuratior.*

Lugdu-

Lugduni Batavorum, apud Jo. & Herm. Verbeek, 1736, 8.
Plag. 4.

Prima istius *Dissertationum* Bigæ controversam de numero & conditione membranarum, quæ fœtum humanum obvolvunt, quæstionem nova luce illustrat. Altera ex membranis istis, exterior, totum fœtum cum membranis ac humoribus, ad eum pertinentibus, ambiens, a vasorum numero Chorion dicta esse reputatur, quæ in placentiferis, saltem illo in loco, ubi cum placenta cohæret, vasorum sanguiferorum myriadibus superbit, in ceteris vero glanduliferis animantibus tota vasis ita quidem suffunditur, ut rubicundæ ex arteriarum venarumque concursu hinc inde formentur maculæ, cujus quidem in homine unicus est adhærendi utero modus, in animantibus pro generum diversitate varius. Imbibit hæc membrana liquorem alendo fœtui idoneum, vasa umbilicalia fulcit, caruncula vel cotyledones in glanduliferis, placentam in placentiferis, sustinet, eandemque undique cingit. Membrana altera, fœtum proxime investiens, Ἄμνιος Græcis, Latinis Amiculum, indusium, appellatur, figuræ fere ovalis, tenerrima, nec duplex, prout *Fabricio ab Aquapendente* visum, cui error Allantoidis pro parte τῦ Ἀμνίυ habitæ imputatur, laxe fœtum ambiens, nullis, quod hactenus constet, vasis sanguiferis stipata, quæ intra sese liquorem continet, mucosum, oleosum, sero lactis haud absimilem, fœtui nutritium, & diversum a liquore urinoso, qui copia, sapore, odore, facile distingui possit. Hic excrementitius, ille laudabilis, est; ille in ore, œsophago, ventriculo, embryonis reperitur, hoc ipso, cum nutriri incipit fœtus, renes sui reminiscuntur officii, majoresque, quo ortui suo propior est embryo, laxique, urinam in vesicam destillant, qua illa plenissima efficitur, prout in quatuor mensium partu reperta fuit. Quorsum urina ista effluat, quæsitum fuit ab omnibus. Uracho ex vesica per umbilicum transeunte, evacuationem in Allantoidem fieri, quod ad bruta animantia attinet, omnes consentiunt, de homine res clara hactenus nondum extitit, aliis, per urethram evacuari, aliis, in amnion, aliis, medio inter amnion chorionque loco, effundi, contendentibus. Quæ sententias hasce omnes dubias reddere

 possint

possint argumenta, allegantur solicite, additurque maxime spinosa de allantoide & uracho humano quæstio. Hunc impervium habuerunt, illam prorsus absentem declaraverunt, inter Anatomicos haud incelebres viri. Viam ex urinaria vesica ad umbilicum esse posse, Clariss. *Albinus* in viginti quatuor annorum adulto, cujus urachus ad unius pollicis profunditatem pervius fuit, demonstravit. *Ridlejus* carunculam, orificio urachi præfixam, adjecit, sed frustra. Urinæ demonstratur ex vesica transitus necessarius, &, cum quadam alia in parte urinalis liquoris cloaca nulla existat, istud est Allantoidis humanæ officium, quam antiqui Medici fere omnes homini concesserunt, etsi forte brutorum anatomiam ad humanam transtulerint. Cl. Autor experimentis, a se aliisque institutis, Allantoidis præsentiam & usum declarare annititur, taxans *Vesalii*, *Fallopii*, *Columbi*, *Highmori*, descriptiones, quod aliqua ex parte mutilæ sint, parumque constantes. Laudatur *Halæus*, Anglus, qui præ omnibus hocce embryonis organon accurate descripserit. Hæc membrana, inter amnion chorionque sita, est omnium tenuissima, tenerior amnio, eoque multo pellucidior, nullis ad sensum vasis sanguineis instructa, totum fœtum non obvolvens, sed solam partem chorion respicientem, neque ad totam placentam directa, sed margini placentæ, qua parte utero cohæret, irradicata. Detegendi methodus ea est, qua, invento foramine, quo prodit urina, flatu Allantois distenditur, ita, ut omni suo ambitu & volumine appareat. Plurimum apud Autorem valet *Hallæi* autoritas, quem nec hallucinatum fuisse, ut duplicaturam vel amnii vel chorii pro tertia quadam membrana haberet, nec imponere aliis voluisse, supponit, maxime quod celeberrimos in arte viros, *Keilium*, *Litrium*que, suffraganeos obtinuerit. Ipse Autor a Celeberrimo *Albino* feliciter detectam inspexit. Erat Allantois fœtus circiter septem septimanarum, laxe per tenues fibrosos nexus intra amnion chorionque hærens, ubi chorio subest placenta, instar vesiculæ oblongæ, vesica multo capacioris. Comparebat quoque distincte in umbilicali fune urachus instar tenuis fili albi, devians ad latera, & desinens in hanc vesiculam, Allantoidem dictam. Ex qua urachi directione,

ortu-

ortu, progressu, termino, itidemque ex analogia urinæ, necessario aliquam in partem depluentis, usus Allantoidis facili negotio intelligi poterit.

Altera Dissertationum de Nympha, seu Clitoride, agit, quæ Græcis Νύμφη, Μύρτα, Ὑποδερμίς, Latinis vel ab usu, vel abusu, vario modo appellata fuit. A se primum detectam fuisse, gloriantur *Columbus* & *Fallopius*. Magnitudo pro ætate, tempore, natura, moribus, differt. Plura cum parte virili communia habet, glandem, præputium, foraminis simulacrum, corpora spongiosa & fungosa, ligamentum, musculos, vasa, papillas nervosas, pruritum, tentiginem. In fœtibus humanis proportione major est, unde puellæ pro pueris haud semel habitæ; inde decrescit, aliquando vix conspicua, donec maturiore ætate nubilibus justæ fiat magnitudinis. Luxuriantis exempla allegantur, unde fuerint, quibus præscissa fuerit, siquidem & circumcisionis fœmineæ locus hic penes Arabes habeatur. Tribadum historia hic loci conditur, artiumque libidinosarum lenocinia ex omni antiquitate adducuntur. Morborum etiam sedes est, virginibus, nuptis, parturientibus, haud raro molesta, siquidem & Medicinæ forensis objectum esse suevit.

MACHINES ET INVENTIONS, APPROUvées par l'Academie Royale des Seiences, &c.

h. e.

MACHINÆ, ET INVENTA, APPROBATA ab Academia Scientiarum Regia, inde a sua fundatione ad nostra usque tempora; una cum illorum Descriptionibus. Delineata ac publicata, consensu Academiæ, per GALLONUM.

Tomus IV.

Parisiis, apud Gabr. Martin, Jo. Bapt. Coignard, fil. & Hippolyt. Lud. Guerin, 1735, 4 maj.

Alph. 1 plag. 4, Tabb. æn. 75.

Ferente ita ordine, ad præclarissimi hujus Operis *Tomum quartum* accedimus, qui omnibus reliquis paulo est spissior & locupletior. Comparent hic Machinæ, ab

A. 1720 ad 1726 Academiæ exhibitæ. Anno 1720 approbatæ fuerunt sequentes. 1) Machina pro asseribus ferra secandis, inventa a *Guyoto*. Ejus commoditas hæc est, quod serræ quamplures simul reciprocari queant, id quod fit ope duorum pendulorum, quæ duobus Machinæ lateribus applicantur, & simul agitanda sunt. Constructio tota satis ingeniosa est, respectu tum serrarum reciprocandarum, tum ligni secandi, semper serræ admovendi. Quoniam tota res ex itu & reditu pendulorum pendet, qui valde inæquabilis esse potest, multa exinde incommoda in ipsa praxi resultare possent. Huic itaque malo remedium afferre studuit Autor, utpote cujus exhibita fuit 2) Additio, sive correctio, adhibenda Machinæ prædictæ. Scilicet motum pendulorum temperare contendit per manubrium, quod ope ponderis pendulo applicatur, & ope vectis, in ipsa Machina fixi, sic movetur, ut potentia semper percurrat spatium radio manubrii æquale. Quanquam autem hac ratione vibrationes pendulorum ad æquabilitatem prope reducantur, negari tamen haud potest, frictiones sic quamplurimum augeri, & vires satis magnas ad movendam hanc Machinam requiri. 3) Tunica virilis adstrictior, (*just-au corps*,) sex solummodo partibus constans, autore *Cayo*. 4) Novæ Caminorum constructiones, autore *Gaugerio*, qui totum de hoc argumento Tractatulum composuit, satis notum, qui inscribitur: *La Mécanique du Feu*. Igitur opus non est, ut plura hic dicamus, præsertim cum structuræ ratio adeo breviter explicari haud possit. 5) Fornaces, ad servandam hominum sanitatem inprimis aptæ, inventæ ab eodem *Gaugerio*, licet ab Academia demum approbatæ sint A. 1722. Præcipua illarum commoditas hæc est, quod aer calefactus, in conclavi circulans, semper sit novus aer, qui ope tubi advehitur; id quod non potest non esse saluberrimum. Possunt duo quoque conclavia simul hac ratione calefieri, licet de eo adhuc dubitare videatur Cl. Editor. Anno 1721: 1) Sucula (*Cric*), inserviens embolis antliarum elevandis ac deprimendis, proposita ab *Augerio*. Duo scilicet emboli communi brachio ferreo & circulari superne junguntur; circulo huic ferreo inseritur virga

ferrea,

ferrea, ſat fortis, quæ ambos hoſce embolos ſimul elevat, deprimitve. Apex virgæ inſeritur alteri circulo ferreo, priori oppoſito, qui jungit duas virgas dentatas, ſibi invicem oppoſitas; quas inter collocatur rota, ex aliqua ſolum circumferentiæ ſuæ parte dentata, trabique, quæ totam ſuculam ſuſtinet, firmiter affixa. Quando rota hæcce ope manubrii circumagitur, impellet unam ſolum ex virgis dentatis, quoniam in aliqua ſolum circumferentiæ parte dentata eſt; motu continuato, dentes rotæ alteram virgam juxta directionem priori contrariam impellent. Rotam igitur continue verſando, laminæ dentatæ, conſequenter & emboli duo, ope circuli ferrei, ipſis juncti, nunc attollentur, nunc deprimentur. Duplicando totum hunc mechaniſmum, effici poterit, ut duo emboli ſimul deprimantur, & alii duo ſimul adſcendendo adſpirent. Ingenioſa totius Machinæ conſtructio eſt, niſi a frictionibus ipſi metuendum ſit. 2) Sera, obicibus (*fermetures*) quatuor & viginti inſtructa, & valde approbata, inventa ab *Aumontio*. 3) Additamentum, eidem ſeræ ad eodem Autore factum; quod nil aliud eſt, niſi alia ejusdem generis ſera, tribus ſolummodo obicibus inſtructa, & portis conclavium applicanda. In utraque mechaniſmus valde ingenioſus adhibitus fuit, qualem nunquam antea in his caſibus applicatum fuiſſe, Academia judicavit. Anno 1722: 1) Machina, triturandis frumentis apprime idonea, inventa a *Gueto*. Refertur in Hiſtoria Academiæ ad hunc Annum, Machinam hanc pluribus in locis magno cum ſucceſſu adhibitam fuiſſe. Numerus tribularum varius eſſe poteſt, pro magnitudine areæ. Moventur omnes ope vectis & manubrii alicujus; unusque equus toti Machinæ movendæ ſufficere poteſt. 2) Additio, Machinæ modo dictæ ab eodem Autore facta, quæ tamen haud nova eſt, utpote in Theatro Machinarum *Victorii Zoncæ*, Architecti Itali, impreſſo Patavii A. 1607, *pag. 25*, ut & in *Ramellio*, conſpicienda. 3) Modus elevandi & deprimendi Antliarum embolos, propoſitus a *Perpoint*. Quemadmodum illa *Augerii*, quam paulo ante recenſuimus, Machina, ita hæc quoque, id commodi habet, quod motum embolorum reddat corpori Antliæ parallelum, nec adeo obnoxia ſit frictionibus, quæ

ex motu emboli obliquo oriuntur. Idem quoque mechanismus fere in hac adhibetur, licet commodius; qui cum ex virgis rotisque dentatis dependeat, merito ſuſpicionem facit, ex hac parte eadem, ſi non plura, frictionum incommoda oritura, quæ ſunt in Machina *Augeriana*; utque adeo, quæ per embolorum motum parallelum evitantur, per nimias virgarum rotarumque attritiones compenſentur. Ceterum animadvertit Cl. Editor, ambas haſce Machinas multum ſimilitudinis habere cum alia ejuſdem generis, exhibita a *Ramellio pag. III.* 4) Additiones, factæ ad Antlias, quæ reſtinguendis incendiis adhibentur, ab *Ublemanno.* Præcipua eſt, quod uni eidemque embolo applicantur duo vectes, ſibi invicem oppoſiti, qui ſemper exacte moventur in plano verticali; ex quo illud commodi obtinetur, ut emboli ſemper teneantur in directione ad horizontem perpendiculari, minuanturque frictiones; ut jam taceamus, plures Machinæ homines adhiberi poſſe, qui tamen ſibimet ipſis nihil obſtaculi efficient, &c. 5) Molendinum parvum, & compendioſum, propoſitum a *Gacbeo.* Licet Machina nova haud ſit, ejus tamen executionem approbatione ſua dignam Academia judicavit. Commodiſſima autem eſſe poteſt, cum exiguum admodum volumen, 8 vel 9 pedum circiter, occupet, ſatisque magna farinæ copia ejus ope obtineri poſſit. Mechaniſmus autem idem eſt, qui cernitur in molendinis ordinariis, hic tantum in compendium redactus. 6) Scapha, propoſita a *Droueto*, licet non adeo nova ſit, & pluribus jam in locis uſui adhibita. 7) Nova conſtructio molendini pro pulvere pyrio, inventa a *Moralecio.* Differt ab ordinariis in eo, quod mortaria, in quibus materia pulveris pyrii conteritur, a ſe invicem ſeparata ſint, & unumquodque cellulæ peculiari includatur, quæ ipſa cellula alia adhuc ejuſdem generis circumdatur. Licet itaque pulvis pyrius in aliquo mortariorum ignem concipiat, nequaquam tamen reliquis a flamma metuendum erit. Fieri autem hanc in rem debent experimenta exacta, ut probe innoteſcat, ad quamnam diſtantiam flammæ pulveris pyrii ſeſe communicent; exinde enim diſtantia mortariorum dependet. Non autem abſque ratione auguratur Cl. Editor,

exe-

executionem hujus molendini magnas subituram difficultates, sumtusque haud mediocres requisituram. 8) *Droueti* Machina pro navibus adverso flumine trahendis. Est navicula, cujus lateribus perpendiculariter incumbunt quinque tympana, diversis diametris gaudentia; in utraque tympani alicujus extremitate est rota aquaria, quæ a vi fluminis impellitur. Tympanis circumvolvitur funis, quo navis onerata trahitur. Facile igitur patet, navem hac ratione facile tractum iri, ob satis magnum tympanorum numerum; nisi frictionum incommoda effectus quantitatem nimis imminuant, magnamque funium vim consumant. 9) Horologium oscillatorium, quod tempus verum sive apparens monstrat, inventum a *Bono*. In recensione *Tomi prioris* exhibuimus aliud ejusdem generis Horologium, ab eodem Autore inventum A. 1714. Rota annua in hoc, de quo dicimus, perinde ac in altero, curva æquationis instruitur, quæ vero hic non dentata, sed polita, est, & ope trochleæ, quæ ipsi innititur, brachioque rotæ alicujus dentatæ affixa est, (quæ eandem, ac in horologio superius memorato, rastri formam habet,) reliquas horologii partes movet. Magna præcautione opus esse ait Cl. Editor in eligendo rotarum numero, quibus index temporis veri movetur; nec aliquid certi de eo definit, cum Inventor id sibimet ipsi hactenus reservaverit. Putat autem, repetitis tentaminibus atque combinationibus eo tandem absque aliis auxiliis perveniri posse. Anno 1723: 1) Machina, inserviens mensurandis variorum elateriorum viribus, proposita a *Deschampio*. Ejus idea & aliqua applicatio jam datæ fuerunt A. 1718, uti supra diximus, pro iis elateriis, quæ in igniariis bombardarum usurpantur. Tota res nihil aliud est, quam statera Romana vulgaris, quam appellant *la Romaine*, ad hoc negotium applicata, & eadem prorsus methodo divisa, ac fieri ordinarie solet. Vis enim elaterii cum vi ponderis, brachio stateræ appensi, æquilibrium facere debet; & hac ratione vires differentium elateriorum ad examen revocari, atque inter se comparari, possunt. Imo vires elateriorum, æqualium & similium, quæ sæpissime multum a se invicem discrepant, ad æqualitatem reduci possunt, & sic e. g. igniaria bom-

bombardarum quamplurimarum elateriis instrui possunt, quorum prorsus eædem sunt vires, id quod non potest non esse valde commodum. Enarratur quoque a Cl. Editore, quantum virium habere debeant singula talis igniarii elateria. 2) Machina, cujus ope aer advehi potest metalla ex visceribus montium effodientibus, proposita a *des Barrieres*. Inventum hocce ab *Agricola de re metallica* jamjam proponitur: tota differentia huc redit, ut in Machina *Agricolæ* tubi, aerem advehentes, sint lignei, in hac vero ex corio forti confecti, quæ tota est ejus prærogativa. 3) Sphæra mobilis, inventa a *Meynierio*, quæ ex parte juxta systema *Ptolemaicum*, ex parte juxta *Tychonicum*, & ex parte juxta *Copernicanum*, composita est. Eam cingunt Luna, Sol, Mars, Jupiter, & Saturnus; Solem vero cingunt Venus & Mercurius, juxta systema *Tychonicum*. Quilibet Planetarum superiorum epicyclis suis instructus est, cujus ope repræsentantur ejus directiones, stationes, & retrogradationes. In inferiori hujus sphæræ parte collocantur circuli revolutionum Planetarum, varie ad semet invicem, & ad eclipticam, inclinati, qui, dum manu versantur, motum Planetarum in longitudinem & latitudinem repræsentant, utpote qui ope brachiorum iis affixi sunt, ut simul revolvi debeant. Monstrat quoque hæc sphæra dies phasesque Lunæ, ortum & occasum Solis pro omni climate, & horam loci cujuslibet in superficie telluris, &c. In medio pæne sphæræ est globus, terraqueum repræsentans, cujus idem ac sphæræ axis, circa quem revolubilis est, id quod ex systemate *Copernicano*, vel, si mavis, Semi-Tychonico, (quale fuit *Riccioli*,) habet. 4) Ejusdem Horologium, quod ostendit locum Solis, ejusque transitum per meridianum, una cum horis primi mobilis. Ait Cl. Editor, ab Autore adhuc additum esse mechanismum, qui ostendat locum Lunæ in Zodiaco, phases, & transitus per meridianum; qui vero secum nondum communicatus fuerit. 5) Ejusdem Planisphærium, quod componitur ex duobus circulis concentricis, quorum interior super exteriori mobilis est. In iis descriptæ sunt quamplurimæ circumferentiæ circulares, varia ratione divisæ, quarum prima & maxima Æquatorem repræsentat, in 24 horas

horas divisum, & in singula terna minuta. Secunda divisa est in $365\frac{1}{4}$ partes, pro totidem diebus, quibus Sol motum suum in ecliptica absolvit. Divisiones ejus inæquales sunt, pro varia motus solaris irregularitate in ecliptica; & quævis respondet uni diei. Tertia dividitur in suos 360 gradus, & monstrat Solis adscensiones rectas ad A. 1730, qui pro Epocha fixus fuit. Ejus quoque ope inveniri potest transitus stellarum per Meridianum, quæ in astrolabio haud projectæ sunt, modo sciantur earum adscensiones rectæ. Ultimus & intimus circulus unice pro stella polari adhibetur, ac ex uno solum latere dividitur in duos quadrantes, quorum quilibet in 64 partes inæquales subdividitur, & quælibet divisio valet 2 minuta prima, id quod usibus nauticis, quibus potissimum destinatum est hocce planisphærium, sufficere potest. Circulus hic inservit inveniendæ elevationi poli quolibet temporis momento, modo cognita sit altitudo stellæ polaris. Ceterum centrum totius planisphærii repræsentat polum Arcticum, circa quem locantur septem constellationes boreales, secundum catalogum *Flamsteedianum* insertæ. Igitur, cum ope hujus planisphærii altitudo poli & distantia stellæ polaris a meridie versus ortum vel occasum cognosci possit, evidens est, illud quoque variationi pyxidis magneticæ noctu cognoscendæ quamplurimum inservire. Ceterum ejus usus copiosius ab ipso Autore describitur in libello, cui titulus est: *Memoire sur le sujet du prix proposé par l'Academie Royale des Sciences, en l'année 1729, touchant la meilleure méthode d'observer sur mer la declinaison de l'Aiguille aimantée, ou la variation de la Boussole. A Paris, chez Jacques Guerin, 1732, 4.* Anno 1724: 1) & 2) Duo Horologia oscillatoria, tempus apparens monstrantia, excogitata a *Thiout.* Primum æquationem temporis in ipsis secundis monstrat. At vero valde compositum est, ac difficillimæ forsan executionis; mechanismus autem satis ingeniosus. Alterum æquationem in minutis solum primis exhibet, adeoque multo facilius effectui dabitur, quoniam longe simplicius est, licet ex iisdem, quibus prius, principiis constructum. 3) Machina pro altitudinibus mari capiendis, proposita a *Meynierio.*

rio. Est scilicet semicirculus radio unius circiter pedis, cujus diameter situm horizontalem sponte sua acquirit, quoniam perinde ac pyxides nauticæ suspenditur ex quatuor punctis. Ejus ope capientur distantiæ limbi Solis superioris a zenith, licet visio horizontis non in auxilium vocetur. Namque illud commodissime obtinebitur mediante umbra, facta per radios Solis, per fissuram aliquam transmissos, quæ centro semicirculi respondet. Umbra enim in circumferentiam circuli gradibus distinctam projicietur, adeoque distantiam Solis a puncto verticali satis distincte ostendit. Adhiberi quoque instrumentum potest observandis Solis astrorumve altitudinibus ab horizonte ad 50 usque gradus, mediantibus duobus pinnulis, mobili uno, altero immobili, per quæ observator collineare debet. Commoditas instrumenti hujus, quod ingeniosum Academia pronuntiavit, præcipua est, quod oculus in eadem semper altitudine constitutus esse potest, licet altitudo syderis varietur, & quod observatio horizontis non est necessaria. Experientia autem constare debebit, an ita exacte observationes mari fieri possint, sicut factæ terra fuerunt. Eo enim casu hoc instrumentum omnibus aliis hujus generis palmam præripiet. 4) Horologii constructio, quod dimetiendis mari temporibus, & consequenter longitudinibus locorum determinandis, perquam accommodatum est, proposita a *Sullio*, Anglo, qui peculiarem de ea Tractatum publici juris fecit, cujus compendium exhibet Cl. Editor. Id scilicet sibi agendum existimavit *Sullius*, ut Horologium inveniatur, quod motus adeo regulares producat, ut pendulo, minuta secunda vibranti, haud cedat, nec istis laboret imperfectionibus, quibus obnoxia sunt Horologia mari, & in diversis climatibus. Imperfectiones Horologiorum præcipuas judicat, 1) variationes, ortum a frigoris calorisve diversitate trahentes, quibus corpora quævis vel dilatantur, vel magis condensantur; 2) eas, quæ oriuntur ex diversitate gravitatis in locis globi terraquei diversis; & quæ nullis adhuc regulis certis subjectæ ac definitæ sunt; 3) difficultatem, vel, si mavis, impossibilitatem, pendulum sic suspendendi, ut temporibus mari mensurandis inser-

viat,

TAB III

Fig. II.



viat, nec ab oscillationibus succussibusque navis motus ejus turbetur. Hæcce igitur incommoda in nova Horologii sui fabrica evitare studuit Autor, cui adhuc superaddidit proprietates quasdam valde memorabiles, ex quibus duæ sequentes præcipuam merentur attentionem. Prima existit in applicatione curvæ alicujus, quam ait nondum cognitam esse Geometris, sed eorum curiositate dignam, quæque inservit conservando isochronismo perfecto in arcubus vibrationis diversæ magnitudinis, ex quacunque etiam causa diversitas isthæc proveniat. De hac curva peculiari Schediasmate egit Cel. *Eulerus* in *Commentariis Acad. Petropolit. Tom. II pag. 126 – 138.* Secunda consistit in methodo aliqua, cujus ope frictiones potentiæ determinatricis (*de la puissance réglante*) in nihilum pæne reducuntur. Age, structuram Machinæ paulisper ante oculos ponamus. AECD est pars Horologii posterior, in cujus summitate est apertura circularis, ut internam partium dispositionem perspicere liceat. GHIG inter duos circulos punctatos est rota vel circulus libratorius, cujus axis horizontaliter positus est; *m. 1, m. 2*, sunt duo circuli, quos ab officio appellat cylindros (vel *rouleaux*) æquales; longitudo axium est $1\frac{1}{2}$ pollicis; *c* est centrum circuli libratorii, & axicula hujus circuli, dum oscillatur, circumferentiis quoque rotarum *m1, m2*, motum aliquem vibratorium, valde licet exiguum, imprimit. Axi quoque huic, qui ultra corpus Horologii prominet, affiguntur curvæ æquales & similes *qV1, qV2*; quibus ex altera parte jungitur index *qo*, cum lenticula *n*, ope cochleæ huc illuc movenda, ita, ut lenticula, circulus libratorius, curvæque, perfectum semper æquilibrium teneant. *xyz* vectis est, in extremitate sua gestans globum *Z*, & in medio arcum *tt*, centro *x* descriptum, quod est hypomochlion vectis. *Sts* filum est valde flexile, vel catenula, qualis in Horologiis adhibetur portatilibus, intra duas curvas descendens, & semper tangens unius ex curvis, & arcus *tt*. T alia est lenticula, vecti *xz*, ultra centrum *x* continuato, applicata, & ope cochleæ mobilis. Usus ejus est, ut inserviat vibrationibus determinandis, prout admovetur removeturve a centro *x*; a- TAB. III Fig. 1.

xiculamque *x* circumferentiæ duarum rotarum non dentatarum *rr* apprimat, frictionum minuendarum causa. KBL est semicirculus exterior, cujus uterque quadrans in 90 gradus divisus est. Quando motus Machinæ sistitur, index *qo* erit in B, & filum *sss* horizonti normale, & vectis horizonti parallelus, ut *yyzz*. Vibrationes ab indice monstrabuntur alternative ex utraque puncti B parte; adeoque filum curvas alternative tanget, vectemque *xz* semper elevabit, qui proprio deinceps pondere descendet; & hac ratione perspicitur, quomodo in qualibet vibratione motus circuli libratorii & vectis combinentur, seque secum invicem communicent. Tempora vibrationum pendent a ratione inter pondus vectis, & axis libratorii, quæ cum arbitraria sit, patet, quomodo hæc Machina *Sulliana* ipsa minuta secunda vibrare possit. Notandum est, cum vectis *xz* præcipuas a calore & frigore mutationes subire possit, id regularitati motus haud præjudicare; *xy* enim semper æqualis est *yz*, adeoque potentiæ in *y* & *z* semper æquilibrium idem tenebunt, & sic vectis & libramentum eodem semper modo in se invicem agent. 2) Quando pondus *z* augetur, vibrationes erunt celeriores, quando minuitur, tardiores. E contrario, si circulo libratorio pondus additur, erunt tardiores; si demitur, celeriores. At vero, quando libramento vectique simul adduntur demunturve pondera, & quidem in ratione massarum respectivarum, durationi vibrationum nulla continget mutatio, adeoque in diversis globi terrestris locis semper eadem conservari poterit. Quod ad mutationem ex succussibus oscillationibusque navis attinet, experimenta hanc in rem capta sunt a Viris Clarissimis, *Saurino*, *Cassino*, *Reaumurio*, *Mairano*, qui ad hujus Machinæ examen ab Illustriss. Academia fuerunt constituti; ex quibus illud præcipue notari meretur, quod, dum tota Machina in cista aliqua (quam vocant *berline*,) suspenderetur, quæ super via lapidibus strata, maximis cum succussibus ad duorum usque milliarium Gallicorum distantiam vehebatur, vibrationes vix uno secundo a pendulo observatorii discesserint. Notatur tamen in Historia Academiæ ad hunc Annum, quod, dum Machina in arcus circuli paulo grandiores excur-

curreret, pluribus minutis secundis pendulum observatorii anteverterit. Experimenta autem hæc simul considerata haud exiguam spem faciunt, fore, ut ope hujus Horologii mensura temporis satis exacta mari obtineatur. Adeoque omnino interest, ut experimenta hanc in rem in ipso pelago instituantur. Ceterum lectu omnino dignissima sunt, quæ tam de curva hacce tavtochrona, quam de aliis adhuc isochronismum præstandi modis, deque correctionibus Horologio *Sulliano* adhibendis, in dicto Schediasmate explicata dedit Cel. *Eulerus*. 5) Instrumentum, quod usus & proprietates plurium aliorum in se comprehendit, propositum a *Meano*. Inservit expediendis regulis Arithmeticis quamplurimis, resolvendis problematibus trigonometricis & nauticis, sine calculi ordinarii auxilio: imo & quadrantis horizontalis ac verticalis vicem subire potest. Et his quidem operationibus adhibendum est unum instrumenti latus. Ope vero alterius lateris inveniri potest locus Solis in ecliptica, locus Lunæ, item horæ fluxus & refluxus maris. Ait Cl. Editor, instrumentum hocce aliis adhuc gaudere proprietatibus perquam notabilibus, quas vero silentio præterit, dum ipsemet Inventor peculiari Tractatu eas publicare decreverit. 6) Methodus pro inveniendis longitudinibus, proposita ab Equite *d'Albert*. Consistit in eo, ut per calculum determinetur hora ortus & occasus Solis pro quolibet anni die, & pro qualibet poli altitudine, ut per observationem occasus Solis innotescat, quonam in loco versetur navis. Judicat autem, observationem occasus Solis præstare observatione ortus, quoniam circa occasum minores sunt refractionum irregularitates. Ut vero horæ illius Meridiani, in quo navis solvit, innotescant, Autor proposuit Horologia arenaria, quorum unumquodque per spatium 24 horarum durat, quorumque auxilio metitur tempus, ab uno Solis occasu ad alterum usque elapsum; &, quando hoc intervallum non est exacte 24 horarum, differentiam capit ope alius minoris Horologii arenarii, vel etiam portatilis, quod secunda vibrat. Cum igitur notum sit, quantum temporis spatium Sol sub data latitudine ab uno die ad alterum usque impendere debeat, capienda est diffe-

differentia inter tempus calculo exquisitum, & illud, quod ope Horologii observatum fuit; exinde enim æstimabitur quantitas itineris, a nave ad orientem vel occidentem confecti, ac differentia longitudinum, quæ quærebatur. Refert Cl. Editor, Autorem multis suam methodum experimentis tentasse, quorum successus haud fuerit infelix, ita, ut sperare liceat, eam inveniendis maris longitudinibus quamplurimum conducturam. 7). 8) & 9) Hodometron, inventum a *Meynierio*. Antequam Cl. Editor ad descriptionem novi Hodometri progrediatur, formam & usus Hodometri, quod vulgo adhibetur, exhibet, quo facto, structuram novi exponit, quo ejus præ ordinario prærogativæ eo melius perspiciantur. Cum autem ejus descriptio longior ampliorque sit, quam ut huc transferri queat, ideo de usu ejus præcipua saltem annotabimus. Ope igitur hujus Hodometri mensurari possunt omnia itinera, idque absque molestia, temporisve dispendio; quod sane magno usui erit in distantiis diversorum locorum a se invicem definiendis, viis signandis, &c. In conficiendis itaque topographiis vel mappis specialissimis, in quibus omnes viæ, & quæ sunt alia ejusmodi, signari debent, magno cum successu potest adhiberi. Licet enim per methodos geometricas vel trigonometricas distantiæ locorum satis accurate innotescant, in iis tamen nulla irregularitatis viarum, montium, sinuositatum, &c. habetur ratio: ut adeo de quantitate itineris nil certi per eas statuere liceat. Exhibuit quoque Inventor applicationem aliquam instrumenti sui ad rhedas, currus, variaque carpentorum genera. Potest scilicet in interiore rhedæ parte suspendi, ut oculis semper observetur; nec alia re opus est, quam ut numerus revolutionum rotæ alicujus observetur, qui perinde, ac horæ in horologio, per indicem notatur. Structura quoque sic comparata est, ut nil ei a succussibus quantumvis violentis metuendum sit. Judicavit Academia, operæ omnino pretium esse, ut omnis Autori procuretur opportunitas, quo Hodometron hocce facile construi ac multiplicari queat. 10) Machina, inserviens arboribus majoribus transplantandis, inventa a *Sebastiano*, valde simplex, haud sumtuosa, magnos tamen effectus præstare valens.

lens. Inventa & adhibita jam fuit ante annum 1699; sed ob affinitatem cum aliis ejusdem generis, de quibus mox dicemus, eam hic inferendam esse duxit Cl. Editor. Magnus ejus usus fuit, cum grandiores arbores in hortum Versalensem transferrentur, posteaque multis aliis casibus applicata fuit, & ob ingentes, quos edit, effectus nomine *Diaboli* insignita. 11) & 12) Ejusdem generis Machinæ, excogitatæ a Marchione *de Coetnisan*. Primæ mechanismus omnis is est, ut arbor transplantanda ope ergatæ, quæ currui applicatur, e terra penitus evellatur, postquam circa radicem jam satis terræ effossum fuit. Arbor autem super curru in situ horizontali jacet. Secunda id peculiare habet, quod arbores super curru sint in situ verticali. Exhibita autem Academiæ fuit anno demum 1728. Tantos autem effectus præstat, ut unus vel ad summum duo homines prægrandem aliquam arborem ejus ope elevare possint, una cum terra, quæ circum radicem effoditur. Eadem facilitate arbor transplantanda in foramen, cui inferenda est, demitti potest. Machinæ hujus auxilio ingentem jamjam arborum numerum cum successu transplantavit Inventor; & præcipue animadvertit, quolibet anni tempore id fieri posse. Quo autem utilia hæc circa arborum transplantationem inventa eo magis innotescant, & in aprico ponantur, peculiarem de iis Tractatulum publici juris facere secum constituit. 13) Sipho, vel, si mavis, Antliola, inserviens injectionibus ori faciendis, inventa a *Guyoto*. Viri Celeberrimi, *Winslous* ac *Morandus*, hoc fere de ea judicium tulerunt, facto examine: *Pars hujus Antliæ principalis est tubus vel sipho recurvus, qui fundo oris immittitur post vel supra palatum, eo fine, ut applicari queat canali communicativo, in quem fieri debet injectio. Nunquam antea extitit instrumentum tali injectioni aptum; sed hoc* Guyoti *videtur ingeniosum, & quod ad minimum inservire possit laxando orificio tubæ Eustachianæ, id quod in aliquibus casibus ejus utilitatem comprobabit.* Ab ipso autem Inventore destinatum quoque fuit circulationi sanguinis, systolæ ac diastolæ cordis, &c. demonstrandæ. Inventa Anni 1725 sunt: 1) Machina pro minuendis frictionibus, proposita a *de Mondran*,

dran, quæ nil aliud eſt, niſi certa quædam applicatio cylindrorum volubilium, de quibus ſæpius jam diximus. Eodem vero modo pæne fit, quo in Horologio *Sulliano*, aliisque. Uſus Machinæ præcipue is eſt, ut inſerviat attollendis ponderibus grandioribus. Eſt vero nil aliud, niſi rota radiata, (quam vocant *Lanterne*,) axi infixa, quæ a duobus manubriis circumagitur. Rota radiata aliam impellit dentatam, cujus axi, qui tympani inſtar eſt, funis circumvolvitur, pondus ſurſum trahens. Atque hoc quidem novum haud eſt; aſt videamus, quomodo frictiones evitare ſtudeat Autor. 1) Radii rotæ radiatæ circa axem ſuum convertibiles ſunt, quo efficitur, ut punctum appreſſionis contra dentes rotæ dentatæ continuo mutetur. 2) Axis rotæ dentatæ incumbit circumferentiis duarum rotarum politiſſimis, uti in Horologio *Sulliano*, ſed quarum diameter fere eadem eſt cum diametro rotæ dentatæ, id quod adhuc majorem frictionis imminutionem producit. 3) Centra vel axes rotarum modo dictarum incumbunt aliis circumferentiis minoribus, quod adhuc circa axes ſuos ſunt convertibiles; quæ omnia junctim ſumta frictionum decrementum ſatis magnum efficiunt. In *Miſcellaneis Berolinenſibus ad A. 1710 pag. 294 ſeq.* ſimilis frictiones evitandi methodus proponitur, antliis applicata. 2) Applicatio hujus Machinæ, quam autor in carpentis fecit, ubi quædam adhuc proponuntur ejus correctiones. 3) Machina pro incidendis limis grandioribus, autore *Fardoüel*, Horologiorum fabro, quam ſimplicem, ingenioſam, perutilemque, Academia judicavit. 4) Ejusdem Machina ejusdem generis pro limis minoribus, cujus mechaniſmus præcedenti adhuc videtur ingenioſior, cujusque auxilio limæ quantumvis ſubtiliter dividi poſſunt. 5) Machina Arithmetica *Lepinii*, quæ *Paſcaliana*, aliisque jam notis, eſt ſimplicior, continetque res quamplurimas, tam novas, quam ingenioſas. Placuit Cl. Editori, typum ac deſcriptionem decantatæ Machinæ *Paſcalianæ*, cujus exemplar ab Academia aſſervatur, hic, & quidem *num. 262 & 263*, inſerere, ut eo facilius cum *Lepiniana* comparari, & hujus prærogativæ perſpici queant. Longe vero copioſior eſt ſtructuræ deſcriptio, quam ut in compendium

dium commode contrahi, & hic exhiberi, queat. Notamus solummodo, operandi modum tam in *Pascaliana*, quam in *Lepiniana*, Machina unum fere eundemque esse. 6) *Henrici* Machina, quæ oneribus elevandis inservire debet, & quæ nil aliud est, nisi rota, eum fere in modum dentata, ut sunt rotæ horologiorum libratoriæ, quam continuo impellit pendulum, in sua extremitate unco aliquo vel brachio ferreo instructum, quod dentibus rotæ quadrat; qualibet igitur penduli vibratione dens rotæ unus protrudetur, & retinaculo continebitur, donec vibratio iteretur; funis autem, qui pondus sursum trahere debet, axi rotæ circumvolvetur. Magna huic Machinæ intercedit affinitas cum vecte a *de la Garouste* invento, de quo in *Tomi primi* recensione diximus. Utilis autem in iis præsertim casibus est, ubi dispendii temporis non magna habetur ratio. 7) Peculiaris quidam Globus terrestris, inventus, & executioni feliciter datus, ab *Isaaco Bucknero*, Basileensi, & hoc tempore Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ Mechanico. Prodiit ipsius descriptio completa, lingua Germanica Russicaque, & typis nitidis, sub titulo: *Beschreibung einer Universal-Sonnen-Uhr, verfertiget von Isaac Bruckner, &c. Petropoli, A. 1735, 4.* Autor Illustrissimæ Academiæ Parisiensi exemplar aliquod Globi hujus ostendit, sed nondum plene elaboratum exasciatumve, adeoque ullis vix usibus accommodatum; quod talem nihilo minus approbationem meruit, ut Regii Geographi titulo Autor cohonestatus, ac stipendio donatus fuerit; quod æque ac cetera, Machinam hanc spectantia, ex Tractatulo modo dicto referimus. Postquam vero Petropolin concessisset *Brucknerus*, omnem operam studiumque eo convertit, ut Globus hicce, quam fieri posset, nitidissime & accuratissime elaboraretur. Pro locis exacte in ejus superficie designandis usus est observationibus Astronomicis & Geographicis, per totum Russiæ Imperium, jussu *Petri* Magni summa cum cura institutis. Globum, sic constructum, & magnifice elaboratum, Academia Imperialis dignum judicavit, quem sub anni 1735 auspicium strenæ quasi loco ipsi Imperatrici Gloriosissimæ, *Annæ*, offerret, utpote adhuc Inscriptione Russica in laudem ejus ornatum. Eum hic exhibe-

TAB. III Fig. 2. mus, qualis Imperatrici oblatus fuit, & in dicto Tractatulo describitur. Sphæra cuprea tota est, sed deaurata, una cum circulis, qui ipsam ambiunt. Diameter est 8 pollicum decimalium Rhenanorum; sed augeri pro lubitu potest. Circuli hujus Globi sunt sequentes: A est Meridiani pars septentrionalis in parte Globi postica, quæ quidem circa Globum mobilis haud est, sed tamen huc illucque pro re nata trudi potest. B alius est Meridianus, totum Globum ambiens, & circa eum mobilis. Ei imminet alius paulo latior, C, qui a polis ad distantiam $23\frac{1}{2}$ grad. (qualis est maxima Solis declinatio,) removeri potest. S est lamella foramine minutissimo pertusa in parte Meridiani orientali, per quod radii solares incidere debent, punctumque lucidum formare. Meridianus hic in parte sua occidentali indicem habet, sursum deorsumque mobilem, qui lamellæ alicui, Meridiano inferiori B affixæ, quadrat, cui inscribitur 1) Calendarium, vel dies mensesque totius anni, stilo veteri, apud Russos adhuc recepto; 2) singuli gradus declinationis solaris; 3) duodecim eclipticæ signa. Reliqui circuli circa sphæram mobiles sunt: D est circulus finitor, qui hæmisphærium illuminatum ab obscuro separat, & a loco Solis semper 90 gradibus distat. Ei in distantia 18 graduum parallelus est circulus crepusculorum. Pyxis magnetica, in basi collocata, inservit lineæ Meridiani promte inveniendæ. Usus Globi hujus vel Horologii solaris sunt, invenire horam diei, & quidem pro quibuslibet terræ locis, declinationem Solis, & locum in ecliptica, ortum & occasum pro quolibet loco, tempora crepusculorum, &c. Machinam hic loci inserere non incongruum judicavimus, cum sine dubio unica sui generis in toto orbe hactenus existat. At vero jam ad librum nostrum redeamus. 8) Antlia pro elevandis aquis: quæ vero vix novi aliquid continet, si a constructione manubrii alicujus discesseris, quod percommodum esse videtur, utpote cujus radius modo longior, modo brevior, fieri potest. Reliquum Machinæ jam quoque comparet in Diario Gallorum, *Journal des Savans, A. 1678 Mens. Februar.* 9) Constructio penduli, quod tempus apparens monstrat, per Vicarium Monasterii S. *Cyriaci*. Adhibetur & hic curva æquationis, eodem pæne modo, quem in alio quodam horologio, de quo

quo ad Annum sequentem dicemus, *Thioutus* in subsidium vocavit. Anno 1726 inventa & approbata fuere: 1) Pendulum ejusdem generis, propositum & confectum a *Duchesnio*, quod monstrat tempus tam medium, quam apparens, in horis, minutis primis & secundis. Tempus medium indicatur in circulo fixo: apparens vero in alio mobili & concentrico. In limbo circuli horarii adhuc indicantur signa & gradus Zodiaci, menses ac dies. Autor curva æquationis utitur, ut alii; sed modus, quo curva partes horologii movet, quæ ad tempus apparens pertinent, visus fuit novus ac ingeniosus. Præcipua hujus Penduli commoditas est, quod ope indicis temporis medii, si quando aberraverit, facillime in ordinem redigi, & ad motum Solis componi possit. 2) Aliud hujus generis Pendulum, autore *Kriegseissio*, quod ultra tempus medium & verum adhuc indicat loca Solis & Lunæ, una cum suis phasibus, transitum primi arietis puncti per Meridianum, horas tam medias, quam veras, diversarum urbium, diem mensis, epactas, numerum aureum, cyclum solarem, &c. quæ vix omnia a Calendario exspectare possis. Machinam hanc Academia ingeniosam judicavit, utpote in qua tot & tam diversi motus methodo & combinatione valde simplici obtineantur. Ceterum & hic curva æquationis adhibetur. 3) Mola quædam alata, quæ inservire debet terræ absque jumentorum ope colendæ, proposita a *Lassisio*. Differt a curru velis instructo, quem *Guetus* eidem scopo adhibere conatus fuit. Licet satis ingeniosa Academiæ visa fuerit, supplementis tamen adhuc indiget. Ut taceamus, eam a ventis impetuosioribus subversum iri, ab aliquibus simul hominibus regendam esse, nec facile de loco in locum transferri posse, &c. 4) Machina quædam, inventa a *du Bois*, quæ inservit fluminibus vel canalibus a sordibus purgandis. Licet ingeniosa videatur, nimis tamen composita est, ac frictionum incommodis valde laborat. 5) Ejusdem Malleus (*Mouton*), cuneis ferreis armatus, cujus ope terra labefactari potest, quamque adeo in obsidionibus castellorum, præcipue in accessibus (*approches*), in usum vocare licet. Constructió ejus multum affinitatis habet cum Machina præcedenti. 6) Ejusdem Machina, cujus ope terram labefactatam vel effossam removere, ac in vas aliquod gran-

grande conjicere, licet. Eſt autem magis compoſita, & frictionum incommodis preſſa, quam quæ uſibus commode adhiberi queat. 7) Alia adhuc ejusdem generis Machina, uſibus fortaſſis applicabilior, & ab autore eodem propoſita. 8) & 9) Duæ ejusdem autoris Machinæ, quarum commodus uſus eſt in ſolo fortiter quatiendo & complanando. Simpliciores ſunt, omnibusque præcedunt, adeoque executioni facile dari poſſunt; in excavationibus igitur, conſtruendis munimentorum operibus, inque aliis ejusmodi caſibus, opportune adhibebuntur. 10) Conſtructio Penduli, quod tempus medium & apparens in minutis primis & ſecundis monſtrat, propoſita a Clariſſimo, quem aliquoties jam nominavimus, *Thiouto*. Dena equidem temporis veri ſecunda tantum oſtendit; quem vero defectum abunde compenſat Machinæ ſimplicitas, conſtructionisque actualis facilitas. Curva æquationis, quæ partem horologii principalem conſtituit, tanta cum cura, tamque exacte, deſcripta eſt, ut cum Tabulis æquationum ipſi perfecte ſemper conveniat. Præterea vibrationes Penduli ſingulari quadam ratione

TAB. III Fig. 3. diriguntur, quam hic exhibere libet, quoniam ab Autore in omnibus, quæ conſtruit, Horologiis adhibetur. Libramentum igitur hoc (quod ita appellare liceat,) componitur duobus vectibus, AD & CB, qui, ut ex Figura apparet, ad dentes rotæ libratoriæ pertingunt. Prior cochlea D inſtructus eſt, quæ alteri BC inſiſtit, atque una cum ponduſculo, in C affixo, exactitudini librationum obtinendæ inſervire debet. 11) Additio, huic Machinæ a ſuo autore facta, quæ in eo conſiſtit, ut tempus apparens ipſo quoque campanulæ ſono indicetur, id quod omnino aliquid novi eſt, nec ab ullo antea Horologo præſtitum. Autor vero illud obtinere facile potuit, cum omnes rotæ, quæ tempori vero indicando inſerviunt, unius horæ ſpatio ſemel revolvantur. 12) Peculiaris quidam cochleam adhibendi modus, exhibitus a *Jacobo le Maire*, qui in eo conſiſtit, ut duæ pluresve cochleæ ope rotarum dentatarum ita ſe mutuo impellant, ut, una circumacta, & altera ſenſu contrario circumagatur; hacque ratione pondus ſibi ſemper parallelum in deſcenſu manebit, & vires cochlearum ubivis æqualiter diſtribuentur. Peringenioſa igitur & utilis hæc eſt applicatio, nec tamen nova, quippe a *de Villie*

in

in suo de Munimentis Tractatu *pag. 228 Tab. 37*, & ab aliis quoque, jamjam exhibita. 13) *Augerii* Machina, conterendo cortici querno, (quo utuntur coriarii,) & elevandæ aquæ, aliisve oneribus, idonea. Notatu dignum est, Autorem in usum vocare curvam aliquam, quæ ex evolutione circuli describitur, quam & adhibuit *Fayus* in Machina sua hydraulica, de qua superius pauca diximus. Hac de curva plura scitu digna legas in Historia Acad. Reg. Scient. *ad A. 1717 pag. 91 seq. edit. Batav.* Ejus ope id Machinæ suæ commodum obtinuit *Augerius*, ut vires aquæ, aliorumve ponderum elevationes, sint semper æquales, id quod non levis est momenti; de cetero quoque regularitati motuum, ac facilitati, satis prospexit. 14) Machina, quæ aquam elevat adminiculo ignis & ponderis atmosphæræ, exhibita a *Meyo* & *Meyero*, qui tamen ejus inventores haud sunt; sed eam Paffii, prope Parisios, duntaxat exstruxerunt. Constat, eam Londini quoque esse, & aquas, ex Tamesi flumine elevatas, per urbem distribuere. Ingeniosissima est ac utilissima Machina, sed cujus descriptione ulteriori supersedere possumus, cum eam copiose in suo de Machinis rarioribus Tractatu exhibuerit Cl. *Weidlerus*, quem & suo loco jam recensuimus. 15) & 16) Duæ ejusdem generis Machinæ propositæ a *de Bosfrand*. Prima a præcedente ulla vix ratione differt, nisi in levibus quibusdam circumstantiis, quæ caput rei haud spectant. Contendit autem *Bosfrandus*, se proprio Marte in hanc incidisse, nec ullam antea de Anglicana illa, quæ eadem est cum præcedente, notitiam habuisse. Secundæ vero constructio aliter sese habet; sed aliquibus forsan exceptionibus adhuc obnoxia est. 17) & 18) *Boulognii* Machinæ, inservientes navibus adverso flumine trahendis, quæ cum iis, quæ hactenus inventæ fuerunt, multa habet communia; sed in dirigendis funium directionibus & applicationibus differt, quæ visæ fuerunt novæ & ingeniosæ, atque ita comparatæ, ut ad tympana, ergatas, aliaque hujusmodi Machinamenta, quæ vulgariter in usu sunt, transferri cum successu possint. Licet autem hoc demum anno Academiæ fuerint ostensæ ambæ Machinæ, eas tamen inde ab anno 1702 a se animo conceptas ac dispositas fuisse, Autor commonstravit. Postquam Privilegium Regium iis obtinere contenderat,

 jussa

juſſa fuit Academia, ut experimenta majora cum iis inſtitueret, ut eo tutius de ſucceſſu judicare liceret. Quæ cum agerentur, aliam ejusdem generis Machinam Academiæ oſtendit *Caronus*, quam *Boulogniana* multis adhuc in rebus præcellere aſſeveravit; qua de cauſa accidit, ut in utramque partem experimenta caperentur, quibus tandem conſtitit, *Boulognianas Caronianam*que Machinas eosdem fere effectus præſtare, nec alteram alteri valde præferendam eſſe. Quapropter pontes Pariſienſes conceſſi ſunt *Boulognio*, prope quos Machinas ſuas extrueret, id quod ad pontem novum præcipue fecit; & *Caronio* aquæ Marlienſes, ubi magna cum commoditate ſuas adhibuit. 19) Machina *Caroni*, de qua modo diximus. 20) Nova Muſices methodus, inventa & propoſita a *Demauſſio*, cujus præcipua commoditas ex ſcopo Autoris hæc eſſe debet, ut ſit, quam fieri poteſt, compendioſiſſima. Refert Cl. Editor, Autorem integrum Breviarium Romanum notis nova hac ratione expreſſum in lucem emiſiſſe, nec non methodum Muſices completam, juxta hoc ſyſtema concinnatam, ad quam adeo Lector ablegandus eſt. 21) Syſtema plurium Machinarum, invicem conjunctarum, inventum & conſtructum a *Leſpinierio*. In Hiſtoria Academiæ ad hunc Annum refertur, Autorem viginti omnino Machinas jungendi modum excogitaſſe; cum vero de ſucceſſu talis conſtructionis in praxi fere deſperandum ſit, ſatius eſſe, poſtea judicavit, ſi aliquarum ſaltem effectus in una eademque combinarentur. Conſtruxit itaque Machinam, ex aliis quinque compoſitam, ſcilicet 1) ex mola fullonaria, 2) Machina pro ſulphure conterendo, 3) pro ligno ſerra ſecando, 4) mola pro pulvere pyrio, 5) Machina pro navibus adverſo torrente trahendis. Unius arboris & manubrii adminiculo integrum hocce ſyſtema moveri poteſt. 22) Praxis Pythometriæ, propoſita a *de Gamaches*, qui integrum de ea Tractatum publici juris fecit, qui continet Tabulas & theoriæ ſuæ demonſtrationes, ac Pariſiis apud *Claudium Jombertum* prodiit; quo Lectorem remittimus. Et ſic quidem breviſſimum *Tomi* hujus *quarti* conſpectum exhibuimus. Cum autem duo adhuc reſtent nobis recenſendi, eos, ne limites inſtituti noſtri hic tranſiliamus, in *Menſes* proxime ſecuturos differre neceſſum habemus.

VIRI

VIRI ILLUSTRIS, GODOFREDI GUILIELMI LEIBNITII, Epistolæ ad diversos. Volumen II, quo res Mathematicæ & Philosophicæ, præcipue Philosophia Sinica, data opera pertractantur. E MStis Autoris edidit, & Dissertationem Præfationis loco præmisit, CHRISTIAN. KORTHOLTUS, M. A. Ordinis Philosophici in Academia Lipsiensi Assessor, & Collegii minoris Principum Collegiatus.

Lipsiæ, sumtu Bernh. Christoph. Breitkopffii, 1735, 8.
Alph. 1 plag. 11.

Orbem eruditum novo labore ac ornamento sibi devincit Plur. Rev. Editor, nunc Regis Daniæ in Aula Viennensi Legato a Concionibus sacris, dum *Leibnitii*, Viri super æthera noti, fœtus literarios Epistolasque in lucem producit. *Volumen* hoc *secundum*, *tertii* nuntius, Illustrissimo atque Excellentissimo *Bernardo* L. B. *a Zech*, Heroi in toga vere magno, fuit inscriptum ac dedicatum. Si *Leibnitius* tersa castaque Editoris usus fuisset latinitate, exoptari nil posset amplius. Eam adhibet Plur. Rev. *Kortholtus* ubique verborum venustatem, eam ordinis lucem, eum orationis decursum, in Dissertatione proœmiali, ut vel uno hoc nomine *Leibnitianæ* Musæ elegantissimum hunc præconem gratulemur. Proœmialis illa Commentatio lectori porrigit filum Ariadneum, quo adjutus, *Leibnitiana* promtius intelligere possit. Insunt ei nonnulla, quæ *Leibnitianæ* brevitati superaddunt illustrationem & nova argumenta. Agendæ sunt gratiæ, ac habendæ, magnis Viris, qui e penu sua *Leibnitiana* commercia epistolica cum Autore communicarunt. Hosce inter effulgent summa nomina *Joannis Ludovici de Holstein* ac aliorum. *Rœmeri*, cujus hic afferuntur literæ nonnullæ, vitam haud ita pridem dedit Professor Mathematum Hafniensis, *Petrus Horrebowius*, Societatis Scientiarum Parisiensis Sodalis. Pag. 12.
Lis Calendaria, sub initium hujus Seculi exorta, multis literis *Leibnitii* occasionem suppeditavit. Hinc tum de parallaxi Lunæ, tum de *Tychonis* & *Picardi* Observationibus Astronomicis cum Barone Illustri ac Astronomo, *Krosekio*, fuit a *Leibnitio* actum. Habes hic *Leibnitii* Disputationem *de Complexionibus*,

nibus, quam A. 1666 Lipsiæ e cathedra Academica publice defendit pro obtinendo Philosophorum ordine amplissimo, specimen
Pag. 48 seq. cimen præcocis ingenii. E Corollariis & ipsa Disputatione patet, Laconismum & principia philosophica fere eadem semper summo *Leibnitio* arrisisse. Propugnat inibi principium rationis sufficientis pro theorematibus contingentibus. Quod qui debellant, quid aliud agunt, quam ut mundum contingenter talem citra autorem absolute necessarium admitti posse statuant? *Leibnitii* porro hic habentur *Meditationes*, quas ipse *Nizolii*
64 seq. Commentariis *de stilo philosophico* præmisit. Ipsæ haud uno nomine legi dignæ sunt. Varia enim ibi elucent & literaria & philosophica momenta. Nonnunquam *Nizolii* hic evelluntur nævi. *Leibnitii* Epistolæ duæ, una ad Ven. *Molanum*, Abbatem,
145 seq. contra *Puffendorfium*, altera ad Ven. *Jo. Franc. Buddeum*, de origine mali, conscriptæ, odia, quibus carebant, traxerunt. Tres sequuntur scriptiones Gallicæ, quæ ad Philosophiam ac reli-
165 seq. gionem Sinensium pertinent, & a *Leibnitio* notulis sunt perspersæ. Primum librum *de rebus religionem Sinarum spectantibus* contexuit *P. Nicolaus Longobardi:* alterum *P. Antonius de S. Maria.* Uterque primo apparuit scriptus sermone Hispanico. A. 1701 Galli eos in linguam suam transtulerunt. Tertiam addidit Cl. Editor de rebus Sinensibus disceptationem in
20 seq. Dissertatione procemiali, erudite commentans de classicis Sinarum libris, & solide ostendens, veterrimis Sinæ Philosophis, uti *Leibnitius* affirmaverat, de Deo, spiritibus, & de anima-
35 seq. rum immortalitate, rectam sedisse sententiam. Quem in finem verba & testimonia ipsa ex classicis Sinarum libris afferuntur. Quid plura? Epistolæ & Dissertatio procemialis Lectorum oculis animisque ita sunt dignæ, ut *Leibnitio* & *Kortholto*, Viris laudandis semper, injuriam videremur inferre, nisi Lectores ad *Volumen* hoc *secundum* dimitteremus & incitaremus. Faxit summus rerum arbiter, ut vires porro Plur. Rev. Editori abunde suppetant, ac *Volumen Epistolarum tertium* propediem manibus nostris offeratur. Nolint vero Lectores singulas *Leibnitii* sententias Editori simul attribuere, id quidem eos peramanter rogamus.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji Anno MDCCXXXVII.

Nürnbergische Friedens-Executions-Handlungen und Geschichte, &c.

h. e.

ACTA EXECUTIONIS PACIS PUBLICA, in ordinem historicum redacta, adjectis Documentis publicis, a JO. GOTHOFREDO DE MEIERN.

Tomus I.

Hannoveræ & Tubingæ, apud Jo. Ge. Cottam, 1736, fol. Alph. 11 plag. 5.

Non contentus Autor Illustris ac Generosissimus descripsisse in *sex Voluminibus*, jam a nobis recensitis, *Acta pacificationis Westphalicæ*, (quod immortale Opus nuper publico trium plagularum, eoque eruditissimo, elogio ornavit *Erhardus Reuschius*, Professor Juliæ clarissimus,) nunc & *Acta executionis Pacis hujus* exhibet, & quidem duobus in *Voluminibus*: quorum *prius* nostris nunc versamus manibus. Inierant scilicet pacem partes belligerantes, sed negotium pacificationis non statim finierant. Leges pacis erant sancitæ, sed, quod iis præscriptum erat, exequi plures cessabant: imo metum alteris incutiebant, ne dictum a facto futurum sit diversissimum. Novæ hinc curæ, novæ lites, ac propemodum novæ lachrymæ. Erant, qui publicis scriptis docere audebant, injustam, adeoque

 mini-

minime servandam, esse promissionem bonorum ecclesiasticorum Protestantibus factam; simul contendentes, non obligari eos ad præstandum, qui metu adacti fuerint ad comprobandas pacis conditiones. Imo ob oculos erat cum Nuntii Apostolici *contra Pacem Monasteriensem Protestatio*, tum ipsius Pontificis, *Innocentii X, Declaratio nullitatis Articulorum nuperæ Pacis Germanicæ, personis & juribus ecclesiasticis præjudicialium*: quos duos libellos *Jægerus* exhibet in *Historia* sua *hujus Seculi Lib. VIII Cap.* 2. Verentes igitur Sueci, ne ideo urgeatur discessus exercitus sui e Germania, ut metu omni soluti nonnulli impune possent pacem violare, sancte confirmabant, se minime recessuros ante e Germaniæ finibus, quam suum cuique redditum fuisset secundum pacta & conventa pacificatoria. Hinc Noriberga eligebatur, qua in urbe agitarentur consilia executoria non solum a Plenipotentiariis Cæsareis & Suecis, sed pluribus etiam Germaniæ Principum & Civitatum Legatis. Hic octo Deputati e Legatis his eligebantur, quibus curæ esset cordique, ut suum cuique bona fide restitueretur, ac simul ut Suecis persolveretur promissa pecunia quinque millionum. Verum hoc quoque Deputatorum collegium multis obnoxium fuit querelis partim Suecorum, partim Protestantium: quibus tamen tandem paratum fuit remedium. Hæc omnia sigillatim & partitim debito ordine exponuntur in *Meieriano* hoc Opere, cujus fontes paucis nunc indicandi a nobis sunt. Pauca quidem scripta de hoc negotio adhuc edita fuerunt in lucem, eaque partim imperfectissima, partim ne digna quidem Politicorum oculis. Recenset ea singula Illustris Autor in Præfatione, & quidem censorie. Ceterum, cum in *Novellis Parisiensibus* illius temporis potissima hujus historiæ capita sint producta, dignam duxit Noster illam istarum *Novellarum* partem, quam hic totam recudi curaret. Præstantiora autem multo sunt illa monumenta, quibus potiri Nostro contigit singulari fortunæ indulgentia. Nam & ex Principis Schwartzburgici, cujus sedes est Rudolphopolis, tabulario, & a primario quodam Norimbergensis civitatis Viro, multa hujus argumenti accepit: prætereaque *Carpzoviano Diario Actorum*

Actorum executionis usus est, ac denique *Erskeinii*, Consiliarii Suecici bellici, Commentarios, fervente hoc negotio conscriptos, pecunia sibi comparandi nactus est occasionem plane singularem inusitatæque felicitatis. Nec vero hæc singula Noster nuda exhibet orbi & cruda, sed inde perfectam rerum tum gestarum contexuit historiam, scriptis publicis suo loco intertextis. Antea vero, quam ipsum corpus historiæ hujus nostro sistit conspectui, præmittit, præter *Novellas*, quas diximus, Gallicas, Indicem Legatorum illorum, qui concilio huic executorio interfuerunt, de nonnullorum vita afferens potiora; ac Protocollum *Erskeinianum* Actorum executionis.

Jam *primo* in *Libro* relatum legimus, postquam Noribergæ advenissent mense Aprili Legatus Cæsareus, Comes *Piccolomineus*, & Generalissimus Sueciæ, *Carolus Gustavus*, Princeps Palatinus, (quem aliquot annos post Regem Suecorum factum esse, constat,) tum d. 27 Aprilis primum habitum fuisse congressum executorium. In hoc cum Gallicus Legatus diceret, nihil sibi a Rege suo traditum esse præter *Instrumentum Pacis*, se igitur nihil aliud agere, quam ut re vera præstetur id, de quo inter partes conventum fuerit in illo *Instrumento*; respondebat Cæsareus, sibi a suo Domino mandatum esse, ut exauctorationem militum & evacuationem oppidorum urgeat: cetera jam esse transacta in *Instrumento Pacis*, ac fore, ut omnia, quæ nondum receperint sui Domini, restituantur. Quo responso non contenti Sueci, Cæsareis exhibebant longum locorum, Dominis suis nondum restitutorum, catalogum: cum eodem tempore Galli urbis Francothalii ab Hispanis occupatæ urgerent evacuationem. Legati quoque Principum ac Civitatum Germaniæ a Moguntino Legato postulabant, ut ipsos convocaret, de publica re deliberaturos. Quod cum is recusaret facere, identidem admonitus, graviter reprehensus est a Legato Brandeburgico. Succedebant Imperatoris responsa ad Suecos & Gallos, quibus id faciendum esse contendebat, ut mutuo liberentur oppida a militibus præsidiariis, utque milites ab utraque parte exauctorentur: addens, operam se daturum, ut suum cuique Germaniæ sive Principi sive Civitati restitua-

§. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

§. 14. stituatur. Sueci contra (qui suis in literis Regem quondam suum, *Gustavum Adolphum*, appellant *pag. 17 & 23 Gustavum Magnum,*) volebant præcedere finem omnium gravaminum restitutionemque locorum, tanquam scopum hujus pacificationis primarium: haud obscure accusantes Cæsarem, quod executionem eorum, de quibus in *Instrumento Pacis* conventum erat, tam diu protraheret: eidemque objicientes, quod nondum restituta sit urbs Francothalium, id quod tamen se præstiturum esse pollicitus sit: ut reliqua non minus gravia prætereamus silentio, maxime indignationes & comminationes illas Generalissimi Sueci, quas *§. 16 & 19* exhibet. Ap-
21. paret tamen e declaratione Imperatoris, retineri Francothalium ab Hispanis ipso invitissimo, seque paratum esse, Electori Palatino quamcunque suarum urbium tam diu tradere, donec ei reddatur ab Hispano Francothalium: qua de urbe quæ
27. præterea disceptata fuerunt, commemorantur *§. 24 & 25*. Postea octo constituebantur Deputati, duo Legati Electorales, quatuor Principales, ac duo Civitatum, qui lites de restituendis ex capite amnestiæ & gravaminum (liceat nobis hic uti stilo politico,) definirent. Quæ ad hos Deputatos delatæ fuerint querelæ a diversis Germaniæ Principibus Civitatibusque, in sequentibus §§. exponitur, quidque præterea fuerit actum in ex-
39. ecutionis negotio. Inter hæc occurrit Epistola Legati Hispanici invectiva ad Imperatorem, Electores, Principes, & ceteros Romani Imperii ordines, ob ruptam, ut ait, ab Imperio Romano Fœderis Burgundici fidem. Mire quidem is paratragœdiat, quod Westphalica pacificatione non fuerit comprehensus Rex suus. Nec veremur, ne ingratum sit futurum Lectoribus nostris, epilogum pariter ac prologum illius Philippicæ hic legere: *Imperator, Electores, Principes, ceterique Imperii Romani ordines! Philippi IV, Austriaci, Hispaniarum Regis, — — justam indignationis causam si in hoc — congressu pro rei merito exprimam, vereor, ne oratione mea vestrum nimis excitem pudorem: pro ratione tamen mei debiti rem, quam modestissime & brevissime potero, expediam. Neminem autem esse reor, qui nesciat, circulum Burgundicum in*

hunc

hunc usque diem validum Imperii Romani fuisse membrum, donec pace vestra cum Gallis tanquam putridum, & cœno nescio quo infectum, tantum non præciditur: quippe quod tam diu removetur, dum inter Hispaniæ Galliaque coronas pax iciatur, hoc est, quam diu purpurato Gallorum Numini ita videbitur. Quæro, qua lege, quibus moribus, qua verecundia, Regem amicum, belli socium, — — externi hostis nutui subjicere non dubitastis? *Sed ecce! non desunt, qui probrum vestrum necessitate palliolo loco obvolvere conentur. Quæ vero tam angusta vos pressit necessitas, ut tam augustam distrahere cogeremini necessitudinem? — — — Qua, quæso, justitia, qua constantia, quo denique honestatis officio, mutuum mutui auxilii vinculum emta turpiter pace soli dissolvere potuistis? — Ego Regis Hispaniarum, Domine mei, nomine ad commune universi orbis judicium & ad posteros vestros, imo ad vosmet ipsos, forte aliquando externarum vulpium artes aquilæ pennarum & sanguinis mercede edoctos, sanioris consilii futuros, de rupta fœderis Burgundici fide publice provoco & protestor.* Quis in hac Epistola quidquam desideret, nisi forte *Ciceronianum* illud, quod quidem omitti minime debebat: *O tempora! O mores!* Illud tamen nos vereri non dissimulamus, ne futuri sint, qui hanc Epistolam habeant pro suppositilia. Ingressi *Librum secundum*, docemur, venisse nunc Noribergam alterum Imperatoris Plenipotentiarium, *Isaacum Volmarum*, virum ob res in pacificatione Westphalica gestas Imperatori carissimum: sed a Generalissimo Sueciæ non fuisse concessum, ut is sustineret personam Plenipotentiarii, causato, in *Instrumento Pacis* negotium executionis permissum esse soli supremis utriusque partis ducibus bellicis. Remansit nihilo minus *Volmarus*, &, licet succus in sua sententia persisteret, non fuit otiosus sectator, sed tam strenue egit personam ministri Cæsarei, ut re vera princeps esset sui Domini Legatus, ejusque judicium sequeretur *Piccolomineus*, Legatique Cæsaris ceteri. Hoc igitur in *Libro* continuatio describitur rerum in causa executionis Noribergæ gestarum. Nobis non licet persequi singula, sed tantum eminentiora. Hic igitur

§. 2.

Pag. 32

17 seq.

igitur cognoſcimus, quantas turbas excitarit libellus quidam *Interim*, (qui exhibetur *pag. 253 – 258* & *pag. 317 – 323,*) a Suecis propoſitus. Ei enim cum ſubſcribere recuſarent Legati Cæſaris, vehementer exarſit Generaliſſimus Sueciæ, multaque comminatus eſt. Poſtea Legatos Principum & Civitatum adhortabantur Sueci, ut ipſi ſubſcriberent: quo facto Cæſareos quoque Legatos ſubſcripturos eſſe ſperabant. Ac Legati Principum Civitatumque, novis Suecorum minis territi, non ſolum adducebant Cæſareos, ut per literas a Domino ſuo quærerent, an ſibi ſit ſubſcribendum; ſed etiam ſubſcribebant ipſi, ac rogabant eos etiam atque etiam, ut in tanto periculo ante nuntii ſui reditum ſubſcriberent ſpe rati, atque ex præſumta voluntate Imperatoris. His vero id facere haud ſuſtinentibus, tandem poſt moram juſto longiorem reverſus Vienna nuntius referebat, Cæſarem eſſe ea de re deliberaturum. Non ita multo poſt alter nuntius redibat cum hoc reſponſo, Cæſarem ſubſcribere nolle. Tum vero Legati Principum, veriti, ne novum bellum paci vix initæ ſuccedat, novis precibus fatigabant Imperatoris Legatos, ut ſubſcriberent, addita promiſſione, ſe eſſe ipſos Imperatori excuſaturos. Quod cum necdum facerent illi, Principum Civitatumque Legati per literas orabant Cæſarem, ut in tanto Germaniæ periculo ſubſcribere ne gravaretur: ipſi quoque Imperatoris Legati novas eo nomine mittebant ad Dominum ſuum literas. Quo facto tandem Cæſar ſubſcribere juſſit Legatos ſuos, atque ita Suecis ſatisfecit. *Tertio* in *Libro* narratur, poſt multas difficultates multosque labores Deputatos Imperii cum Gallicis Legatis pactum iniiſſe, & ſubſcribendo firmaſſe, de munimento Ehrenbreitenſteinio Galliæ Regi aſſignando propter Francothalium adhuc ab Hiſpano retentum. Tum exponitur de pignore Electori Palatino dando pro eadem urbe Francothalio, quippe ad Palatinatum pertinenti. Longæ & hic ambages, alio ſpectantibus Suecis, alio Gallis. Quare, cum Deputati Gallos hortarentur, ut exem-
Pag. 397. plum Suecorum ſequentes dimitterent curam Francothalii, hi his ipſis verbis reſpondebant: *Quod hac in re Sueci fecerunt pro prudentia ſua, id nos faceremus pro ſtultitia noſtra.* Subſequenti

sequenti in *Libro* refertur, quid actum sit de restitutione, hoc est, facta partim, partim facienda, suorum cuique locorum redditione. Inprimis §. 18 pag. 496 – 538 exhibentur disceptationes de jurium urbis Egræ restitutione. *Libri quinti* initio *Volmarum* deprehendimus tam durum, ut minetur, Cæsareos Legatos discessuros esse. Postea tamen redditur tractabilior. Hic præterea plures offendimus *Tabulas restituendorum*, multa item monumenta ideo producta, ut appareret, justissimum esse, civitatem Egræ sua jura pristinaque religionis libertatem recuperare. Ex *Libro sexto*, qui & ipse Tabulas restituendorum plures exhibet, illam commemoramus gravissimi momenti disputationem de restituendo religionis Lutheranæ exercitio in Palatinatu superiori, ditioni Electoris Bavariæ nunc subjecto. Elector hic scilicet credi vult, specialiter conventum fuisse Osnabrugæ, ut nulla fiat posthac de religione Lutherana illic restituenda mentio: at Sueci contendunt, falso id tradi, nec certo ullo testimonio probari posse. Denique ex tota hujus *Tomi* lectione apparet, tarditatem negotii hujus executorii inde potissimum ortam esse, quod Sueci persuasissimum haberent, si e Germania excederent ante plenam executionem eorum, quæ fuerant in *Instrumento Pacis* promissa, Imperatorem ea minime præstiturum esse, adeoque nec in civilibus, nec in religione, satisfactum iri Protestantibus. Cognoscimus etiam facile, inde auctum fuisse eum metum, quod Legato uteretur Imperator *Volmaro*. Hunc enim Sueci oderant, & insidiosæ moræ præcipuum autorem habebant. Hactenus igitur exhibuit Generosissimus Autor acta anni 1649: quæ subsecuto anno sunt gesta, *Tomus alter* exhibebit, quem & ipsum brevi sumus recensituri. Illud ad ultimum docemus Lectores nostros, non minorem esse hujus Operis splendorem externum, quam *Actorum Pacis Westphalicæ*, & hic suaviter conspici non solum imaginem æneam peringeniosam ac perelegantem toti *Tomo* præfixam, sed etiam imaginem *Caroli VI*, Imperatoris, cui hoc Opus dedicatum, & inscriptione concinna, & ornamentis plurimis, decoratam; imaginem item Curiæ Noribergensis, in qua habita sunt

Pag. 857 – 887.

con-

consilia illa executoria; tum nummos aliquot, facta Pacis executione cusos; denique ipsius Autoris imaginem, tam bene expressam, ut confirmare possimus, melius & veritati convenientius eam exprimi non posse.

HISTOIRE DU CONCILE DE TRENTE, &c.

h. e.

HISTORIA CONCILII TRIDENTINI, scripta Italico sermone a Fratre PAULO SARPIO, *Ordinis Servitarum, ac denuo translata in Gallicum, cum Notis criticis, historicis, & theologicis, opera ac studio* PETRI FRANCISCI LE COURAYER, *Doctoris Theologiæ in Academia Oxoniensi, Canonici regularis, & senioris Bibliothecarii Abbatiæ S. Genevevæ, quæ est Parisiis.*

Tomi II.

Amstelodami, sumtibus J. Wetsteinii & G. Smith, 1736, 4. Alph. 8 plag. 19½, cum Fig. æn. 2.

Magni præstantissimique Viri Historiam Gallice ab integro interpretatus fuit Vir magnus, ac mensuram eruditissimi Theologi implens, merito inscriptam ac dicatam ab ipso & maximæ & ad omnem ætatem commemorabili *Guilielminæ Carolinæ*, Augustissimæ Britannorum Reginæ, quæ Autori hoc Opus perficiendum injunxerat. In Dedicationis formula Autor Ven. indolem propagandæ ac stabiliendæ veritatis divinæ eleganter solideque delineavit, tantum rationi & caritati æquitatique Christianæ concedens, ut acerbitati vel odio in dissentientes raro exemplo nihil indulserit. Opus ipsum in *duos Tomos* distributum fuit, quorum *prior* priores *Libros IV*, *posterior* posteriores totidem, complectitur. Præmittuntur Reginæ & *Pauli Sarpii* effigies, artem pictorum ac chalcographorum spirantes. Præfatio Autoris justam præbet introductionem & criticam isagogen in Opus universum. Excipit

cipit eam vita *Sarpii*, in compendium ab eodem missa, maximam partem ex P. *Fulgentio* collecta, ac in justam methodum digesta. Notæ sunt prorsus exquisitæ, solidæ, a partium studio vacuæ, quod adeo Interpres novus procul habuit, ut facile prævideamus, Librum hunc, tanta pulchritudine ornatum, orbi universo Christiano probatum iri. Inprimis lucernam olet Index, Operi subjectus, isque dignus labore, & pro merito copiosus. Vita *Sarpii* haud adeo est incomperta, quare ex ea propemodum nihil delibabimus. Interpretatio ipsa non eget vel hederis, vel commendatitiis, quippe clara, perlucida, elegans, ac suo eminens nitore. Ad Præfationem idcirco & Notas est digrediendum, ut ex utraque penu delicias Lectori apponamus, & exspectationi respondentes, & utilitate sua sese commendantes. *Paulus Sarpius* ingenue Historiam suam scripserat, quod ipsum in causa fuisse videtur, cur in fronte ejus dissimularet nomen suum. Ne quidem *Fulgentius*, intimus ejus affectator & amicus, in *vita*, quam scripsit, *Sarpii* arcanum illud recludere sustinuit. Initio itaque incerti hærebant multi, quisnam Historiæ ejus fuerit Autor. Alii tribuebant eam Archiepiscopo Spalatrensi: alii *Fulgentio*: alii, *Sarpium* esse Autorem, feliciter suspicabantur; ipse enim id arcani A. 1622 Venetiis detexit, ac credidit Principi *Condio*. Addimus, nomen *Pauli Sarpii* per anagramma latere in ficti Autoris nomine, quod *Sarpius* Historiæ suæ præfixerat. Nam *Paolo Sarpio Veneto* per anagramma convenit cum *Pietro Soave Polano*. Cum *Sarpius* A. 1623 d. 14 Jan. diem obiisset supremum, amici ipsius, Autoris nomen silentio amplius tegere, duxerunt supervacuum. Ipse jam A. 1608 telam hujus Historiæ texere erat aggressus, ideoque actis Concilii, quæcunque conquirere potuit, colligendis operam insumsit. *Marcus Antonius de Dominis*, amicus *Sarpii*, jam A. 1619 MStam *Sarpii* Historiam Londini typis publicis evulgavit. *Sarpius* ipse per *Wottonum*, *Jacobi I* ad Venetos Legatum, ad Regem Angliarum illum transmiserat Volumen manu sua exaratum, verens fortasse, ne illud ab excessu suo supprimeretur. Editionem ipse vivus suasisse non videtur. *Marcus Antonius de Dominis* addiderat ei

titulum & Epistolam ad Regem *Jacobum* dedicatoriam, universis & singulis ob acumen fervidius displicentem. Utraque additio fuit denuo demta in translatione Latina, paulo post inter Anglos adornata, nec non Genevensi A. 1629, 1656, & 1660. Scripsit *Sarpius* citra bilem partiumque studium, sincere, mansuete, & pragmatice; quare Historia ejus perplacuit Pontificiis, quibus est mens moderata, & Protestantibus. Romani eam fastidiebant, quorum artes & abusus dilucide in illa erant expositi. Stilus *Sarpii* Italicus non est nitidissimus, sed is, quo tum Veneti utebantur. Narratio ipsa est facilis, connexa, & pragmatica, exemplar & speculum, in quod gens Historicorum intueatur necesse est. Arridet studium veritatis, compositionis, ac judiciorum salubrium, quibus eventa prosequitur. Ut ea, quæ ad factorum veritatem attinent, exquireret, nihil ipse fecit reliqui. Amicissimus erat *Camillo Olivæ*, qui a secretis purpurati Patris *Mantuani*, unius ex Concilii primoribus, fuerat. In manibus habebat ephemerides *Cheregati*, qui *Adriani VI* Nuntius exstiterat Apostolicus, acta legationis *Contarinii* Ratisbonensia, partem literarum Cardinalis *del Monte*, primi sub *Paulo III* Concilii præsidis, nec non *Visconti*, cui *Pius IV* Tridentina in mandatis dederat negotia, commentarios Cardinalis *da Mula*, relationes Legatorum, Venetiis ad Concilium missorum, ac Legatorum Galliæ, plerasque, ne quid moneamus de commentariis aliorum. De cetero consuluit Historicos fide dignissimos, *Sleidanum*, *Guicciardinum*, *Adrianum*, *Paulum Jovium*, *Bocarium*, *Popelinierium*, *Thuanum*, aliosque. Non dissimulamus errata *Sarpii* leviora, quippe qui nec Concilio interfuerat, nec literas secretiores ac anecdotas obtinere valuit, licet permulta arcana feliciter attigerit divinando. Interpres errata fideliter indicavit, ac veriora eis substituit in Notis, quas contextui subjecit. Veritatem a superstitione *Sarpius* distinxit, autoritatem superiorum legitimam sancte habuit, abusus nauseavit. Adhibet ubique libertatem sine licentia, religionem sine fuco, ingenuum pectus citra inpudentiam, modestiam sine affectatione, severitatem sine ruditate, accurationem sine superstitione, scientiæ amplitudinem sine ostentatione.

ne. Censores in eum insurrexerunt quidem nonnulli, sed quorum censuris fulgor *Sarpii* magis enituit, tantum abest, ut eis potuerit obfuscari. Primus eorum erat *Philippus Quorli*, qui priores duos suæ Censuræ Libros edidit Venetiis A. 1655, duosque posteriores reliquit ineditos, qui cum prioribus simul prodierunt in lucem Panormi A. 1661, sub titulo: *Historia Concilii Tridentini Pet. Suavis Polani ex Autorismet assertionibus confutata.* In quo Opere Autor nec ex actis Concilii, nec ex Historicis coævis, attulit quidquam, quod *Paulo* opponeret. Conquisivit potius ex *Paulo* ea, quæ ipsi videbantur fronte inter sese adversa pugnare. Conatus erat irritus, & Autoris liber vix in ullius notitiam pervenit. Eodem fere tempore exibat in vulgus aliud Opus Theologi Messinensis, cui nomen *Scipionis Henrici*, sub titulo: *Censura theologica & historica*, in cujus parte priori exhibentur ea, quæ in *Paulo* videntur ipsi bona, vera, & probabilia; in posteriori recensentur ac refutantur maligna, falsa, & damnanda. Ipse non duntaxat *Pauli* Historiam sub censuram vocat, sed ipsius quoque *Pallavicini*, ac suam ipsius, assumto nomine commentitio *Aquilini*. Ita tamen judicio suo defungebatur, ut *Sarpio* ubique palmam concederet. Romani hosce insultus reputabant ipsi pro levioribus. Circumspiciebant itaque defensorem terribiliorem. Mandatum Pontifex eo nomine dedit Jesuitæ *Alciato*, eique recludi jussit tabularia quæcunque. Terebat *Alciatus* bonas horas colligendo apparatu, ac inter hæc, ni veritati cessit, cessit ad minimum fato, & e vita discessit. Lampas tradebatur porro *Pallavicino*, æque Jesuitæ, ac posthæc Cardinali, qui, subsidiis undique præmunitus, sese ad tantum opus accingebat. Sed quo tandem successu? Notabat in Opere *Sarpii* nævos leviores, alia minus accurate exposita, alia in nominibus ac diebus notandis errata, alia in momentis circumstantibus peccata, quibus tamen nexus haud adeo erat magnus cum scopo primario, alia per conjecturas minus felices festinata. De cetero *Sarpii* inter & *Pallavicini* Historias tanta est conformitas, ut *Aquilinus*, de quo

dicimus modo, *Pallavicinum* vocet *Sarpii amplificatorem & interpretem.* Multa vitio vertit *Pallavicinus Sarpio*, quæ nævis & cenfuris funt liberanda. Fidem oculatam fecit in Notis Ven. Interpres novus. Facta, momentum trahentia, utrinque funt eadem; quæ difcrepant, ea ad fcopum & facta primaria haud fpectant. *Pallavicinus* multa, fatemur, fupplevit. Caftitatem ftili majorem adhibuit, Rhetoremque magis egit, quam Hiftoricum. Expofitionibus utitur ac recenfionibus, quibus nomen digreffionum merito impofueris. Adulatur ex profeffo Pontificibus, ut non vereatur notanda laudare, ac abufus admirari, tanquam religionis partes. Proteftantes pro fungis habet, ecclefiam fuam pro cœlitum grege, partis fuæ adeo ftudiofus, ut vix fidem in aliis inveniret, nifi *Sarpii* & alia Opera fupereffent. Caret vera notione, quam de ecclefia, de fimplicitate fidei, virtute, pietate, & difciplina externa, fovere oportet. *Sarpius* eft Concilii Hiftoricus; *Pallavicinus* vero Panegyrifta, qui ex ineditis ac privatis chartis fua congeffit, de quarum fide nondum conftat, quemadmodum jam olim judicavit Cel. *Salo* in Ephemeridibus feu *Journ. des Sçavans ad A. 1665*, ejusque *Martium.* Et quanta *Pallavicinus* omifit intacta? Quanta diffimulavit? Quidni communicavit nobifcum mandata fecretiora, Tridentum Roma ac Tridento Romam ultro citroque miffa? Ac, cum ipfe omnia Concilii ac Paparum facta voluit laudare, credimus, ea effe vera, quæ *Sarpius* in contrarium ex Actis & ingenua dexteritate produxit. Non moramur Anonymum, qui A. 1719 Parifiis edidit in 4 libellum: *Critique de l'Hiftoire du Concile de Trente de Fra-Paolo.* Ipfe enim non refellit facta, a *Sarpio* expofita. Id modo agit invita Minerva, ut oftendat, *Sarpio* defuiffe virtutes, in Hiftorico requiri folitas, videlicet fapientiam, moderationem, judicium, ac facultatem fcribendi. *Diodati* primam dedit *Sarpii* interpretationem Gallicam, fecundam *Amelot de la Houffaie*, quibus tertiam adjungit Ven. Autor. Primus Gallica non fatis calluit: fecundus a nævis haud eft liber, ac in locis difficilioribus translationem Latinam in fubfidium adhibuit. Ven. *le Courayer* emendat *Sarpium* ex Actis, quæ attulerunt *Pallavici-*

vicinus, *Raynaldus*, ac alii. Contextum luculenter interpretatur, nec primo ſcriptori quidquam demit aut addit. Emendationes in Notas conjecit. Sæpius rurſus excuſat vel defendit *Sarpium*. Alibi notiones de capitibus fidei, in Concilio controverſiæ ſubjectis, ſuppeditat claras, ac fata articulorum fidei ex Hiſtoria paſſim illuſtrat. Alibi articulos temporum in ordinem redigit. Ac ubique ſeſe talem præſtat, ut nec ex vituperatione *Sarpii* laudes aucupetur, nec heroem ſuum pro aris focisque defendat. Quem in finem conſuluit collectionem Opuſculorum *Dupuy*, Commentarios *Varga*, literas *Viſconti* & Cardinalium *de Ferrare* ac *de Santa Croce*, acta *Maſſarellii*, nec non *Torellii*, recens edita per *P. Martenium*, ephemeridem *Nicolai Pſalmi*, Epiſcopi Virdunenſis, editam per *P. Hugonem*, atque præterea illa omnia, quæ Annalibus *Raynaldi* ſunt inſerta. Conſuluit quoque MSta, e. g. collectionem actorum, quæ inchoantur ab exordio Concilii ſub *Paulo III* usque ad ejus translationem Bononienſem, ac congeſta ſunt per *L. Pratanum Nervium*. Præmiſſum eis eſt compendium, in quo bene multa pro veris habentur, quæ abnuere ſtudet *Pallavicinus*. Dolendum eſt, Autori hanc collectionem demum in manus incidiſſe, cum Opus ejus jam ſub prelo ſudare cœpiſſet. In ea enim dilucide traditur, primum præſidem Pontificium in Concilio egiſſe pro autoritate, citra ſuffragandi libertatem, non ſine ſtomacho ac imperio, cui Hiſpanorum aliique egregii Theologi argumentando & ratiocinando debuerint eſſe impares. Tenet aliam quoque collectionem literarum, quas Legati ex Concilio ſub *Paulo III* ſcripſerunt maximam partem ad Patres purpuratos *Farneſium* & *Camerlingum*, quarum initium eſt a Cal. Febr. A. 1566, & finis incidit in d. 31 Dec. anni ejusdem. *Lovelius* collectionem aliam poſſidet literarum avthenticarum a d. 18 April. A. 1561 usque ad d. 28 Dec. *Pallavicinus* haſce utique in uſus ſuos adhibuit, ſed eo quidem pacto, ut ea, quæ Pontifici ſuo & Tranſalpinis ſuis minus probatum iri intelligebat, ſilentii peplo involveret. Spem nobis Ven. *le Courayer* inſtillat, fore, ut Cl. *Ferrari* haſce & alias collectiones publicis uſibus concederet, quo Pag. 16.

 nomi-

nomine gaudia noſtra & gratulandi materiam teſtificamur. Epiſtolæ *Viſcontii* MStæ incipiunt a Junio Menſe A. 1562, e-ditæ ab A. 1563 Febr. *Sarpius* haſce omnino legit, & in u-ſus ſuos convertit. Reſtat quoque *Relatio MSta congregatio-num menſis Auguſti ratione communionis ſub utraque* in ea-dem *Lovelii* Bibliotheca. Ex ea admodum profecit *Sarpius*, ſiquidem eam fere ad verbum in ſuum Opus tranſtulit. Unde ejus fides & ſinceritas comprobatur, quæ majorem in lu-cem collocabitur, ſimul ac collectiones MStæ, quæ paſſim la-tent, publici fient juris. Si qui earum nonnullas tenent, ii in publicos uſus erunt liberales, ſi eas vel deſcriptas, vel MStas,
Pag. 17. cum Cel. *Ferrario* communicaverint, quæ & Ven. *Courayerii* & noſtræ ſunt preces ac vota. Ipſe Interpres novus pro fun-damento adhibuit editionem Londinenſem A. 1619; reforma-vit tamen eam ſubinde ad Genevenſem anni 1629; quæ eſt ex-actior, nævisque magis vacua, licet plerique id vix crediderint. In interpretatione ipſa ſenſum, ordinem, & claritatem, ſecutus, fideliter *Sarpium* & aſſecutus eſt & expreſſit, & plerumque ſuperavit, ut nemo ſit, quin translationem hanc libentius ſit le-cturus, quam Venetam *Sarpii* dialectum. In fine addidit *Ap-pendicem*, in qua commemorat, quomodo & quatenus Con-cilium Tridentinum ſit in Galliis receptum. Autores Nota-rum, quibus hoc Concilium illuſtraverant, narrationem jam pridem luci expoſuerant. *Elias du Pin* in Hiſtoria Seculi XVI complura adjunxit, collecta ex Actis Conciliorum Galliæ nationalium. Ven. Editor ex *Thuano* addidit reliqua, ac libris *Sarpii* ſingulis præmiſit ſummas & argumenta. In Notis a-nimus *Sarpii* regnat, ad quem illuſtrandum ſunt editæ. Au-tor enim earum in numero illorum eſt, qui henotica amant conſilia, veritatemque cum caritate conjunctam volunt. Nec tamen ipſum fugiet, libertatem ſentiendi, quam publice profi-tetur, deberi reformatoribus Theologiæ, ſeu Proteſtantibus, non eam duntaxat, qua Proteſtantes utuntur, ſed illam ipſam quoque, qua Itali, Hiſpani, Luſitani, & Galli, gaudent. A-liud quidem eſt, eſſe in eccleſia Romana; aliud eſt, eſſe in ec-cleſia catholica, & catholicas amplecti doctrinas. Veremur

tamen,

tamen, ne illa distinctio sufflaminetur & tollatur re ipsa, ni paries intergerinus secessionis illam stabiliat. Egregia sunt & mansuetudinis plena, quæ Autor in decretis Concilii Tridenti- Pag. 24.
ni notat. Nec dubitamus, rem Christianam redactum iri in seq.
concordiam externam, si omnes *Pallavicini* induerent indolem *Curajeriorum.* Prudenter Ven. Autor judicia sua illustrium & sapientum Gallorum testimoniis luculentis ornat &
præmunit. Ipse tamen ea quoque laudat, quæ in decretis Con- 29 seq.
cilii illius sunt salubria, & laudibus suis haud defraudanda. Vim & autoritatem Traditionis enervari per decisiones dogmatum
novorum, egregie monet, & pulchre perorat. Quæ de do- 31.
ctrinis Theologorum, autoritate Conciliorum, anathematibus, decisionibus ecclesiæ recentioribus, ritibus & disciplina ecclesiastica, hic edisseruntur, legi sunt digna, ac magis Dissertatio-
nem ornatissimam, quam Præfationem, constituunt. *Sar-* 44.
pius invenit expositionem modi, quo videmus: valvulas, quæ circulationi sanguinis inserviunt: statuit, nullos vere dari a-
theos: Protestantibus erat ita amicus, ut odisset modos refor- 47.
mandi violentos: sacram cœnam cum fratribus nonnullis su- 65.
mebat sub utraque specie. Felicem prædicamus *Sarpium*, 67.
qui vitæ suæ integros obtinuit scriptores, *Fulgentium*, ac eum, qui *Fulgentium* passim supplevit, meliusque digessit, *Curajerium.* *Sarpium* cum Stoicis doctrinam de avtochiria approbasse, vulgo tradunt. Verum nec vola nec vestigium hujus rei in utraque hac biographia sese offert. Quantum ad Notas attinet, Autor in eis graviora *Ameloti* interpretis errata
notat. Hinc inde *Pallavicini* objectiones & reprehensiones e- 8. 9 seq.
liduntur sæpius quam felicissime. *Petro Waldo*, ejusque disci-
pulis, errores bene multi attribuuntur. Ostenderunt jam alii, 10.
Waldenses hoc *Petro* fuisse antiquiores, & fit verosimile, *Waldum* illum, seu *de Waldo*, a Waldensibus traxisse cognomen. Bellicosum *Julii II* & lascivum *Leonis X* animum Autor testimoniis coævorum ac ipsius *Pallavicini* comprobat. Indul-
gentiarum venalium originem cum *Sarpio* ab instituto *Urba-* 13.
ni II repetit. Refellit *Sarpium*, qui credidit, morem in Saxonia viguisse, ut indulgentiarum Papalium promulgatio Eremitis

Pag. 15. mitis S. *Auguſtini* ante *Leonem X* fuerit propria. *Sarpius*
fuerat confeſſus, *Lutherum*, ut ſeſe defenderet, nova edidiſſe
ſcripta, ideoque diligentiam ſtudiis impendiſſe majorem, e
quibus magis magisque lumen ipſi fuerit obortum, quod ſecu-
tus, detexerit res antea ſibi incognitas. Addit *Curajerius* in
31. Notis: *Hic debebat eſſe fructus ſtudiorum ipſius genuinus. At
dicere etiam poſſumus, ipſum, quo plus cognitionis per ope-
ram literis navatam ſibi comparaverit, eo impenſius erraſſe
etiam in doctrinis multis, & eo majorem exhibuiſſe atque ad-
bibuiſſe pervicaciam, violentiam, impetumque iracundiæ ple-
num.* Prædixerat ſcilicet Cenſor in Præfatione *pag. 29* iſthæc:
*Nativitas, educatio, amor pacis nimius, ac anticipatus opinio-
num favor, ad avia deducit homines nec ſcientes, nec opinan-
tes.* Diſtinguendum videlicet eſt inter eum, qui ſcalam muro
primus applicat, vel eum invadit & disjicit, & inter eum, qui,
pace & libertate ſentiendi parta, infeſtationem illam ante a-
ctam, cujus omnis vis in celeritate & promto impetu reſide-
bat, dijudicat. Quidni milites, acie ac prælio dudum defun-
cti, notant carpuntque actiones ducum? Sed hæc obiter. *Se-
35. ckendorfius Lib. I Sect. 44 §. 98* tradidit, ſciente Imperatore
Lutherum fuiſſe in arce quadam occultatum prope Iſenacum,
ſcilicet Wartburgi. Addit Cenſor: *Conjectura hæc penitus eſt
frivola.* De Romanis Paparum adminiſtris Ven. Autor hæc
37. judicat: *Non eſt omnino locus in orbe terrarum, ubi minutiæ
tractentur majori cum gravitate, quam Romæ. Adrianum,
Caroli V* præceptorem, poſtea Pontificem, in lucem fuiſſe e-
41. ditum A. 1549, idem docet, ratus tamen, eum A. 1522 Pa-
pam fuiſſe electum. Sed quid moramur ſphalma typographi-
cum? Tanta enim rerum eccleſiaſticarum notitia & hiſtoria
in Notis ubique eminet, quarum argumenta complura in præ-
ſens delibare non licet, ut ſolem contemnere, licet ei maculæ
obverſentur pauculæ, non audeamus. Gratulamur potius
Autori Venerabili Opus tam amplum & tam varium, feliciſ-
ſime eruditiſſimeque adornatum.

*JO. CONRAD SCHWARZ, S. S. THEOL. DO-
Ctoris, & in Caſimiriano Profeſſ. Publ. Ordin. ejus-
dem-*

demque Directoris, Commentarii Critici & Philologici Linguæ Græcæ Novi Fœderis divini.

Lipsiæ, apud hæredes Jo. Frid. Braunii, 1736, 4. Alph. 9 plag. 5.

Insignem omnino laudem merentur illi, qui eo suum studium & omnem operam intendunt, quo Novum Fœdus ex Autoribus exteris illustrent, dictionemque ejus Græcam partim explicent, partim confirment. Dici enim vix potest, quantum lectio antiquorum Autorum, eorumque Græcorum, ad Novum Fœdus interpretandum, dilucidandum, & phrasin ejus exponendam, conferre possit, cum hoc modo vera notio & vocabulorum & totius sermonis optime intelligatur. Perbene igitur suum tempus collocasse censendus est S. Rev. Autor, quod nobis Commentarios suos in Nov. Fœd. Græcum dederit, satis elegantes, & labore non exiguo confectos, qui illis utiles omnino esse poterunt, qui non solum Novum Fœdus rite intelligere, sed, num eadem ratione antiqui Græci dixerint, scire, cupiunt. Gratulandi itaque sunt S. Rev. Autori hi nobilissimi labores, quos juventuti non solum utiles, sed & provectioribus valde gratos fore auguramur, nec nos facile fallet augurium, inprimis cum jam quatuor anni, & quod excurrit, elapsi fuerint, ex quo hujus Commentarii nobis spes est facta, ejusque contenta cum orbe erudito sunt communicata. Quamvis in illis ipsis nonnulla immutaverit, quod curis posterioribus, quæ semper meliores esse solent, tribuendum est. Nostrum in præsenti erit, paucis indicare Lectoribus nostris, quæ S. Rev. *Schwartzius* in hoc Libro præstiterit, & quomodo commodum Græcæ Linguæ studiosorum promoverit. Excitatum sese profitetur ad suscipiendos hos conatus a B. *Jo. Georg. Pritio*, qui ipsum, perlustratis, quas olim scripserat, Annotationibus in *Olearium*, ad perficiendum hunc laborem frequenter hortatus sit, cujus & honestis petitis repugnare sibi religioni duxerit. Ante omnia de propria significatione vocum, ubi haberi potuit, sollicitus fuit, &

in hoc Lexico eam primo loco exhibet, reliquas deinde improprias non negligens, atque in illa stabilienda omnino reliquis Lexicographis diligentiorem se præstitit. Varias deinde significationes vocis collegit, atque adjecit omnes, quas in Novo Fœdere poterat reperire, hasque uno quasi intuitu repræsentat, ut factum est in vocibus ἔχω, ὁδός, ἐπὶ, πρός, &c. Neque tamen in his acquiescit S. Rev. Autor. Qui enim de vocibus est sollicitus, non solum earum significatum verum evolvat necesse est, sed etiam inquirat, num hæc vel illa vocabuli notio bonæ sit notæ, & a Græcis scriptoribus admissa. Atque hoc inprimis est, in quo diligentiam suam exercuit laudatus Autor, quando vocum notiones ex Autoribus Græcis, iisque probatissimis, asseruit, & exemplis subjectis semper confirmavit, quod quantum laboris sit, illi tantummodo norunt, qui in adstruenda vera notione vocis unquam fuerunt occupati. Illud egit in animadversionibus sat multis, in quibus laudem omnino meruit, quod hac ratione parallelismus dictionis sacræ & Græcorum scriptorum satis dilucide pateat, cujus exempla in omnibus fere locis occurrunt. Inde etiam factum est, ut multos significatus vocum probatis Autorum testimoniis communiverit, qui ab aliis huc usque fuerunt in dubium vocati. Plerique, qui ejusmodi libellos concinnarunt, de vocum notione tantum laborarunt, &, quæ illa sit, exposuerunt, at in Græca lingua non solæ voces, sed integræ etiam locutiones & phrases, sunt considerandæ, id quod etiam in Novo Fœdere fiat oportet. Atque ex his caussis additas videbis in hoc Lexico ejusmodi locutiones & dicendi modos, qui non solum ex sacro Codice afferuntur, sed testimoniis præterea Græcorum Autorum stabiliuntur, ut patet ex verbis ποιέω, ἔρχεσθαι, ἔχειν, & sic porro. Præterea constructiones etiam diligenter considerat, hasque autoritate firmat. Optandum tamen esset, ut S. Rev. Autor & in his illam differentiam verborum, quæ μέσα, seu media, vocare solent Græci, adjecisset, &, qua ratione medium ab activo seu passivo diffidat, diligentius demonstrasset. Magna enim est differentia inter ποιεῖν & ποιεῖσθαι, ἄγειν & ἄγεσθαι, & quæ sunt alia, de quibus nihil annotare placuit Autori. Quæ tamen

tamen in his desunt, aliis elegantissimis observationibus compensantur, pertinentibus ad phrasin Græcam & constructionem sanandam, quam multi sollicitare olim solebant. Circa ellipses Græcorum cura ejus eo tendit, ut partim fictas nonnullas a Grammaticis ellipses refellat, partim illas, quas pro talibus non agnoverunt, restituat. Propterea monet, *Rom. XI, 28*, non ellipsin Θεῦ, nec *Rom. IX, 6*, ἀληθείας, esse quærendam, & in voce ἀτενίζω supplet ellipses *Lamb. Bosii*. Castitatem Græcæ linguæ Novo Fœderi ut asserat, omnem navat operam, &, cum olim jam in libello *Oleariano* hanc curam sibi concreditam esse putaverit, nec illam in hoc Commentario abjecit. Industrius proinde est in profligandis Novi Fœderis Latinismis, Hebraismis, Chaldaismis, Syriasmis, & reliquis, quos loquendi modos Scriptorum Græcorum testimoniis probare annititur. Exempla habes in vocibus σὰρξ, ὀφείλημα, ἀνοίγειν τὰς ὀφθαλμὰς, ἐλθεῖν εἰς κόσμον. Neque tamen in præsenti disputamus, num omnibus in locis illa, quæ adducta sunt, testimonia Autorum illud probent, quod vult S. Rev. Autor, & an non similes phrases nonnunquam adhibuerit ex Græco Autore pro Latinismo, Hebraismo, & sic porro, confutando; nec illud conficimus, an ea dictio non proxime ad Latinismum accedat, quæ adhibita est ab Autore Græco quidem, sed quem hanc vel illam phrasin aut vocem ex Latino sermone in Græcam recepisse, satis clarum est, uti *Josephus* aliique fecere. Interim S. Rev. Autor ad *Olearium*, & quæ ibi monuerat, semper provocat, nec alios Scriptores, qui in his atque reliquis rebus eandem rem probaverant, omittit, sed fideliter & summa cum cura nominatim producit. Mascule insuper iis obviam ivit, qui alia vitia sermonis, ut solœcismos, barbarismos, &c. in dictione Novi Fœderis sibi invenisse visi sunt, quo ipso non quod pueri in faba se reperire credunt, & in Scripturam sacram omni contentione invehuntur, atque pro detrahenda ejus autoritate hoc argumento utuntur. Habemus itaque in hoc libello multa, quæ ad Græcam linguam addiscendam, & inprimis in lectione Novi Fœderis, maxime sunt utilia, quæve varia repræsentant, alias non ubivis obvia. Neque tamen hi soli habent,

de quo sibi possint gratulari, sed sæpius præterea explicatas videmus antiquitates & Judaicas & Romanas & Græcas, nec non Historiam & Geographiam sacram, quantum scilicet ad Novum Fœdus intelligendum faciunt. Vide e. g. vocem Ἀσιάρχης, Ἀντίλυτρον, Ἀνθύπατος, Ἄρτεμις, Ἀντιόχεια, &c. Tandem & illi, qui sanctioribus literis operam dant, invenient in hoc libro, quod ipsis aliqua ex parte usui esse possit. E. g. satis probavit, *δικαιόω*, *justum judico, sententia mea justum pronuntio*, apud Græcos scriptores significare, per *σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου* optime posse intelligi filium Dei insignite & clarissime demonstratum, ex *Matth. V*, 17, non posse demonstrari, Christum novum esse legislatorem, cum verbum ipsum iis repugnet. Habere itaque ex his & aliis credit doctores ecclesiæ, quibus mores Christianorum conformare, & viva Dei templa ornare possint. Tacemus in præsenti exegeticas observationes, quas hinc inde adspersas videbis, Lectorem ad usum hujus libri remittentes, ex quo certe emolumenta capi poterunt non contemnenda. Denique & illud silentio non prætereundum est, notas quasdam huic Libro a Filio S. Rev. Autoris fuisse adspersas, quæ etiam ejus nomine sunt insignitæ, ne cum Parentis Notis confunderentur. Exhibent autem potissimum nonnullos Autorum locos, quibus jam dicta ulterius confirmantur. Ceterum in toto hoc Opere multum se sublevatum fatetur S. Rev. Autor labore *Joannis Dawsoni*, cujus tamen ordinem, brevitatem, opiniones, multis in locis reliquit, correxit, & immutavit, multa etiam adjecit, illudque effecit, ut, cum illius liber tironibus tantum, hic provectioribus, insignem possit usum præstare. Claudit Librum Index triplex. *Primus* explicat siglas, quæ in his Commentariis occurrunt; *secundus* sistit voces Græcas, quæ ipsæ non extant in Novo Fœdere, quarum tamen derivata aut composita in eo reperiuntur, nec non illas, quæ omittuntur aut subintelliguntur; *tertius* continet voces omnes ac phrases Latinas, in his Commentariis occurrentes, qui simul instar Lexici ac Phraseologiæ Latinæ esse potest.

TRA-

TRACTATUS QUINTUS ANATOMICUS de Aure humana; cui accedit sextus de Aure monstri humani, cum tribus Figurarum Tabulis. Autore JOANNE FRIDERICO CASSEBOHMIO, Med. Doct. & Profess. Publ.

Halæ, sumtibus Orphanotrophei, 1735, 4.
Plag. 10, Tabb. æn. 3.

Fidem datam liberavit, atque spem nostram abunde implevit, Cl. *Cassebohmius*, dum prioribus *quatuor* de Aure humana Tractatibus, quorum mentionem in his *Actis Anni 1735 Mens. Nov. pag. 507* merita cum laude injecimus, *duos* alios adjecit, quorum *prior* labyrinthum, variasque ejus partes, exhibet, *alter* aurem monstri humani delineat, ut, quæ cum statu naturali convenerint, quæ diversa fuerint, inde appareat. Quæ de totius Operis præstantia in *prioris Partis* commemoratione judicavimus, hic repetere supervacuum censemus. Eandem enim in accurate investigandis minimis etiam absconditæ hujus partis anfractibus industriam, eandem in earum descriptione pariter, ac in Figurarum ænearum delineatione, curam, ubique adhibuit Cl. Autor. Numeri Paragraphorum & Tabularum cum prioribus continuati sunt, mensuram vero paulo aliam, quam in prioribus Tabulis, adhibitam monet, cujus decem lineæ unciam pedis Rhenani conficiant, quoniam maxime recepta sit hæc mensurandi ratio; magnitudinem tamen partium auris, in prioribus indicatam, facile ad hanc posse revocari, cum prioris $1\frac{1}{2}$ linea unam circiter lineam posterioris referat. In labyrintho potissimum vestibulum, canales tres semicirculares, cochleæ gyri cum suis scalis, nervique auditorii mollis portio hic varie distributa comparent, circa quas partes potissimum *quinto Tractatu* versatur Cl. Autoris labor, singularum peculiarem situm, inter se connexionem, in embryonibus incrementum & ab adultis discrimen, variam dimensionem, sollicite notantis. Ubi Autores, qui de aure ex instituto egerunt, diversa tradunt, singulorum sententiam refert, atque cum suis conferens observatis, veram par-

partium constitutionem docet. Sic de nervi auditorii distributione *Casserii*, *du Verneji*, *Valsalvæ*, *Simoncelii*, placita commemorat, & de pluribus ejus ramis, numero interdum variantibus, nunc specie filamentorum, nunc membranarum, nunc variarum eminentiarum, conspicuis, ex instituto agit: varias hinc inde quæstiones de situ cochleæ, canalium semicircularium, eorumque fabrica, proponit, quarum solutionem ultimo Tractatu, quo de usu singularum partium aget, expectare jubemur. Plura de his commemorare merito supersedemus, cum rectius illa ex ipso cognoscantur Tractatu. De *sexto Tractatu*, quo foetus septimestris monstrosi, cujus caput omnes fere partes duplicatas exhibebat, organon auditus delineatur, pauca addimus. Quatuor conspiciebantur in illo aures externæ, quarum binæ situm naturalem obtinebant, binæ in nucha proxime sibi adstabant, cavitatibus & eminentiis sibi oppositis; cute separata, duo crania sibi conjuncta apparebant, ita tamen, ut in utroque os temporum in loco conjunctionis deficeret, inter bina vero occipitis ossa os quoddam præternaturale adverteretur, superius acuminatum, inferius subrotundum, cui aures externæ posteriores annexæ erant. Aperto capite, duæ cavitates, septo intermedio distinctæ, quibus singulis cerebrum inhæserat, repertæ, quatuor partes petrosæ occurrebant, quarum duæ, loco consueto sitæ, omnia in naturali statu exhibebant, reliquæ posteriores novo ossi insculptæ erant, in quo lamina ossea tenuis eminebat, merito pars squamosa communis posteriorum ossium temporum nominanda. Ore aperto, quod pariter duplex erat, quatuor etiam tubæ *Eustachii* inveniebantur, partim ad os petrosum naturale, partim ad postica illa, tendentes. Partes petrosæ posteriores membranis connexæ erant, quarum altera a superficie interna & superiori, altera a superficie externa & inferiori, ad easdem oppositi ossis plagas tendebat. Priori remota, cavitas occurrebat, in quam utraque tuba hiabat, quæ ossicula auditus etiam cum suis musculis continebat, sicque loco cavitatis tympani haberi merebatur; inferiori membrana soluta, utraque ossicula a se dehiscebant, ut singulum lustrari posset. Quæ præterea de ossiculis auditus, quorum septem

ſeptem a ſtatu naturali plus minuſve recedentia numeravit, ut & de reliquis eminentiis & cavitatibus, annotavit Cl. Autor, ea ex ipſo Tractatu, Figuriſque appoſitis Lectoribus harum rerum ſtudioſis cognoſcere non ingratum erit. Spem facit Vir Clariſſimus ultimæ Partis, qua ſtructuram auris quorundam brutorum evolvere, & deinde uſum ſingularum partium, in his organis contentarum, curatius exponere, decrevit, quo ipſo cum rem publico gratiſſimam, atque ad obſcuram de ſoni perceptione doctrinam illuſtrandam apprime accommodatam ſit facturus otium ei & ſanitatem ex animo comprecamur.

DISSERTATIO EPISTOLICA, DE DIFferentiis quibusdam inter hominem natum & naſcendum intercedentibus, deque veſtigiis divini Numinis inde colligendis, Viro Prænobiliſſimo, Experientiſſimo, & Excellentiſſimo, Domino JO. GEORGIO HENRICO KRAMERO, Philoſophiæ & Medicinæ Doctori, Copiarum Cæſarearum Medico primario, inſcripta a D. CHRISTOPHORO JACOBO TREW, Sereniſſimi Marchionis Brandenburgico-Onoldini Conſiliario Aulico & Archiatro, Reipublicæ Norimbergenſis Phyſico Ordinario, Academiæ Cæſareæ Naturæ Curioſorum, ut & Societatis Commercii Literarii Phyſico-Technico-Medici, Collega. Accedunt Tabulæ V æneæ in duplo, alteræ variis coloribus illuſtratæ.

Norimbergæ, proſtat apud Petr. Conr. Monath, 1736, 4. Plag. 15.

Doctane & induſtriæ plena, an pia magis, dici debeat hæc Clariſſ. Autoris Commentatio, dubium ſupererit legentibus; jucundiſſimum futurum eſt omnibus artis ſalutaris cultoribus, inſignem magni in Iatrica Viri, *Trewii*, Philoſophi, Medicique, in ſecando dexteritatem, & in exponendo præſtantiam, ſingulari exemplo conſpicere. Digniſſimum ſibi ſele-

ſelegit argumentum, in quo ingenii ſui vires experiretur, hominis naſcentis conditionem, quæ exercitatiſſimorum omni tempore virorum animos in diverſas partes traxit, ut, quo primordio rerum homo fiat, certo affirmari haud poſſit. In medio reliquit Cl. Autor ſpinoſas de homine intra ovulum quæſtiones, quandoquidem nec, quale ſit illud ovarii muliebris productum, hactenus declarari potuerit, ovumne, an ovi ſimulacrum. Illas ſibi exponendas ſumſit hominis in utero materno degentis circumſtantias, quæ ſenſuales admittunt demonſtrationes, & cultelli anatomici miniſterio evolvi, lucique admoveri, potuerunt. Neque vero in omnem œconomiæ embryonis ambitum exſpatiari decreverat; alioquin ipſi in Oſteogeniæ campis excurrendum fuiſſet, declarandumque, quæ ſingularum partium vitalium in naſcente natoque homine diverſitas, qua ſufficienti ratione auditus organon tenello fœtui, externe, coeuntibus trago & antitrago, interne, prætenſa membrana, quæ epidermidis propago eſt, præcluſum ſit, ita quidem, ut iſta conditio embryoni cum amphibiis, rana, teſtudine, delphino, communis deprehendatur, cur & alia fiant. Sed in illo potiſſimum argumento ſuam collocavit operam, quo detegeret circuli ſanguinei & humorum leges, quæ aliter in fœtu, aliter in reſpirante homine, obtinent. Habet Cl. Autor ſingularem antiquitati cultum, &, plura a majoribus de iſto argumento dicta vel ſcriptis edita fuiſſe, docet, quæ rectius ingenioſiusve a noſtri ſeculi viris dici vix poſſent. Nempe & *Galeno* deſcripti canalis arterioſi, qui inter arteriam pulmonalem & aortam deſcendentem eſt, gloria debetur, & *Fallopii* diſcipulus, *Jo. Bapt. Carcanus*, hanc tenelli conditionem omni ex parte feliciter executus eſt, nec valvulam omittens, etſi, proprie loquendo, valvula dici haud poſſit, quæ ineunti & deſinenti huic canali utrinque affigitur, quo etiam deſcribente, foraminis ovalis, quod eſt inter utramque venam cavam & pulmonalem, hiſtoria habetur. Addit ſua Cl. Autor, &, quo potiſſimum artificio anatomico uſus, viarum ſanguifluarum, embryoni propriarum, indolem detexerit, exponit. Simplex viſa fuit methodus, cordis, quæ eſt inter utramque arteriam & utramque venam, communicationem, ab-

abluto saltem sanguine, visui exponendi; alia ingeniosior, quæ injectione in venam umbilicalem facta contigit, qua scilicet administratione circuitus sanguinis omnis, prout in fœtu est, sisti ante oculos solet. Verum, cum, ob plenitudinem vasorum, nec canalis arteriosi, nec foraminis ovalis, specialiores circumstantiæ, post injectionem cera peractam, oculis paterent, novam viam ingressus est. Liberavit scilicet vasa cordis a cera, quam effluere leni deliquio per calorem modestum passus est, suspendens corculum tenerum præscisso apice, in olla molliter calente, quo denique factum, ut situm naturali proximum partes omnes servaverint. Sicut autem in re Anatomica plurima est iconum artificiose exsculptarum utilitas, ita singulorum, quæ in ornatissimo libello exponuntur, momenta delineantur Tabulis, quarum singula sociam habet, coloribus illustrem, miniato arterias, cœruleo venas, describentibus, & singula circumstantia diverso quopiam colore declarata. Tabula nempe prima sistitur organorum, thorace vel abdomine tenello contentorum, conspectus, prout in nexu suo omnia cohærent; neque tantum hæc facies illa est, prout singula, nullo cultello admoto, apparent, sed & dissecta sunt quædam, nempe portio ista hepatis, quæ inter canalem venosum portæ & cavam venam interest, quo circuitus sanguinis rudi penicillo prius delineatur, quam curatius singula exequi inciperet. Eadem scilicet Tabula existunt cordis varii situs, alius quidem, quo adscensus venæ cavæ, œsophagus, aspera arteria, cum nervo recurrente, aliaque, habentur, quæ cordi sic verso propria esse sueverunt, nec impedivit quidpiam, quin eadem facie, dissecta aorta descendente, canalis arteriosi insertio appareret. Eo usque doctrinam hancce digessit indefessa Cl. Autoris industria, ut & omnium vasorum diametros, quæque illas intercedunt, differentias proportionales, exponere aggressus fuerit. Secatur hac Tabula in varias facies cor; sistitur confluens venæ descendentis, ac adscendentis venæ cavæ, illo in loco, ubi valvulam *Vesalii*, qua fluvius uterque purpureus, ne impingat in se mutuo, dirigitur, esse decet; habetur septum, quod est inter utramque auriculam, & canalis arteriosus, cum valvularum suarum productionibus ita

Ee deli-

delineatus, ut coram intueri arbitreris. Oppido rarum est, quod in muliere juvencula extitit, exemplum observati inter utramque septi partem amplissimi hiatus. Tabula secunda non mediocrem huic doctrinæ lucem accendit, declaratis uberrime vasorum propaginibus, quæ ad vitam embryonis faciendam, quam diu in utero hæret, committuntur. Conspicitur scilicet sinus venæ portæ in jecur immersio cum ramis, per hepatis minorem lobum distributis; dextri enim seu majoris lobi vena hinc umbilicalem venam recipit, illinc vero canalem venosum de se dimittit, qui, trunco venæ cavæ, adscendentis infra ramos, qui ab hepate redeunt, immersus, maternum sanguinem junctim cum tenelli cruore superiora versus adducit. Dextra cordis auricula qua lege venas allapsas suscipiat, declaratur, additis, quæ ad arteriologiam fere omnem truncorum corporis majorum faciunt, nec venæ majores intactæ relinquuntur, quarum & generalis & specialis, quæ ad infantem attinet, historia sic exponitur, ut rectius haud possit. Tabula tertia partim novas affert rerum ad motum sanguinis facientium facies, partim vero vasorum umbilicalium cum vesica urinaria nexum illustrat. Luculenta scilicet est sic dicti urachi, arteriarumque umbilicalium, ab iliaca interna emergentium, declaratio, quibus vagina quædam membranacea, funiculi umbilicalis latius accepti propago, circumducitur, seduloque annotata fuit in interiore fundi vesicæ parte existens papillula, quæ uracho apte respondere videtur. Cumque non una semper possit esse foraminis ovalis, sua valvula instructi, conditio, adduntur circumstantiæ, quæ in embryone nondum respirante, in fœtu tres septimanas nato, circa istud momentum exstiterint. Reliquæ Tabulæ leges istas motuum novis observationibus illustrant. Hinc conferuntur sententiæ Celeberrimorum in re Anatomica Virorum, inter quos non convenit, unicone, an duplici, vena umbilicalis termino in hepar desinat. Unicus scilicet esse asseritur, nisi canalem venosum pro altero agnoscere velis, qui tamen venæ portæ propago videtur. Eruditissima est diametrorum, quæ vel venam portæ, vel umbilicalem, describunt, definitio. Inde, postquam res Anatomica suæ luci admota fuit, de

de usu partium ingeniose differitur, allatis primum, quæ ad valvulæ *Eustachianæ*, a *Winslovio*, postquam fere oblivioni tradita fuerat, revocatæ & instauratæ, effectum, quem præstat, pertinere poterant, inde adductis motuum legibus, quæ ad sanguinis circa cor & pulmones embryonis motum attinent. Nempe hæc omnia, prout antea dicta fuerant, fieri demonstratur, quo intacti a sanguine pulmones quieti permanere, & expansionis necessitate carere possent. Adducitur Autoris cujusdam nova de sanguine per pulmones etiam, quam diu embryo est homo, decurrente sententia. Nam, etsi de foraminis ovalis apertura, deque sanguine per illud moto, dubium esse haud possit, evictum tamen nondum esse perhibetur, an sanguis, hac aperta via, a dextra auricula ad sinistram, an vice versa, feratur, & an non potius liber sit sanguinis fluxus ex dextra auricula in sinistram, & ex sinistra in dextram promiscue. Sanguine scilicet carere pulmones, nec arteriosus canalis, nec foramen ovale, satis demonstrare feruntur. Adducuntur variæ, hanc eruditissimam litem, vario successu excussam, spectantes, circumstantiæ. Digna etiam declaratu res visa fuit, quem cordis motum sequatur, vel sequi possit, foraminis ovalis vel clausura, vel apertura; nam in eodem situ versari neutiquam potest. An systoles, an diastoles, tempore vel claudatur, vel aperiatur, quæstio proposita fuit. *Vieussenius* in systole fieri, perhibuit, quæ antea in distole fieri dicebantur. Cum utrinque supponat apertum foramen ovale *Meryus*, non tantum exinde infert, a sinistra ad dextram auriculam refluere sanguinem, contrario, quam hactenus dictum fuit, modo, sed postulat etiam, tres debere esse sanguinis in sinistra auricula superpondii rationes, unam saltem in dextra, quo dato, sententia ejus non potest non esse salva. Contrarium scilicet defenditur ex conditione valvulæ, foramini oppositæ, quæ ad utramque simul plagam mobilis esse, ex indole valvularum, nequit. Reliqua miram Autoris ingenii fertilitatem abunde testantur, habetque hoc ipso Respublica & literaria, &, cujus salutem ille tuetur, civilis, de quo sibi impense possit gratulari.


COMMENTARII ACADEMIÆ SCIENtiarum Imperialis Petropolitanæ. Tomus quartus, ad Annum 1729.

Petropoli, typis Academiæ, 1735, 4.
Alph. 2 plag. 3, Tabb. æn. 38.

Illustris Academia Scientiarum Petropolitana, ad exemplum Parisiensis, non nimium novitati studens, interjectis demum plusculis annis, edere rerum suarum Commentarios solet. Itaque præsens Volumen ea scripta complectitur, quæ a Membris Academiæ jam A. 1729 sunt exhibita. Et in Classe quidem *Mathematica* hæc occurrunt. *Frid. Christoph. Maier* de orbita Solis accuratius definienda differit. *Jac. Hermannus*, τῶν ἐν ἁγίοις, de locis solidis agit, ad mentem *Cartesii* concinne construendis. Cum enim *Cartesius* assertionum suarum demonstrationes fere ubique reticuerit, *Florim. a Beaume* & *Fr. Schootenius* in hanc & alias Geometriæ *Cartesianæ* partes, & hic quidem admodum copiosas Notas & Commentarios, conscripserunt. Igitur successores, maximeque *Jo. de Witt* & *Craigius*, alias vias magis compendiosas in doctrina locorum tentaverunt. At, cum *Cartesiana* methodus re vera æque brevis sit, si non brevior, quam ulla alia, præterea vero directe procedat, &, hoc tamen non obstante, nunc pæne oblivioni tradita sit, eam, nitori suo restitutam & illustratam, postliminio in scenam producendam *Hermannus* existimavit. *Frid. Christoph. Maierus* docet, quomodo ex altitudinibus Solis meridianis, & culminationibus quarundam stellarum, quotidie accurate observatis, æquinoctiorum & solstitiorum momenta, porroque obliquitas Eclipticæ, erui rite possint. Idem ex variis problematibus sphæricis, quæ solvere ipsi contigit, ab aliis nondum satis exculta, nunc sequens affert: In duobus triangulis sphæricis, SPZ & sPZ, communi basi PZ insistentibus, & latera SP & sP æqualia habentibus, sint dati anguli ad P & Z omnes, quæruntur reliqua. Posito autem radio $= r$, sinu anguli $SPZ = A$, & $sPZ = a$, cotan-

TAB. IV Fig. 1.

TAB. IV ad Nova Acta Erud. A. 1737 Mens. Maji pag. 220 et 229.



tangente anguli $SZP = M$, & $sZP = m$, ſinu ſemiſummæ angulorum SPZ & $sPZ = N$, ſinu vero ſemidifferentiæ $= n$, denique coſinu baſeos $PZ = y$; reperit $y = \frac{AM \pm am}{2Nn} r$.

Quod ad uſum hujus problematis Aſtronomicum attinet, notandum eſt, S & s deſignare duo loca ſideris alicujus in ſuo parallelo, quod declinationem intra horas aliquot aut nihil aut inſenſibiliter mutat: angulos ad verticem Z eſſe azimuta ſideris obſervata, angulos ad P eſſe horarios, azimutis datis reſpondentes: eſſe etiam PZ altitudinem æquatoris, & $PS = Ps$ declinationis complementum; item ZS & Zs eſſe altitudinum complementa. Hinc, datis, obſervatione ſideris alicujus, declinationem ad ſenſum intra paucas horas non mutantis, duobus azimutis, vel eorum complementis ad duos rectos, SZP & sZP, angulisque horariis SPZ & sPZ, ad illa azimuta pertinentibus, invenire licet, 1° altitudinem æquatoris PE, ſive poli, 2° declinationem ſideris, 3° altitudinem ejus, ad momenta obſervationis. Cum azimutorum obſervationes non parum difficultatis habere videantur, modos varios ſe reperiſſe putat Vir doctiſſimus, quibus illæ obſervationes reddi faciliores queant: multumque ſe confirmatum dicit inſpectione ſchematiſmorum, quibus *Ræmeri* Machinæ Aſtronomicæ novæ depinguntur. Ceterum judicia eruditorum de ſuo problemate expectat. *Jac. Hermannus* curvas conſiderat, in punctum poſitione datum projectas, ac de affectionibus earum, inde pendentibus, diſquirit. Idem de Ellipſi conica agit, cujus axis alteruter datus eſt, angulo, poſitione & magnitudine dato, ita inſcribenda, ut centrum ejus intra datum angulum ſit etiam poſitione datum. Hoc problema, jam olim a *Philippo de la Hire* ad eximium quendam Geometram transmiſſum, cum hic ope calculi analytici ſolvere conaretur, in æquationem incidit biquadraticam. Neque ſimpliciorem hac via ſperari ſolutionem poſſe, *Hermannus* arbitratur. Oſtendit autem hoc loco, ſi via geometrica conſtructionem quæras, oppido ſimplicem ac facilem reperiri: ex quo intelligere liceat, quam vere jam alias a Viro doctiſſimo ſit monitum, Geometriam

triam linearem, absque calculo procedentem, ſæpenumero ſimpliciores ſuppeditare ſolutiones, quam calculum analyticum. *Leonh. Eulerus*, curvam tavtochronam conſiderans, animadvertit, cum de invenienda illa curva quæſtio proponitur, duas omnino quæſtiones, bene a ſe invicem diſtinguendas, in ea eſſe involutas: quarum altera hujusmodi curvam requirat, in qua grave deſcendens æqualibus temporibus ad punctum infimum perveniat, ubicunque ſumatur initium deſcenſus: altera vero talem, ſuper qua integræ oſcillationes, ex deſcenſu & adſcenſu conſtantes, omnes ſint iſochronæ. Et illi quidem quæſtioni ſolam cycloidem ſatisfacere fatetur: huic vero, præter cycloidem, innumerabiles alias convenire reperit: quæ tamen omnes ita ſunt comparatæ, ut vel ex duabus diverſis conſtent curvis, in puncto infimo connexis, vel certe ex duabus partibus, inæqualiter utrinque a puncto infimo adſcendentibus, ea ſcilicet ratione, ut grave oſcillationes ſuas, quo citius ex una, hoc tardius ex altera, parte abſolvat. Inter curvas huc referendas unam invenit Algebraicam Vir Clariſſimus, cujus hæc eſt æquatio: $81y^4 + 54ay^3 - 216axyy - 256ax^3 + 9aayy - 72aaxy + 48aaxx - 9a^3x = 0$. Idem *Eulerus*, cum in *Actis* noſtris *A. 1726 Menſ. Aug. pag. 361* conſtructionem propoſuiſſet linearum iſochronarum, in medio quocunque reſiſtente, vel potius ejusmodi linearum, ſuper quibus grave, in medio reſiſtente, æqualem habet deſcenſum, ac ſuper cycloide in vacuo; re poſtea accuratius perpenſa, intellexit, hujusmodi lineas re vera pro iſochronis haberi non poſſe. Etiamſi enim habetur curva, ſuper qua grave, in medio reſiſtente, eodem modo deſcendat, ut ſuper cycloide in vacuo, (initio deſcenſus videlicet dato,) tamen hæc nondum eam habet proprietatem, ut grave, ubicunque deſcenſum inchoaverit, eodem tempore ad punctum infimum perveniat: neque enim deſcenſus cum deſcenſu in cycloide congruet, niſi is ex dato puncto incipiat. Igitur nunc alio modo curvam *Eulerus* quærit, tavtochronam in fluido, quod reſiſtit ſecundum quadrata celeritatum. *Dan. Bernoulli*, *Jac. Hermannus*, *Leonh. Eulerus*, & *Frid. Chriſtoph. Maierus*, diverſas

ſas proponunt ſolutiones problematis Aſtronomici, quod eſt hujuſmodi: ex obſervatis tribus altitudinibus ſtellæ, declinationem non mutantis, temporumque inter obſervationes intervallis, invenire altitudinem poli, & ſtellæ declinationem. Idem problema pertractat *Ge. Wolffg. Krafft*, ſimul cum aliis quibusdam conſimilibus: v. g. invenire locum, quem Sol obtinere debet, ita, ut ejus motus in longitudinem ſit æqualis motui adſcenſionis rectæ: item, datis duabus altitudinibus ſtellæ, una cum azimutis, quæ illis altitudinibus conveniunt, invenire elevationem æquatoris: item, datis duabus altitudinibus Solis, aut ſtellæ cujuscunque, una cum earum temporibus, vel diſtantiis a meridiano, invenire altitudinem meridianam & elevationem poli. Sed tempus eſt, ut a Claſſe *Mathematica* ad *Phyſicam* tranſeamus.

In hac Claſſe primo loco *Frid. Chriſtoph. Maierus* nonnulla affert, quæ in luce boreali Menſe Oct. A. 1728 obſervavit: ex quibus didicit, non ſemper, (ut olim putaverat ac ſcripſerat,) etſi plerumque, virgas recta via ad verticem tendere, & altiſſimam arcus partem boream exacte tenere, & chaſma, ſive interius arcus lucidi ſpatium, tenebricoſum eſſe. Deinde, poſt alias nonnullas concluſiones, ex novis ſuis obſervationibus deductas, problema ſolvit, quomodo, datis altitudine lucis borealis maxima, ejusdemque amplitudine horizontali, & latitudine loci, ubi ſpectator eſt, inveniri poſſit vera diſtantia matricis lucidæ, quam ſemper exiſtere in aliquo atmoſphæræ circulo, cum æquatore parallelo, pro certo ponit. *Jo. Georg. de Vernoi* ſinus quosdam cerebri, qui anteriores *Galeno*, aliis ſuperiores, itemque laterales, vocantur, accuratius deſcribit, & ſchematiſmo illuſtrat, maximeque ſinum hippocampi, ſeu vermis bombycini Arantii: in quorum ſinuum ex aliorum deſcriptionibus figurisque addiſcenda ſtructura operam ſæpius ſe perdidiſſe memorat. Idem de lienis in ſano corpore naturali tumore meditationes quasdam ſatis curioſas affert. *Georg. Bernh. Bülffinger* de ſolidorum reſiſtentia ſpecimen exhibet: idem de tracheis plantarum, ex melone deſumtis obſervationibus, nec non de ventriculo & inteſtinis, agit: problema etiam ſolvit,

ſolvit, de vi centrifuga corporis ſphærici, in vortice ſphærico gyrantis. *Dan. Bernoulli* theorema proponit de motu curvilineo corporum, quæ reſiſtentiam patiuntur, velocitatis ſuæ quadrato proportionalem, una cum ſolutione problematis, quod extat in *Actis* noſtris *A. 1728 Menſ. Nov. pag. 523.* Curvæ ſcilicet in problemate deſideratæ hanc eſſe æquationem docet: $dx = c^{2ns} s\,ds$: ubi s denotat ipſum arcum curvæ, x abſciſſam, n numerum, qui multiplicatus per quadratum velocitatis dat reſiſtentiam fluidi, c vero numerum, cujus logarithmus eſt unitas. Idem, ope theoriæ ſuæ de motu aquarum per canales quoscunque fluentium, (quæ theoria reperitur in *altero Volumine Commentariorum Acad. Scient. Petropol*) Staticam fluidorum motorum adornavit integram, cujus ſpecimina quædam hic apponit, ceu exempla, experimentis coram Societate confirmata. Ceterum, ea univerſa, quæ circa res aquarias meditatus eſt, in unum ſe congeſſiſſe Tractatum, ſignificat, propediem, ut ſperamus, publicandum. *Jo. Georg. Leutmannus* anamorphoſeos polyedricæ conſtructionem accuratam tradit, notatis falſarum manuductionum paſſim propoſitarum anomaliis opticis. Idem dilatationem & contractionem metallorum atque vitrorum momentaneam, a calore & frigore ortam, per nova quædam experimenta & inſtrumenta confirmat. Denique ab eodem annotationes nonnullæ & experimenta proponuntur, ad rem ſclopetariam pertinentia. *Joſ. Weitbrecht* de actione muſculorum, ab ipſorum directione pendente, ſpecimen exhibet; ligamentumque clavicularum commune deſcribit; & obſervationes quasdam Anatomicas affert. In his primo loco par muſculorum pectoralium, inſolitum alias, & magnitudinis non contemnendæ, producit, quod in cadavere militis cujusdam obſervavit: inſimulque de alio quodam muſculo extraordinario abdominis, calami ſcriptorii craſſitiem fere habente, & ſibi antea nunquam viſo, mentionem facit. Porro in cadavere fœminæ, 24 annos natæ, quæ maritata fuerat, filiumque pepererat, tubam *Fallopianam* utramque in extremitate, quæ fimbriata eſſe ſolet, coalitam & plane imper-

imperviam deprehendit. Fimbriarum ne vestigium quidem aderat, sed loco illarum bulbus aliquis pyriformis, materia fluida subalbida turgens, in cujus medio fibra plana nervea, cicatriculæ æmula, apparebat, quæ, sub ligamenti specie, usque ad ovarii involucra protendebatur. In eodem cadavere etiam alia quædam curiosa deprehendit: quæ perinde ut observationem de obliquo uteri situ, itemque de abscessu in principio aortæ, hoc loco prætermittimus. Ultimum in Classe *Physica* locum occupant Observationes *Jo. Christ. Buxbaumii*, de Ocymophyllo, novo plantarum genere, de plantis submarinis, & de fungoidibus pediculo donatis.

Restat Classis *Historica*, quam unus implet *Theod. Sigfr. Bayerus*, quatuor Dissertationibus: quarum prima elementa Brahmanica, Tangutana, & Mungalica, persequitur: altera Numos duos *Ptolemæi Lagidæ* explicat; tertia de Venere Cnidia, in crypta conchyliata horti Imperatorii collocata, & de duobus Numis Cnidiis; quarta de Varagis, agit. In superiori *Commentariorum Acad. Petropol. Volumine* Tabulas decem scripturæ Brahmanicæ, Tangutanæ, & Mungalicæ, exhibuit Vir Clarissimus; nunc Tabulas reliquas octo, ex eodem Libro Sinicæ Typographiæ, cum interpretatione sua adjungit. De Brahmanis ipsis memorat, gentem esse Indicam, (quales apud Romanos gentes patriciæ fuere, *Fabia*, *Cornelia*, & *Claudia*,) quæ & divinam originem a *Brama*, supremo Deo, sibi attribuit, & summam nobilitatem, & sacrorum, auspiciorum, docendique alios, quod verum rectumque sit, prærogativam. Sunt igitur Brahmanes diversi a Gymnosophistis. Gymnosophistæ ex quibuscunque aliis gentibus & familiis esse possunt: Brahman ut quis sit, necesse est, nascatur Brahman. Hi, per universam Indiam dispersi, ubi de rebus divinis cærimoniisque tractant, pro diversitate locorum aut peculiaribus linguis utuntur, aut populari quidem aliqua, sed literis diversis, quas sanctas vocant. Literæ illæ vehementer inter se discrepant: ut doctissimus *Bayerus* deinceps ostendit. Idem, ubi de Venere Cnidia disputat, quanquam non temere omnes Veneris statuas, in quibus tot statuarii ingenium ad artem & ne-

 qui-

quitiam exercuere, pro Cnidiis commendandas esse fatetur; minime tamen dubitat, quin statua Veneris, ante annos admodum viginti Roma Petroburgum transvecta, & in crypta conchyliata horti Imperatorii posita, vere Cnidia sit, traducta in exemplum ex *Praxitelis* opere. Describit hanc statuam, & cum duobus numis Cnidiis componit, quorum alterum, e museo Imperatorio productum, ob admirabilem elegantiam iis temporibus omnino inserendum censet, quæ haud ita longe a *Praxitelis* ætate distent: alterius, ex Asia a *Buxbaumio* advecti, eam esse ruditatem ostendit, qualis, post *Antoninorum* tempora, in numis Græcis fere spectatur. Atque hac occasione multa curiosa affert, quæ ad ipsum *Praxitelem*, ejusque duplici exemplo elaboratam Venerem, spectant. De Varagis Noster disserens, principio, inquit, Russi Reges ex Varagis habuere. Pulsis iis, *Gostomislus*, Slavico ex genere, principatum tenuit, intestinis dissidiis infirmum, & a Varagorum afflictum potentia. Illius ex consilio Russi regiam domum ab Varagis revocarunt: *Ruricum* scilicet & fratres. Inde jam Varagorum non infrequens memoria in annalibus Russicis. Qui ex qua gente orti fuerint, cum non satis huc usque constet, refutatis aliorum sententiis, asserere *Bayerus* non dubitat, Varagos fuisse ex Scandinavia Daniaque homines nobiles, socios in bellis, & stipendiarios milites Russorum, Regum olim satellites, limitum custodes, rebus etiam civilibus & magistratibus admotos: atque ab iis deinde in universum omnes Suecos, Gothlandos, Norvagos, Danos, appellatos fuisse Varagos.

Hactenus tres *Commentariorum Petropolitanorum* Classes. Postremum locum occupant Observationes Astronomicæ & Physicæ, in Russia institutæ. Atque huc referuntur Observationes defectus lunæ, habitæ a *Jo. Poleno*, Patavii, A. 1732 Calend. Dec. Has sequitur continuata relatio eclipsium satellitum Jovis, Petropoli observatarum a *J. N. de l'Isle*. Denique *J. N. de l'Isle* Observationem fratris recenset, *Ludovici de l'Isle*, Archangelopoli factam, circa longitudinem penduli simplicis. Ex qua Observatione elicitur, veram longitudinem penduli simplicis Archangelopolitani, isochroni pendulo ad obser-

vatio-

vationem usurpato, excedere longitudinem penduli simplicis Parisiensis, parte fere septima, vel tribus vicesimis unius lineæ Parisiensis.

MACHINES ET INVENTIONS, APPROU-vées par l'Academie Royale des Sciences, &c.

h. e.

MACHINÆ, ET INVENTA, APPROBATA ab Academia Scientiarum Regia, inde a sua fundatione ad nostra usque tempora; una cum illorum descriptionibus. Delineata ac publicata, consensu Academiæ, per GALLONUM.

Tomus V.

Parisiis, apud Gabr. Martin, Jo. Bapt. Coignard, fil. & Hippolyt. Lud. Guerin, 1735, 4 maj.

Alph. 1, Tabb. æn. 65.

Tanta rerum pulcherrimarum notatuque dignarum, quæ in præclaro hoc Opere continentur, est copia, ut de *Tomis* singulis dicendum nobis huc usque singulatim fuerit. Eodem modo versabimur in recensendis, quæ supersunt, *Voluminibus*, progressuri jam ad *quintum*, huic *sextum*, eumque ultimum, addituri *Mense* proximo. In *quinto* igitur illas reperies Machinas, quæ inde ab A. 1727 ad 1731 usque approbatione Academiæ ornatæ fuerunt. Sunt autem, quæ sequuntur. 1) Mensula, sive Instrumentum Trigonometricum, vices gerens Astrolabii, (sive Instrumenti Goniometrici,) & Quadrantis, quem appellant, reductionis, pro Topographiis conficiendis, pyrobolis majoribus projiciendis, altitudinibus astrorum capiendis, navium itineribus absque calculo resolvendis, idque eadem fere præcisione, ac vulgo fit per Logarithmorum Tabulas, autore *Clairaut*, Patre. Valde compositam ex titulo Machinam suspicareris; quæ tamen longe est simplicissima, magnam quippe affinitatem habens cum notissimo proportionum Instrumento. Est scilicet sector circuli, cujus diameter est 21 pollicum, intra cujus radios ingens circumferentiarum concentricarum numerus descriptus est; super quibus notantur omnes tam sinuum, quam numerorum naturalium ad 100000 usque, Logarithmi. Et hæc quidem

dem

dem omnes in Menſula deſcriptæ ſunt, alhidadæ vero, ſive regulæ mobiles, pinnicidiis inſtructæ, formam Inſtrumenti proportionum exacte referunt, & ope cochleæ centro ſectoris in Menſula infiguntur. Judicavit Academia, ingenioſum eſſe hoc Inſtrumentum; quæ vero ſit ejus commoditas & exactitudo, experientia cognoſcendum erit. 2) Clavicymbalum, inventum a *Thevenarto*, quod numero chordarum, (qui eſt ordinarii dimidius,) & plectrorum conſtructione, a vulgaribus differt. 3) Pons, ſuper navibus conſtructus, & inventus a *du Bois*, qui in duas partes ſeparari poteſt ope duarum ergatarum, ita, ut neque a torrente impetuoſiore, neque a fruſtis glacialibus, detrimentum patiatur. Ingenioſa eſt tota conſtructio, & ſolida, adeoque utilis, modo in ejus uſu adhibeantur quædam adhuc præcautiones. 4), 5), & 6), Globus cœleſtis mobilis, cum ſuis additionibus & ulteriori perfectione, inventus ab *Outhierio*, Diœceſeos Veſontienſis Presbytero. Globus cupreus diametrum habet 5 pollicum, & ſuſtinetur ab axe mundi & meridiano, ut ſphæræ ordinariæ. Æquator in 360 gradus, & ecliptica in ſigna ſua diviſa eſt, ut vulgariter: ſed præterea in interiore Globi cavitate horologium pendulo inſtructum collocatur, cujus ope horæ, &, ſi velis, minuta, in circulo horario (qui eſt ut in Globis ordinariis,) indicantur, totusque Globus ſpatio 23 horarum, 56 minutorum, circum axem revolvitur. Circa polum Eclipticæ auſtralem inveniuntur duo brachia, una cum circulo vel rota aliqua eccentrica, quæ moventur a tympanis & rotis, quarum numerum & proportiones Inventor ſibi reſervavit. Unum ex brachiis vehit Solem, alterum latitudines lunæ efficit, & rota eccentrica nodos lunares contra ordinem ſignorum in Zodiaco movet. Globus eburneus ex parte niger, ex parte albus, in extremitate brachii ſecundi fixus eſt, qui Lunam repræſentat, & hemiſphærium album (i. e. illuminatum) Soli ſemper obvertit, qua ratione phaſes Lunæ indicantur. Brachium, quod Solem vehit, ita artificioſe movetur, ut Sol per octiduum in ſignis eclipticæ borealibus plus commoretur, quam in auſtralibus. Ope itaque artificioſiſſimi hujus Globi ſemper videre licet, 1) ortum & occaſum Solis, & locum in ecliptica, anni menſem & diem, differentiam temporis

ris

ris medii & veri, declinationem, altitudines meridianas, &c. 2) ortum, culminationem, & occasum Lunæ, locum ejus in Zodiaco, conjunctiones, oppositiones, &c. latitudinem australem vel borealem, & per consequens eclipses tam Solis, quam Lunæ, &c. Judicemus exinde de ingenio Inventoris. 7) Horologium arenarium, propositum a Comite *Prospero*, quod tempori satis accurate dimetiendo inservire potest, nisi incommodum patiatur ab incommodis talium Horologiorum communibus, & ab alterationibus ex aeris injuria vel climatum variatione oriundis, si mari adhiberetur, ut taceamus, illud non nisi ab hominibus expertis, & magna attentione tractari debere. 8) Novum pro Telescopiis instrumentum, quod Cl. Editor appellat *Cric*, inventum a Cel. *Mairano*, cujus structuram hic exhibemus. Scilicet *A* est parallelepipedum, quod sustinent tria fulcimenta *B*, *C*, *D*, juncta ope transversalium regularum *E*, *F*; parallelepipedum hocce in *A* foramine quadrato pertusum est, per quod adscendit descenditque arbor prismatica quadrata *YGK*, ope funis *HS*, qui in *K* duplicatur, & postea per annulos *L*, *M*, transit, tandemque cylindro *NO* circumvolvitur, qui ope ansæ *N* convertibilis est; hacque ratione arbor *YGK*, una cum Telescopio, quod in *T* constitutum est, attolli demittique commodidissime poterit. Evidens est, frictionum resistentiam huic Machinæ peropportunam esse, & hic eo magis utilem, quo magis nociva est Machinis aliis. Cum vero continua partium attritione frictiones Machinarum vehementer imminuantur, id quod nostræ valde incommodum accideret, (cum ansam manu semper tenere deberet observator,) huic malo ita medetur Cel. Inventor, ut alium adhuc funem cylindro *NO* applicet, cui appenditur pondus *R*, 4 vel 5 librarum, quod cylindrum in directionem priori contrariam trahet. Ceterum funiculus *VX* inservit tubo versus astra elevatiora commode dirigendo. Quanta sit Machinamenti hujus præ ordinariis commoditas, facile perspiciet, qui consideraverit virgas vel arbores (qualis hic est *XY*,) ferreas ac dentatas, adeoque, ut taceamus reliqua, nimis sumtuosas, quæ quidem communiter adhibentur. 9) Machina, cujus ope terram absque jumentorum auxilio arare licet, proposita

TAB. IV Fig. 2.

fita a *Jaravaglia*, quæ magnam cum illa affinitatem habet, quæ jam circa annum 1720 inventa fuit a *Tſchudio*, Helveto. Anni 1728 Inventa fuerunt: 1) Follis continuus, propofitus a *Teralio*. Conftructio autem prorfus nova haud eft, utpote in aliis jam Machinis, quas recenfuimus, jam adhibita, & defcripta *Agricolæ* in fua *re metallica*. 2) Machina, cujus ufus eft in plumbo in laminas diducendo, Academiæ exhibita a *Fayollio*, & cujus ftructuram quoad fingulas partes 14 integris Tabulis Cl. Editor exhibet. In *Hiftoria Academiæ ad h. a.* narratur, eam non multum differre ab illa, quæ Hamburgi ad ufus eosdem exftructa fit. Notat vero Cl. Editor, eam præcipue ex Anglia ortum fuum traxiffe. Cum autem explicatio ftructuræ, utpote nimis longa, & plurima requirens fchemata, hic exhiberi nequeat, juvabit aliqua de effectibus hujus Machinæ perutilibus annotaffe. Refert igitur Cl. Editor, Machinam hancce conftructam tanta præcifione atque exactitudine fuiffe, ut Tabula plumbea 15 vel 17 pollices fpiffa in laminam adeo tenuem redigi queat, ut folio chartæ haudquaquam fit fpiffior. Plumbum ne minimam quidem alterationem fubit, uti quidam contenderunt. Tabulæ funt planiffimæ, compactæ, & malleo ductiles. Nulli tumores, aut quæ funt alia hujusmodi, repetitis plurimis tentaminibus in eo deprehendi potuerunt, &, ut paucis dicamus, frequens ufus ejus præftantiam, adeoque & Machinæ, fatis jamjam comprobavit. Ceterum, qui exactam harum rerum notitiam fibi comparare voluerit, eum Cl. Editor ad Tractatum aliquem ablegat, qui infcribitur: *Memoire fur le Laminage du Plomb, mis au jour par Mr.* Remond, *de la Societé des Arts, à Paris, 1731*, 4. Notamus adhuc, Tabulas 13 & 14 exhibere Machinas, quæ inferviunt prifmatis plumbeis fundendis, & commode transferendis. 3) Modulus pro fundendis ex plumbo tubis, ab eodem Autore propofitus, qui pluribus in locis jam in ufu eft, & una cum priore ex Anglia translatus. 4) Machina, cujus ope ingentia onera elevari poffunt, propofita a *Montignio*. Conftructio iisdem prorfus principiis innititur, quibus ufus eft *Garouftius* in vectibus fuis, & parum quoque differt a fucula *Dalefmai*, quæ peculiari Sche-

Schediasmate describitur in *Commentariis Academiæ Scientiarum ad A. 1716.* Scopus Autoris fuit, Machinam suam in eo navium loco collocare, ubi vulgo sunt ergatæ; quamvis autem sine dispendio temporis agere possit, motus tamen Cl. Editori videtur lentior, quam ut iis casibus applicari queat, qui magnam omnino operæ promtitudinem efflagitant, prout fieri in navibus solet. 5) Ejusdem Instrumentum pro altitudinibus mari capiendis; cui additus fuit 6) modus istud commode suspendendi, quæ ambo in praxi non inutilia fore, Academia judicavit. 7) Nova dispositio Horologii, horas repetentis, (quod vulgo appellant *horloge à repetition*,) inventum a *Juliano le Roy.* Partes, quæ Horologium hocce ingrediuntur, eædem plane sunt, quæ in ordinariis; ut adeo totum discrimen ad partium dispositionem redeat. Scilicet illæ, quæ repetitioni horarum inserviunt, partes corpori Horologii haud includuntur, sed extus construuntur; id quod talium rerum curiosis non potest non esse perjucundum, cum ea ratione integram partium combinationem, motum, & effectus, contemplari libere liceat. Ut taceamus aliud adhuc commodum, quod scilicet pro correctione repetitionis minime opus sit pendulum sistere, aut plane auferre, utpote quod ab ipsa prorsus separatum est. Tale Horologium ab Inventore affabre confectum, & in ipso Regis cubiculo collocatum fuit. 8), 9), & 10, Pendulum, quod tempus apparens monstrat, inventum a *Petro le Roy.* Cum plurimi jam præstantissimique Artifices in construendis ejusmodi Horologiis desudarint, & certatim quasi sese exercuerint, Academia hanc de nostro sententiam tulit, quod cum perfectissimis, quæ huc usque constructa sint, de palma certare possit. Præcipuum est, quod Autor curvam æquationis, de qua sæpius jam diximus, quæque una cum rota annua revolvitur, juxta annum solarem exactissime diviserit, ita, ut spatio 365 dierum, 5 hor. 48′ 5¼″ præcise revolvatur. Quomodo vero anni bissextiles ostendi possint, id ingeniosa prorsus ratione excogitavit Autor, ut nulla omnino correctione opus sit, quæ alias in annis bissextilibus omnibus horologiis talibus adhiberi debet, & tempus anni solaris cum tempore an-

ni

ni civilis in justa semper relatione maneat. Effecit quoque Artifex, ut tempus verum ipso campanulæ sono indicetur, modo, qui omnibus horologiis applicari potest, si nempe sint circulo æquationis instructa. Imo, quod plus est, omnes illæ partes, ex quibus motus annuus cum æquatione temporis dependet, ab iis rotis moventur, quæ sonum horarum efficiunt, id quod non nisi percommodum est, cum non magis oneretur pendulum, ac in Horologiis ordinariis, & quæ sunt alia hujusmodi, magno ingenii acumine excogitata, & feliciter ad praxin perducta. 11) Modus efficiendi, ut tempus verum indicetur ab Horologio, horas repetente. Inventoris nomen non additur. 12) & 13) Horologii repetentis constructio, proposita a *Collierio*. Motus penduli eadem prorsus ratione, ac in horologiis vulgaribus, efficitur. Omnis itaque differentia ad illas partes redit, quæ horas repetunt, ab Autore magis perfectas. Scilicet Horologium hocce in eo aliis præstat, quod non quadrantes modo, sed & semiquadrantes horarum, repetat, malleolosque simplici admodum & ingeniosa ratione impellat. Præterea quoque nova illius partis constructio traditur, quam Galli appellant *le Tout ou Rien*. Quid hoc rei est? Constat nimirum, Horologium repetens ope funiculi alicujus, vel alia adhuc ratione, veluti trudendo, ut in portatilibus fieri vulgo solet, sollicitari debere; at vero, cum sollicitatur justo debilius, falsam omnino horam repetet, & ab ea, quam scire cuperes, differentem; opus itaque est Machina, quæ impediat, quo minus cuilibet sollicitationi Horologium respondere possit, nec prius horam quæsitam repetat, quam sat fortiter traxeris, vel truseris; ut adeo hora exacte, aut nihil omnino, repetatur. Ex hoc igitur officio id nominis huic parti inditum est, quam nova ratione construere docet Autor, quæ non solum facilioris est executionis, sed iis etiam erroribus, quibus vulgares laborant, haud obnoxia. 14) Horologium, duplici pendulo instructum, cujus præcipue usus mari esse debet, inventum & propositum a *Du Tertrio*. Videamus, quomodo duplex pendulum oscillationes peragat suas. *A* est rota dentibus unciformibus prædita. *B* & *C* sunt aliæ duæ, suis semet invicem dentibus in partes contrarias sollici-

tan-

tantes, instructæque pinnis *E*, *F*, quæ dentes rotæ *A* impellunt. Pendula *L* & M ex filo non suspenduntur, sed axibus rotarum *B* & *C* firmiter affixa sunt. Quamcunque igitur corpus Horologii inclinationem in navi subeat, oscillationes penduli duplicis *L*, *M*, exinde non mutabuntur. Supponamus e. g. Horologium a sinistra dextram versus inclinari; pendulum *L* eadem vi versus *M* descendere conabitur, qua alterum *M* versus *L* adscendere; sicque duæ vires æquales, & sibi mutuo oppositæ, semet invicem elident. Cetera mechanismus hujus Horologii, quod veluti pyxis nautica in navi suspendendum est, a vulgaribus parum differt. En Anni 1729 inventa: 1) Machina, inserviens superficiebus quibuslibet, regularibus vel irregularibus, opere tornatorio producendis, inventa, & integro scripto proposita, a *de la Condamine*, Regiæ Scientiarum Academiæ Membro. Notum est, principalem torni partem esse machinulam, quæ ob figuram, qua sæpius gaudet, rosula (*rosette*) appellatur, utpote cujus auxilio omnis operum tornatorum diversitas obtinetur, & sine quo nil nisi rotunda efficere liceret. Novitas igitur Machinæ præsentis in applicatione, variaque hujus rosulæ actione, consistit. Effecit enim Cl. Inventor, ut ope unius ejusdemque rosulæ (quæ fere quadrata est) infinitæ figuræ designari possint, sola stili apta collocatione, qui deinceps ab ipsa Machina dirigitur; id quod omnibus huc usque tornatoribus factu impossibile fuit, utpote qui pro qualibet figura opus habent rosula singulari, parum differente a figura, quæ designari debet. Refertur in *Historia Academiæ ad h. a.* Autorem in scripto suo exhibuisse examen earum curvarum, quæ ope hujus torni in plano describi possunt, sic, ut hæc materia prorsus fere nova & quammaxime fœcunda evaserit, in qua se Mechanicum & Geometram præstiterit. 2) Ejusdem Machina, inserviens rosulis omnium formarum ex orichalco facile conficiendis, quæ non potest non esse perutilis, cum id difficillimum sit methodis vulgo usitatis. 3) Tornus, inserviens cochleis omnium generum absque arboris auxilio recte sulcandis, inventus a *Grand Jean*, Academiæ Regiæ Scientiarum Membro. Machinæ hujus ope distantiæ helicum cochleæ vel æquales, vel inæquales, fieri possunt, prout desideraveris. 4)

Follis pro officinis ferrariis, autore *Teraffio*, qui duas hanc in rem constructiones proposuit, quarum posterior priori præferenda est, utpote simplicior, nec illo partium motarum strepitu laborans, quo prior. Ceterum principium constructionis novum haud est, utpote jam ab *Agricola* adhibitum *de re metallica Lib. VI pag. 62.* Nihilo minus pro nova recipi debere applicationem Machinæ, utpote qualis nondum facta est, Academia judicavit. 5) *Du Queti* Machina pro navibus adverso flumine trahendis, qualium plures jamjam recensuimus; quæ multa communia habet cum Machinis *Bologniana* & *Coroniana*, paulo ante memoratis, sed in eo differt, quod loco rotarum, quæ a torrente impelluntur, adhibetur vannus quasi aliquis, arbori cuidam (quæ inter duo navigiola fixa eorum lateribus parallela est,) spiralis instar circumvolutus, & ex rectangulis ligneis, qualibus vulgo in rotis aquariis utuntur, compositus, quod constructionis genus in nulla adhuc ejusmodi Machina invenitur. Notamus in transitu, de impulsu torrentis in rectangula vel palas hasce, quas Gallice vocant *Aubes* vel *Palettes*, duo Schediasmata dedisse *Pitotum* in *Commentariis Acad. Scient. ad h. a. pag. 359* & *540 seq.* ubi peculiari opera *Bologniana*m, *Caronianam*, hancque *du Quetianam* Machinas examinavit, earumque correctiones ulterius indicavit, quæ itaque Lector Mathematicus & curiosus consulere poterit. 6) Machina, inserviens altitudinibus mari capiendis, autore *M****, quæ aliquibus adhuc incommoditatibus obnoxia videtur. Anno 1730 Academiæ approbationem meruerunt: 1) Machina, inserviens malleis prægrandibus movendis, quorum in officinis ferrariis majoribus usus est, ita, ut a duobus hominibus unus facile regi possit, proposita a *Compagnoto.* Inventum satis est ingeniosum, nec sua destituitur utilitate. Contenditur enim, Machinæ hujus auxilio a duobus hominibus malleos 1000 imo 1500 librarum elevari, ac 200 ictus unius horæ spatio absolvi posse. Quod autem constructio non sit nova, exinde patet, quoniam similis fere & iisdem principiis innixa describitur Machina in *Theatro Machinarum Mathematicarum & Mechanicarum Jacobi Bessons*, quod prodiit Lugduni A. 1569, fol. *pag. 12.* 2), 3) & 4) tres Machinæ Arithmeticæ, inventæ ab *Hillarin de*

Boi-

Boiſtiſſandeau, quarum a Cl. Editore ſat ampla deſcriptio, ſcilicet inde a *pag.* *103* usque ad *124*, exhibetur. Negavit Autor, ſibi unquam viſum fuiſſe Machinæ Arithmeticæ *Paſcalianæ* exemplar, aut lectam deſcriptionem. Ceterum Machina ejus multis in rebus ſimilis eſt *Leſpiniana*, cujus in ſuperiori *Menſe* mentionem fecimus. Operationes, quæ ope Machinæ primæ fieri poſſunt, ſunt, additio, ſubtractio, multiplicatio, diviſio, & quidem in numeris determinatis, ut libris (*livres*), aſſibus (*ſols*), & denariis (*deniers*); item reductio librarum in aſſes, aſſium in denarios, & vice verſa. Et hæ quidem ſunt, quæ ope primæ Machinæ fieri poſſunt, operationes Arithmeticæ, quæ ipſi cum *Leſpiniana* illa ſunt communes. Secunda autem Machina primam longe antecellit, utpote quæ frictionum incommodis laborat, & ad libras, aſſes, denariosque ſolos, reſtringitur. Secundæ vero motus longe ſunt leniores omnibus iis, quæ eam præceſſerunt; &, quod palmarium eſt, ſola aliqua rotæ mutatione, in promtu facienda, ſic diſponi poteſt, ut omnis generis numeros determinatos calculo ſubjicere detur, v. g. hexapedas, pedes, marcas, uncias, groſſos, & quæ ſunt infinita hujusmodi. Tertia Machina levibus ſolum mutationibus quibusdam a ſecunda differt, eosdemque præſtat effectus. Præcipuum, quod facilitati & æquabilitati motuum in hiſce Machinis quamplurimum conducit, eſt, quod evitentur intricatæ elateriorum complicationes. De omni itaque ſucceſſu haudquaquam dubitandum eſt, cum præſertim exemplaria lignea jamjam exhibuerit Autor. 5) Candelabri alicujus conſtructio utilis, inventa a Virgine quadam, cui nomen eſt *Mademoiſelle du Chateau*. Uſus ejus inprimis hic eſt, ut candela in eo collocata ad ultimam usque particulam conſumi debeat; mechaniſmus autem in aliis quoque inſtrumentis jam adhibitus fuit. 6) Machina, quæ inſervit triremibus impellendis, inventa ab Illuſtriſſimo Comite Saxoniæ, & applicata triremi, quæ 19 in utroque latere remis inſtruitur. Judicata fuit peringenioſa, & ex optimis principiis feliciter deducta. Cum vero in hac ipſa, quam diximus, triremi ad praxin perducere-tur, viſa fuit nimium affici a frictionibus, quæ motum ejus duriorem reddunt. Præterea perſpectum fuit, vim vel impulſum

ab ea remis impreſſum non eſſe adeo fortem, ut navis integro illo temporis ſpatio protrudatur, quo ad elateres rurſus tendendos opus eſt; eam igitur a torrente per ſpatium aliquod iterum retuſum iri, nec celeritatem conſervare conſtantem. Ceterum ſubducto calculo reperitur, vim huic Machinæ applicandam eſſe debere ad reſiſtentiam ponderis ut 9 ad 1357⅘. Anni 1731 Inventa referuntur hæc: 1) Modus naves in mare commodius, ac fieri ſolet, immittendi, reficiendi, & carinandi, propoſitus a Cl. totius hujus Operis Editore, *Gallono*, qui copioſam ejus explicationem, & Tabulis quatuor illuſtratam, dedit. Tota res eo redit, ut in portubus conſtituantur alvei nova ratione diſpoſiti. Uſus alveorum (*Baſſins*) eſt in reficiendis præcipue navibus. Modus hic multum differt ab aliis, qui in celebribus portubus Breſtienſi ac Rupefortenſi adhibentur. Ita enim excavandus eſt, ut aqua marina per duas portas ipſi ſemper affluere poſſit, profunditatemque determinatam conſervet; aqua igitur, in alveo contenta, cum aqua marina ad libellam erit. Cum vero latera alvei hujus multo altiora ſint, plus etiam aquæ pro re nata ei immitti poterit. In ejus extremitate, quæ omnium longiſſime a mari diſtat, alius adhuc alveus exſtruendus eſt, cujus fundus paulo elevatior ſit libella maris, & parietes prioribus altitudine æquales. Intra hunc alveum naves facile, & absque ulla moleſtia, ædificabuntur. Quando autem in aquam immittendæ ſunt, id hac ratione fiet. Claudendæ ſcilicet ſunt portæ alvei prioris, & is ope antliarum quamplurimarum aqua penitus implendus; cumque poſterior alveus priori junctus ſit, ſimul aqua abunde & ultra ſummitatem implebitur, adeoque navis in eo conſtructa fluctuare incipiet, & in alveum priorem facile transferri poterit. Quo facto, aperienda ſunt quamplurima ejus emiſſaria (*Sabords*), tantumque aquæ ſuperfluæ emittendum, donec alveus cum mari ad libellam reſtitutus ſit; tuncque, apertis portis, navis ſine ulla moleſtia aut reſiſtentia mare ingredietur; id quod erat faciendum. Autor hanc methodum in mari præſertim mediterraneo adhibendam proponit, quippe quod fluxu & refluxu caret; in oceano autem plures forſan exceptiones contra ipſam fieri poſſe fatetur. Quo vero ejus tam ſimplicitas, quam præſtantia, eo

magis

magis pateat, perpetuam comparationem cum illa instituit, qua in portubus quamplurimis utuntur; nullumque est dubium, quin hic Cl. *Galloni* modus longe simplicior, minus sumtuosus, expeditior, & securior, censendus sit. Et, quo melius Academiæ de eo judicium suffragiumque lector perspicere possit, integrum approbationis testimonium, quod ab ea obtinuit, *pag. 152 – 154* inferendum curavit. 2) Machina, inventa a *Buissono*, in re monetaria usum habens. Ejus enim ope monetariorum securitati prospicitur, ne, dum signantur monetæ, eorum digiti contundantur, licet id quidem raro contingat. Inservire in iis quoque casibus poterit, ubi monetarii non adsunt satis exercitati: nummus enim, ictu signandus, a Machina in locum competentem protrudetur, absque hominum auxilio. 3) Machina hydraulica, inventa a *Denisarto* & *de la Deuille*, ordinis sacri viris, Academiæ exhibita a *le Brun*. Dignam judicavit Cl. Editor, quam suse describeret, & Tabulis omnino sex delinearet; est enim magna ingenii vi inventa, & ad executionem feliciter perducta. Opus est castello elevato, ex quo aqua per tubum decidit; tuncque, opitulante Machina, ad altitudinem satis grandem iterum elevabitur. Postquam elevata fuit, quædam ejus pars rursus descendere debet, & denuo in Machinam actionem exercere suam; & hæc aqua, una cum illa, quæ e castello semper decidit, duo sunt motus principia in tota Machina. Cum exstructa fuisset in loco, cui *Seve* nomen est, constitit, castelli altitudine existente $9\frac{1}{2}$ pedum, aquam ad 32 pedes elevari, adeoque viginti duos ultra castellum pedes. Spatio diei unius adscendunt 120 modii, ex quibus vero non nisi 6, adeoque vigesima pars, usui sunt, cum reliqui ad movendam Machinam descendere rursus debeant, uti modo diximus. Dubium autem non est, quin tota Machina sic ulterius corrigi possit, ut plus quam $\frac{1}{20}$ aquæ elevatæ ad usus redeat. Notatu adhuc dignum est, omnes fere frictiones ab hac Machina penitus exulare. 4) Abacus, qui inservit plurimis operationibus Arithmeticis expediendis, propositus a *de Mean*. Nil aliud est, nisi communis Abacus Pythagoricus, sed amplior, & usibus pluribus accommodatus, additioni scilicet, subtractioni, multiplicationi, divisioni, reductioni fractionum ad simpliciores-

denominatores, & quæ ſunt alia hujusmodi, Mathematicorum curioſitate non indigna. Ceterum Abacus hic inſerendus eſt ei Inſtrumento, quod Autor A. 1724 propoſuit, ubi quamplurimorum aliorum proprietates unitæ ſunt, uti eo loco diximus. 5) Rheda (*Chaiſe roulante*), quæ movenda eſt ab homine, in poſtica ejus parte collocato, propoſita a *Maillando*, diverſa ab iis, quæ huc usque ſunt inventæ, ac deſcriptæ, & majoribus itineribus (intellige, quæ in planitiebus fiunt,) accommodatior. 6) Alia ejusdem generis Rheda, inventore eodem, quam is ipſe, qui in ea ſedet, movere poteſt & debet. Et ſic quoque *Tomum quintum* abſolvimus, de *ſexto*, eoque ultimo, proxime dicturi.

NOVA LITERARIA.

Rem longe gratiſſimam facturus iis, qui in jura publica potentiſſimarum gentium magno ſtudio inquirunt, nobilis Hagenſium Typographus, *Jo. Neaulme*, in eo nunc eſt totus, ut *Acta & conventiones publicas Regum Angliæ*, a *Thoma Rymero* olim collectas, Opus & mole magnum, & ſelectu optimarum rerum egregium, ſed majori, quam e re eſſe plurimorum videtur, huc usque pretio ab editoribus Anglis divenditum, in minorem *Voluminum* numerum redigat, efficiatque hac ratione, ut æquiori, quam olim, ſumtu in manus venire eruditorum poſſint. Nimirum, typis uſurus longe, quam habent binæ illæ Anglorum editiones, minutioribus, etſi ne ſic quidem oculorum nimis aciem fatigantibus, univerſum illud *viginti Voluminum* Opus, nulla parte mutilatum, quin acceſſione aliqua ditatum, in *Volumina decem*, nec ea juſto grandiora, coget. Dabit novæ huic editioni, forma majori prodituræ, titulum: *Fœdera, conventiones, literæ, & cujuscunque generis Acta publica, inter Reges Angliæ, & alios quosvis Imperatores, Reges, Pontifices, Principes, vel Communitates, ab ineunte Seculo duodecimo, viz. ab A. 1101, ad noſtra usque tempora, habita aut tractata: ex autographis, infra ſecretiores Archivorum Regiorum theſaurarias per multa Secula reconditis, fideliter exſcripta. In lucem miſſa de mandato nuperæ Reginæ, accurante* Thoma Rymer, *ejusdem Sereniſſimæ Reginæ Hiſtoriographo. Editio tertia, ad originales Chartas*

in turri Londinensi denuo summa fide collata & emendata, studio Georgii Holmes; *X Voluminibus in folia comprehensa*. Habebit hæc editio præ vetustioribus illis id præcipui, quod Operi universo accedet rerum notabiliorum Iudex generalis, cum Editores Angli singulis Voluminibus singulos Indices adjecerint, id quod in tanta Voluminum copia non potest non molestum accidere. Præterea, quæcunque olim Anglico sermone legebantur, hic in Gallicum translata comparebunt, servatis tamen simul ipsis Anglicis, ut ad hæc conferri possit Gallica interpretatio. Opus omne plagulis circiter bis mille constabit, quibus statutum est pretium Florenorum Belg. 112 & st. 10 in charta, quam vocant, scriptoria, Florenorum 168 & st. 15 in charta regia seu maxima. Sed hæc ita in portiones dividentur, ut Floreni 10 intra mensem hunc & proximum, totidemque accepto *Tomo primo*, & sic porro, accepto vero *Tomo ultimo*, Floreni 12 & st. 10, solvantur. Exemplaria Operis non nisi quingenta & quinquaginta prelo exibunt, nisi major forsan eorum, qui nomina sua dederint, fuerit numerus. Utque certo constet, non esse plura publicata, singula exemplaria numero suo signabuntur, & nomina eorum, qui societatem cum Typographo inierunt, in ipsa Operis fronte præfigentur. Si forte plura in posterum Operis hujus Volumina in Anglia prodierint, eadem huic editioni additurum, recipit Typographus. In chartæ elegantia & nitore literarum, quod desideres, nihil erit. Eam spem nobis facit specimen Operis, nuper demum publicatum, quod mire nobis placet, legentiumque oculos pascit. Mense Martio anni 1738 in manus tradetur emtorum *Volumen primum*, cui alterum Mense Septembri ejusdem anni, &, sic, exactis mensibus sex, cetera singulatim, succedent. Symbolas colligendi cura demandata est, ut in aliis urbibus Typographo nobilissimo cuique, ita hic Lipsiæ *Casparo Fritschio*, in cujus etiam officina ipsum, quod diximus, Operis specimen cuilibet expetenti dabitur inspiciendum.

Sudant jam sub prelo *Jo. Brœdeletii*, Typographi Ultrajectini, *G. Marani*, JCti Tolosani, *Opera juridica*, rarius huc usque obvia, sed omnibus elegantioris doctrinæ studiosis cupidissime expetita. Curam edendi suscipiet elegantissimæ eruditio-

tionis JCtus, *Christian. Henr. Trotzius*, patria Westphalus, sed Batavorum gloriam hoc tempore feliciſſime ſuſtinens, qui, ut prorſus eſt aptiſſimus ad ſpartam hanc ornandam, ita recognoſcendis elimandisque his Operibus inſignem operam impendet, doctiſſimaque Præfatione eruditiſſimi *Marani* in bonas literas præclara merita commemorabit.

Ex ejusdem officina *Brædeletii* quamproxime prodibit *Emundi Merillii*, notiſſimi inter elegantiores Jurium doctores nominis, *in Inſtitutiones Juris Commentarius*, denuo nunc editus, & ejusdem *Trotzii* Præfatione compoſitiſſima inſtructus. Gratus hic nuntius ſine dubio iis, qui ægre huc usque caruerunt pulcherrimo hoc doctrinæ *Merillianæ* monumento, tanta antiquitatum Juris copia redundanti, ut eo nomine cum paucis aliorum ſcriptis comparari poſſit.

Nec tacebimus præclarum inſtitutum, cui ſe nunc idem *Trotzius* cum ſuo *Brædeletio* accingit, in magnum quoddam corpus colligendi ſcripta præſtantiſſima, & Philologiæ æque, ac Jurium, amantibus percara, duorum in Germanis JCtorum, *Alberici & Scipionis Gentilium*, patris & filii, quorum ſancta eſt inter cives noſtros, & eſſe debet inter exteros, memoria, ob incomparabilem doctrinam, poſitumque in illuſtrandis legibus Romanis inſigne ac minime vulgare ſtudium.

Æque ſalutare eſt Viri hujus egregii conſilium, aureum illum *Sam. Petiti in Leges Atticas Commentarium*, nunquam nec laudandum ſatis, nec ſatis commendandum, denuo in lucem proferendi, & ſuis partim, partim aliorum in Critica heroum, doctiſſimis Annotationibus ornandi.

Gaudentes etiam propediem expectamus elegantiſſimi hujus JCti novam *Hugoniani de origine ſcribendi* libelli editionem, multo ſtudio recognitam, annotationibusque prorſus egregiis inſtructam. Cui ſi & brevi poſt adjecerit *Epiſtolas Symmachi*, in quibus emendandis partim, partim illuſtrandis, certo ſcimus nunc eſſe totum, inſigni profecto ſibi beneficio rem literariam, doctosque homines ad unum omnes, obſtringet. Nos deſtinatis hiſce, cum magno famæ *Trotzianæ* incremento conjunctis, non tantum applaudimus ex merito, ſed lætos etiam proſperosque ſucceſſus ex animo comprecamur.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii Anno MDCCXXXVII.

JAC. AUGUSTI THUANI HISTORIÆ SUI temporis.

Tomi VII.

Londini, excudi curavit Samuel Buckley, 1733, fol.

Tom. I Alph. 10 plag. 12, Tom. II Alph. 9 plag. 7, Tom. III Alph. 9 plag. 9, Tom. IV Alph. 9 plag. 18, Tom. V Alph. 9 plag. 6, Tom. VI Alph. 8 plag. 17, Tom. VII Alph. 11 plag. 14.

Cum *Jac. Augustus Thuanus* illustrem suorum temporum memoriam complexus eo Opere esset, quo adeo superasse gravissimi argumenti gratiam putabatur, ut, cum omnes dignitatem utilitatemque rerum esse maximam cognovissent, qui tamen præter res in eo excellens omnino nihil, & ad vitam prudentia instruendam, & ad animum artis & doctrinæ luminibus oblectandum, sectaretur, reperire potuisset neminem; ex eo jam multum in vita veræ gloriæ eum constat meruisse. Inerat enim ei ingenium amplum, sublime, magnificum; tanta vi, æquabilitate, constantia, industriaque, ipsis rebus gerendis promtum, quanta in cognoscendis iis alacritate ac vigore abundabat. Fieri itaque non poterat, quin admirabili nascendi felicitate, cognataque quasi immotæ sortis

& fatorum lege, tali ne ævo ex posteritate honos deesset, his omnibus ille ad Historiæ dignitatem bonis instructus, antecessiones rerum animadverteret, causas reperiret, progressus notaret, componeret atque exigeret diversorum temporum congruentes inter se connexasque plane similitudines, consequentia denique & eventus, tanquam qui cœli tempestates permutatione aeris ex longinquo prævidere solent, conjungeret, & in omnes partes conformaret; ut, non minorem eam esse, quas legentium animos contineat, voluptatem, sit necesse, quam qua ipse omnia in luce sibi collocata atque disposita, concinnoque ordine ac ratione manifesta, conspexisset. Cui tam præclaro muneri natura, ne parum in ornando eo vices suas experta, atque ostentasse divitias, videretur, adjunxerat judicium, temperamento & conspiratione omnium virtutum, quas sibi vindicat humana ratio, mirabile. Tanta enim cura sapientiaque ubique perspexit, quæ vera, quæ falsa sint, ambigua distinxit, repugnantia contemsit, ut, res aut eo, quo is explicavit, modo gestas fuisse, aut omnino geri non potuisse, facile crederes. Jam delectus rerum, ordo tractationis, vis explicandi, ardor docendi, sententiarum dignitas, orationis perspicuitas, copia, & splendor, superarant huic, quem natura & majorum genius tantum Historicum finxerant instruxerantque; cum accessit his longe major aliqua & nobilior virtus, quæ sola reliquarum in eo jacturam pensare abunde potuisset, si forte Dii immortales hoc beneficium suum integrum invidere nobis, nec potius humano generi alterum hoc a *T. Livio* decus, quo potissimum suam gloriam excellentiamque æstimaret, concedere in magnæ atque inusitatæ virtutis honorem ac solatium voluissent. Quæ laus semper tanta fuit, ut eam ne nominare quidem in *Thuano* opus sit, cujus solo, quando audiunt, nomine summi ac perfecti in veritatem amoris appellationem quandam, qua nulla reperiri possit honorificentior, contineri, intelligunt omnes. Adeo ubique impavidus & candidissimus omnium rerum æstimator, nunquam deseruit ingentem generosæ & erectæ vim mentis, conscientiæ integerrimæ spiritus ac libertatem; ut, omnibus in rebus nihil ipsum animo, omnia rebus,

bus,

bus, dedisse, in aperto sit. Nunquam non vitia virtuti pœnas vituperata, virtus vitiis infamiam dat laudata. Quodsi Romani olim Diis gratias agendas putarunt pro maximo, quos liberi viderant, imperatorum, quod is in sua potissimum republica natus esset, quod, ubicunque is imperator exstitisset, ibi imperium orbis terrarum esse oportuisset; nos profecto hoc uno nostræ ætatis felicitatem metiendam putamus, quod ea *Thuanum* tulit, cum, cuicunque ævo is Historicus contingere potuerit, ejus virtutem atque memoriam satis sanctam illustremque deberi, facile intelligamus. Quæ, cum nemini possint esse obscura, cujus rei causa hic a nobis differantur, ut cognoscant Lectores nostri, hoc sibi, cupimus, persuadeant, cum *Thuanus* tantum, quantum a nullo ævo tribui possit, meruerit honoris, cumque invida quamvis & tanquam conjurata in eum sua ætas nullam tamen debitæ ei gloriæ partem eripuerit, nihilo minus nunc demum de ingrato erga tanta beneficia genere humano pulcherrimam videri reportasse victoriam, quando ab hac cultissima potiorem partem, & tot literarum bonis circumfluente, ætate ejusmodi consecutus est ingenii doctrinæque testimonium, eam ad nominis immortalitatem commendationem, ut jure dubites, cujus major sit laus seculi, superiorisne, quod genuit, an hujus, quod divini viri tanquam cœlo delapsam operam justissimo judicio æstimandam, insignique ornandam studio, præclare suscepit. In quo illud perquam auspicato evenit, quod hæc potissimum cura ab Anglis sit profecta, quæ gens, qua est ingenii libertate animique magnitudine incredibili, ingeniorum hodie delectum diligentissime servat, polletque acutissimo judicio ad colendas artes exercitationesque literarum, quas, Romanorum exemplo, quibuscum dudum ei libertatis intercessit æmulatio, ingenti hominum ad id maturitate acerrime sequitur. Ex iis itaque magnæ Vir eximiæque eruditionis, *Samuel Buckley*, autore hortatoreque *Rich. Meado*, Medico regio, editionis vero rationes procurante, operisque augmenta & apparatum instruente, *Thoma Cartio*, nova *Thuanea* Historiæ exemplaria publicis hominum usibus

usibus adornavit. Quo in negotio quam animosa *Buckelii* industria, honestique sumtus, quam accurata & indefessa *Cartii* sollicitudo, opera, consilium, sint spectata, & publica seculi vota & favorem ad se vocent, non antea poterimus judicare, quam narratione de hoc Opere instituta ejusmodi, qua varietas fortunæ, casus sæpe magni & mirabiles, causæ perplexæ & graves, fluctus denique irarum atque offensarum insani, declarentur, quibus clarissimum hoc humani ingenii monumentum jactatum semper, quassatum sæpius, interdum & particulis quibusdam suis imminutum fuerit; donec hodie ab editoribus Anglis, omnibus tabulis feliciter collectis, nec pristino solum splendore recuperato, sed novo insuper augustius, veluti lenissimo in portu, conquiescit. *Thuanus* enim, qua erat non naturæ tantum & morum bonitate, sed insigni quoque, a præclaris parentibus tradita, in patriam caritate, erga Burbonicum imperium fide, in cives & gentiles suos pietate, ægro admodum animo fluentis procumbentisque patrii regni mala spectabat. Finitimis quippe continuæ felicitatis ejus invidia irritatis, Gallia, cum florere suis opibus satis per se potuisset, minimeque externa societate aut præsidio indigeret, internis pestibus, ob injectas mentibus religiones, discordias, perversas ambitiones, ad id tandem, miseris furoribus lacerata, devenit, unde rursus erigi atque confirmari vix perfecta concordia, longa constantia, conspicua autoritate, quietis consiliis, posset. Hoc itaque suis popularibus ut aperiret, atque in pertæsæ insaniæ remedium persuaderet *Thuanus*, qui non modo, magnis & gravibus rebus ipse nobilitatus atque expertus, pro patriæ salute constantia & vigiliis enixe laborabat, sed Historiam quoque tunc scribendam susceperat; ingressus est in eam consultationem, ut causas, quam posset, verissimas ad hominum notitiam & lucem proferret. Itaque exponendæ Romani Pontificis artes, quibus suum nomen & autoritatem magni cujusdam oneris instar reipublicæ & libertati injicere studebat; Hispanorum damnanda invidia, qui injustissimis de causis inimicitias & odia fovebant; civium notandæ seditiones, perfidia, factiones, sævitia, superstitiones; sacerdotum reprimendi rabiosi & ferales

cla-

clamores, quibus homines contra imperia incitare, proceres in exitiosas religiones, plebem in omnium rerum ignorantiam, conjicere, se ipsos in tuto atque otio collocare, satagebant. Præterea vix Regum probari patientia, inconstantia, socordia, & omnium rerum, præterquam voluptatum, incuria, poterat: officiorum vero & potentiorum in aula ne ferri quidem, plerumque incuriosa, nonnunquam mala, fides debebat. Qua ex re cum acerbæ *Thuanum* offensæ in tantum exagitassent, ut Romana & Hispanica censura oneratus, aulæ insuper frigusculum & fastidia sentire cogeretur; tum ille quædam lenire, alia mutare, nonnulla etiam, quia aliter veritatis ratio non constaret, plane detrahere, variis temporibus instituit. Quæ cum editionum multitudine difficile omnia noscerentur, in *Thuano* vero *restituto*, vel in alio quoquam libello, satis perfecte aut distincte non continerentur, his Anglicis exemplaribus, ad imam paginam redditis per signa editionum nominibus, accesserunt omnia. Operis autem universitas & verborum filum ad editionem *Genevensem*, quæ contigit ad annum 1620, 1626, & 1630, quæque facta est ex illo, quod supremis Autoris tabulis *Pet. Puteani* & *Nic. Rigaltii* fidei & curæ commissum fuerat exemplar, sunt expressa. Quod autem illud exemplar Genevam missum fuerit ad *Lingelshemium*, etsi tanquam ab Autore vivo acceptum ad liberandos invidia *Puteanum* & *Rigaltium* ficto nomine ederetur, ex Epistola *Lingelshemii* ad *Grotium Buckelius* præclare demonstravit. Non vero ex editis tantum exemplaribus, sed ex duobus quoque MStis, quæ Cl. *Cartius* in Gallica peregrinatione ad conferendum cum editis impetraverat, omnes mutationes in hæc nova Volumina translatæ sunt. Exemplarium MStorum alterum, in Regia Parisiensi Bibliotheca positum, ab ipsius *Thuani* manu priora duo Volumina, tertio amisso, reliqua tria a *Sammarthanorum* fratrum manu, profecta continet: alterum, quod in Magloriensi Bibliotheca exstat, solam *Sammarthanorum* manum refert. Præterea, cum *Thuanus* propria nomina, quorum nimis barbarus sonus fuerat, inflexione Latina mollivisset, accidit, ut plurima in iis ne cognosci quidem amplius ob locorum & tem-

temporum intervalla possent. Cui ut succurreretur incommodo, Cl. Editores interpretationes Gallicas nominibus hominum & dignitatum ex typis descripto Genevensi exemplari, cui ipse *Puteanus* eas inter suas emendationes adjecerat, huc transtulerunt: cumque *secundus Tomus* hujus exemplaris periisset, *Cartius* magno labore ex Autoribus & instrumentis publicis, quorum fidem *Thuanus* secutus fuerat, hoc detrimentum sarcivit. Porro, cum *Puteanus*, omnium consiliorum Autoris per totam vitam particeps, cuique omnia ex Regia Bibliotheca & scriniis instrumenta ac Diplomata ad manum erant, quosdam *Thuani* errores ad idem exemplar emendasset, inde omnia hic ad imas paginas suis signis notata reposita sunt. Praeterea, cum *Thuanus* mortuus fuerit, antequam ad Operis finem, quem constituisset, perveniret, *Rigaltius*, qui & consilia ejus novisset, & prima ejus lineamenta proposita haberet, continuavit ab anno 1607 ad 1610 hoc Opus tribus Libris, non indigna *Thuano* elegantia. Quod *Rigaltii* pretiosum Supplementum hic, ut multa, primum publicis utilitatibus accessit. Praeterea *Epitomæ* Librorum, & *Commentarii Thuani de vita sua*, eadem cura multis ex editis & MStis exemplaribus accessionibus hic ornantur. *Narratio* quoque *Colloquii Juliolunensis*, cui *Thuanus* ipse interfuit, nunquam ante edita, *Volumini VII* inserta, multa lectu & memoria dignissima complectitur. Totum autem *VII Volumen* hæc renovati hujus Operis decora habet: 1) *Magnorum & illustrium hominum Epistolas, de fatis, quibus hæc Historia Romæ excepta est, cum censura Romana & Hispanica*; 2) *Literas Amicorum, & ad Amicos, de successu, quem in Gallia habuit*; 3) *Scripta* Scioppii & *Jesuitæ* Machaulti *in* Thuanum *contumeliosa*; 4) Thuani *Commentarios de vita sua*; 5) *de successu hujus Operis in Anglia sub Rege* Jacobo I; 6) *doctorum hominum de priore Parte hujus Historiæ judicia*; 7) *de testamento & morte Autoris*; 8) *de cura & fide amicorum, qui commissum sibi, & ultimam manum expertum, exemplar emiserunt, cum Elogiis recentiorum Scriptorum*; 9) *quædam a* Thuano *scripta variis temporibus, quibus erga doctos benevolentia ejus declaratur*;

ratur; 10) *quadam de* Francisco Thuano, *cum ejus defensione*; 11) *de Amicis pracipuis* Thuani; 12) *de Bibliotheca* Thuani, & Jac. Thuano. In quibus omnibus cum innumera maximi momenti & bonæ frugis maximam partem primum eduntur: tum inprimis maximi fieri debent illæ doctorum hominum Epistolæ, quibus non consiliis modo præclaris Autorem juverunt, & subsidia monstrarunt, sed in suæ quisque patriæ rebus eum certiora docere, maximis precibus exorati, instituerunt. Leguntur itaque hic multæ emendationes ipsius Regis Angliæ *Jacobi I*, *Casaubono* dictatæ, *Camdeni*, *Caroli Clusii*, *Jo. Meursii*, *Jo. Bockstadii*, *Petri Danaisii*, *Henr. Smetii*, *Jo. Rosini*, *Oswaldi Gæbelkoferi*, Historiogr. Würtemb. *Caspari Laurentii*, Profess. Genev. *Franc. Swertii*, *Dom Luis Lobo da Silveis*, Hispani, *Plessii Mornai*, quorundam præterea Anonymorum; quæ omnia pretium non mediocre merentur in *Thuani* cognoscenda fide & studio. Commemorantur autem longe plurium insuper per omnes Europæ partes eruditorum hominum suppeditatæ admonitiones; unde nobis satis constabit, quam in hoc Opere, qua ratione ab Anglorum diligentia & laboribus exornatum habemus, non *Thuani*, aut unius regionis, sed universi orbis terrarum, testimonium nobis ad rerum gestarum fidem possit sufficere. Quod superest, vovemus Anglis fortunatos successus, ut, quibus gloriæ permultum ex immortali hoc ad literarum incrementa monumento contigit, non minora in posterum emolumenta, subsidia, & animi, ad præclare de utilitate literarum merendum, suppetant.

Versuch einer Kirchen-Historie, rc.

h. e.

DELINEATIO HISTORIÆ ECCLESIAsticæ, quatenus ipsa spectari potest tanquam Introductio ad Jurisprudentiam Ecclesiasticam. Seculum primum a Christo nato. Autore JOANNE GEORGIO PERTSCHIO, JCto, Regis Magnæ Britanniæ & Electoris Brunsuicensis a Consiliis Aulicis, Assessoris in Judi-

Judicio Aulico Hannoverano, Syndici primi Reipublicæ Hildesiensis, & Directoris Dicasterii Ecclesiastici.

Lipsiæ, impensis Jo. Mich. Teubneri, 1736, 4.
Alph. 4 plag. 6.

Tomus hic *primus*, cujus continuationes & accessiones multi sine dubio avidissime exspectabunt, Serenissimo Duci Brunsuicensium ac Luneburgensium fuit consecratus. Præfatio, satis diffusa & copiosa, pertinet ad recensendam Autoris vitam, quacum res a parente ejus gestæ, ac responsiones ad censorum quorundam obelos & lemniscos, sunt conjunctæ. Scripserat Autor Consultissimus quondam de jure sacrariorum auricularis confessionis, & excommunicationis Ecclesiasticæ, eoque nomine incurrerat reprehensionem societatis eruditæ, quæ in adornanda antiquarum novarumque rerum Theologicarum Collectione occupatur. Quamobrem obmovet eis nonnullas censuras, quæ *ad Annum 1721 Fascic. 5 Artic. 19* in Collectione illa apparent insertæ. Nostrum non est, spectaculis cruentis interesse, nec opis videtur esse nostræ, motos componere fluctus, vel eis instar Tribuni plebis intercedere: dimittimus potius eos, quorum interest, ad ipsam Præfationem. Illud tamen nondum satis intelligimus, quod Autori arridet: *particulare non continet universale*; nisi hic id, in sese spectatum, voluerit intellectum. Idem adversus censorem suum monet, *actionem confessoriam* dari quoque extra doctrinam de servitutibus, innixam videlicet confessione judiciali ante expromta. Ut consensu sese muniat, provocat ad Collegii Argentoratensis, *Lauterbachii*, *Bachovii*, *Ummii*, & *Heineccii*, maximorum Virorum, testimonia. De reliquo vitam Cons. Autoris, quam S. Rev. *Gœttenius* dedit, hinc supplere licet. Opus ipsum in XXIV Capita fuit divisum ac distributum. *Primum Caput* de natalitiis momentis Baptistæ *Joannis* & Jesu Messiæ inscribitur. *Secundum* continet munus utriusque, inprimis

nis perpessiones a Christo exantlatas, mortem ejusdem, resurrectionem, ac in cœlos adscensionem; *tertium* complectitur fata discipulorum Christi ac Ecclesiæ, nomini ipsius aggregatæ, usque ad Concilium Hierosolymitanum; *quarto* edisseruntur, quæ porro fuerunt gesta usque ad excessum *Petri & Pauli*; *quinto* ea adjunguntur, quæ a morte utriusque Apostoli ad finem usque Seculi primi evenerunt; *sextum* diversa, eaque mixta, momenta, ad Historiam de Christo referenda, declarat; *septimo* percensentur ea, quæ ad faciem religionis Judaicæ & ethnicæ, seu a cultu veri uniusque Numinis alienæ, propius noscendam pertinent; *octavo* exponuntur momenta de Ecclesia Christiana, qualis, Christo spectabilem in modum in terris versante, exstitit; *nono* edisseritur Ecclesiarum Christianarum habitudo, Christo in cœlos sublato exorta; *decimo* agitur de ordinariis & extraordinariis Ecclesiæ ministris, & quidem *Sectione prima* de Apostolis, *secunda* de reliquis Evangelii ministris extraordinariis, *tertia* de discipulis ac adjutoribus Apostolorum, ac *quarta* denique de ordinariis ministris Ecclesiæ, eorumque constitutione. *Caput undecimum* destinatum est institutis Christianorum primorum generatim exponendis; *duodecimum* de cultu religioso externo in universum agit; *decimum tertium* de locis conventuum inscribitur; *decimum quartum* in baptismi indole enarranda versatur; *decimo quinto* de agapis, & cœna Domini, differitur; *decimo sexto* de excommunicatione Ecclesiastica; *decimo septimo* de bonis Ecclesiasticis; *decimo octavo* de hæresibus; *undevigesimo* de Conciliis, & judiciis Ecclesiasticis; *vigesimo* de persecutionibus & cruciatibus, in doctrinæ Christianæ affectatores exercitis; *vigesimo primo* de ordine domestico & conjugali primorum Christianorum, ubi de divortio & concubinatu proferuntur valde singularia, & aliis non usquequaque probata; *vigesimo secundo* de cura, ægrotis defunctisque adhibita; *vigesimo tertio* de scriptis suppostitiis; denique *vigesimo quarto* de civili sub Judæis & ethnicis conformatione rerum publicarum exponuntur ea, quæ ad rem & scopum facere videbantur. Index ipse *Tomo*

 demum

demum *secundo* accedet. Quæ Autor protulit singularia, paucis nunc delibabimus. Natalem Christi annum pro incerto
Pag. 5. habet, quem tamen nonnullis *Cornelii Dieterici Kochii* Dissertationibus satis illustratum & ostensum fuisse credimus. Diem 25 Dec. Christiani jam Seculo IV definierunt, quemadmodum reddidit comprobatum *Cotelerius Tom. I ad Patres Apostolicos*
6. *pag. 314.* Autor Magos, stella duce Bethlehemum accedentes, ex Arabia arcessit. Conferri potest *Tribelii Diss. de Magis post Jesum in templo repræsentatum advenientibus, Tom. II Thesauri Philologico-Theologici Hasæani pag. 111 seq.* ac ibidem excusa *Jo. Frid. Miegii de stella Magis conspecta Dissertatio pag. 118 seq.* Autor statuit, Christum accepisse co-
10. gnomen *Nazoræi* ab oppido Nazareth: miraculum, in Cana
13. Galilææ editum, haud generatim fuisse primum: cognomen
21. Satanæ, quo Beelsebub dicitur, sibi esse ignotum ait, cum ex lingua Syriaca tamen pateat, indicari *calumniatorem & hostem*: *Joannem* Baptistam, tradit, paulo ante obitum Jesu capite
24. fuisse truncatum: Judæos προϋπαρξιν animarum pro vera re-
30. putasse, quod ex *Jo. IX, 1, 2,* it comprobatum: Jesum extremo agno paschali comedendo haud adhibuisse finem & me-
40. tam, sed perpessionibus instantibus a destinatis exequendis esse exclusum: per impura animantia, *Petro* in ecstasi ostensa, in-
60. telligendos esse simulacrorum cultores: φελόνην *Pauli*
86. *2 Tim. IV, 13,* fuisse pallium: oracula ethnicorum Chri-
92 seq. sto nato haud conticuisse: ea pependisse a fraudibus sacerdotum: Chrestum *Suetonii* fuisse Christum: *Josephi* testimonium de Christo esse genuinum, dummodo oratio illa, quæ in Actis Sanctorum *Macario* tribuitur, nulla laboret supposi-
94. tionis nota: decretum Tiberii, quo Christum in nu-
95. merum Deorum referre voluit, haud esse supposititium: *Mat-*
107. *thæum* enarrasse *Josephi* Genealogiam, *Lucam* vero *Ma-*
101 seq. *riæ.* Perperam Pharisæis attribuit dogma metempsychoseos,
197. quod ipsum jam ostenderunt vindices Pharisæorum, quantum ad hunc errorem, falso illis impactum, attinet, Ven. *Jo. Georg. Walchius* in *Part. I Observ. in Novi Testamenti Libros Observ. III pag. 28,* & Rev. *Jo. Christoph. Harenberg* in *Idea*

Juris

Juris divini circa id, quod Theologorum est in convincendo & refutando, §. 3 pag. 14. Sadducæi vulgo creduntur negasse Pag. 110.
spiritus, ob locum *Actor. XXIII, 8.* Verum, quia ipsi duo dogmata inibi negasse, suoque assensu indigna censuisse, traduntur, difficile creditu est, ipsos, non dari spiritus ullos, statuisse. Ipsi enim, Deum exsistere, haud abnuebant. *Tertullianus* quoque & *Hobbesius* corpora vocarunt illud, quicquid fictis & imaginariis opponitur rebus. Attendendum hic est ad cujusvis definitiones nominales, quæ a cujusque arbitrio pendere solent. Nec illud nobis adhuc ad liquidum videtur esse deductum, quod Sadducæi crediderint, animos hominum esse 111.
mortales, siquidem crediderunt, animas exuviis corporis exsolutas, in alia ac alia subinde introire corpuscula, quod ipsum nobis ex *Josepho* videtur constare. In enarrandis Judæorum ac Philosophorum sectis, earumque dogmatibus, ac vitæ genere, Autor legit *Joannis Clerici* vestigia, ita tamen, ut passim non- 115.
nulla adjungat vel emendet. De *Karæis R. Mardochæus*, cujus Epistolam ad *Triglandium* Ven. *Jo. Christoph. Wolfius* edidit, huc usque accuratissime omnium ac ex propria notitia egit & disseruit. Autor Ill. accurate ostendit corruptelas doctrinarum publicas penes Judæos, Ægyptios, Græcos, 117 seq.
& Romanos, ante Jesu nati ætatem invectas, simulque sapientiam Dei celebrat, qui doctorem Messiam, tempore ipso sic exigente, miserit. *Joannes Clericus*, qui eadem fusius pertractat in *Prolegomenis ad Histor. Eccl. Secul. I & II a Jesu nato*, nonnullis id intendisse visus est, quod Sociniani instar dogmatis venditant, nempe Jesum & ore & exemplo perfectissimo mortales veram virtutem docuisse; obnubilantes inter hæc & tegentes illud, quod missioni illi fuit maxime proprium, nempe expromissionem vicariæ satisfactionis pro genere humano. Pergit Autor ac demonstrat, ecclesiam nequa- 126 seq.
quam esse imperium vel dominatum, quod ipsum vel ex vita Christi & moribus Apostolorum elucet. Idem exponit 129.
dictum, *Matth. XVI, 18,* de Ecclesia petræ inædificata obvium, de Ecclesia, non externa, sed invisibili, siquidem externa fuerit ab Arianis aliquando subacta. Dictum illud, quod *Matth.*

XVIII, 15 seq. occurrit, ita explanat, ut per *Ecclesiam* intelligat *plures*, oppositione ad unum, ad duos, tresve, facta. Ipse
Pag. 133. per *fractionem panis Actor. II, 42, 46, 1 Cor. X, 16, XI, 2,* intelligit celebrationem agaparum ac sacræ cœnæ. Antiochiæ prima peculiaris Cristianorum congregatio extra Judæorum
135 seq. Synagogam exstitit; fit tamen verisimile, pleraque ejus congregationis ritus ad morem Synagogæ fuisse composita, quippe in qua *Paulus* Judæos docere consueverat. Egregia sunt, quæ Autor de secessione Christianorum a Synagogis Judæorum affert; recentiora vero ea videbuntur nonnullis, quæ de prærogativis Apostolorum tradit, ad quas refert *potestatem re-*
147. *mittendi ac retinendi peccata*. Inter eas quoque satis solide col-
148. locavit donum linguarum divinitus infusum, promissum, expletum, & continuatum ultra Pentecosten, *Act. II, 1 seq.* commemoratam, ob loca nimis clara *Marc. XVI, 17, & 1 Cor. XIV, 18.* Apostoli haud habuisse successores sunt existimandi. Nec minus
152. ipsi ita fuerunt collegæ, ut primatum in ipsos aut *Petrus* aut alius ipsorum tenuerit, siquidem Hierosolyma cœlestis duodecim inædificata fuit fundamentis, id est, Apostolis, *Apoc. XXI, 14, Eph. II, 20.* Adde, quod Ecclesiastæ & doctores Ecclesiæ
154 seq. haud sint successores Apostolorum; quare ea, quæ Apostolis concessa sunt, haud ideo in ecclesiasten quemvis possunt quadrare vel trahi. Nec minus id pro falso reputandum, quod vulgo existimant, Apostolos fuisse certarum Ecclesiarum Episco-
159 seq. pos. *Cyprianus* e primis est, qui eum in errorem incidit, cui *Tertullianus* de *Pudic. Cap. 21* meliora instillare potuisset. *Jo. Dartis* Apostolos fingit exstitisse *Episcopos sine titulo*, quales tamen priora Secula a Christo nato prorsus ignorarunt.
164 seq. Apostolos vestimentis sese a diverso hominum genere discrevisse, est improbabile. In MSto Bibliothecæ Noribergensis
166. asservatur Commentarius *Ambrosii*, in quo ad *2 Cor. XI* obvia sunt hæc verba: *Omnes Apostoli, exceptis Joanne & Paulo, uxores habuerunt.* Monachus vero erasit vocem *Paulo*, eique superscripsit *Petro.* Lectu digna sunt, quæ Autor de vitis rebusque Apostolorum in medium attulit *pag. 168 seq.* a *Petro*
168. exorsus, de quo solide disserit. Secundam tertiamque *Joannis* Epi-

Epistolam judicat ab Apostolo fuisse conscriptam. Ipse putat, illum *Levi*, cujus sit mentio *Marc. II*, 14, *Luc. V*, 25, fuisse *Matthaeum*. At, quod pace Autoris addimus, Λευῒς vocatur ὁ τοῦ Ἀλφαίου *Marc. II*, 14, adeoque matrem habuit *Mariam* illam, sororem matris Domini, quae vocabatur *Maria* τοῦ Κλεοφᾶ *Jo. XIX*, 25. Ex hoc aliisque momentis B. *Theodorus Hasaeus* ostendit, *Judam Thaddaeum*, seu *Lebbaeum*, לביא, haud discrepuisse a *Levi*, in *Bibliotheca Brem. Fasc. III Diss. VI*, ac in Diss. *de Naphthalitide*, *Apostolorum patria*, *Cap. II §. 21 pag.* 114 *seq.* quae est *secunda* in *Sylloga Dissertationum* ejus & *Observationum Philologicarum*. Conjectat Autor, vocem *gabella* descendere ex Syriaca *Gabaim*, quae *publicanos* designet. Liceat monere, publicanos in Novo Testamento Syriaco appellari ܡܟܣܐ *mochsim*, *Luc. V*, 27, & alibi, quae vox ex Arabica مكس descendit. Exactores & collectores tributorum contra vocantur ܓܒܝܐ *Matth. V*, 25, *Luc. XII*, 58, Chaldaice גבאין, ex גבא *colligendo*. Vocula autem *gabella* videtur domi nata ex *gabe*, *dono*. Sed haec sunt leviora. Autor *Judam* minorem putat *Lebbaeum* fuisse dictum ab oppido Galilaeae *Lebba*, cujus *Plinius* meminerit *Hist. Nat. Lib. V Cap. XIX*. Sed apud *Plinium* legitur *Jebba*. Ita quoque legit *Relandus Palaestinae pag.* 827, & jam olim *Jo. Baptista Palmarius*. Nomen id indubie fluxit ex לביא, nisi MSti Codices *Plinii* vocem *Lebba* confirment. Ordinationem, charismatum olim effectricem, *Paulo* bis collatam, Autor pronuntiat, eam vero nostra aetate charismatum, i. e. donorum Spiritus sancti extraordinariorum, imo & ordinariorum, esse conciliatricem, negat, quantum ad manuum impositionem attinet. Ordinationem proinde Presbyterorum nostrae aetatis pro mera & nuda reputat caerimonia. Ipse in ea versatur sententia, Apostolorum & Presbyterorum vestitum haud infrequentem exstitisse pallium, eamque ob causam provocat ad 2 *Tim. IV*, 13, ubi exstat vox φελόνη, quam permulti per lacernam & penulam interpretantur, quos sequi-

Pag. 192. 193. 203. 352. seq. 357.

tur *Gurtlerus* in *Historia Templariorum pag. 151. Syrus* vero interpres, *Suidas*, *Hesychius*, *Chrysostomus*, *Osiander* in *System. Theol. Lib. de Script. Sacr. pag. 57*, *Joachimus Langius*, aliique, de mantica libris plena exponunt, siquidem penulas Græci vocarunt χλανίδας & χλανίσκια. Episcopis interdicit *Paulus* actio-
Pag. 358. nes injuriarum. Autor autem officia ministrorum Ecclesiæ ad mentem *Pauli* plene, at nimis etiam, ut verum fateamur, salse, edisserit. Vocem *cambotæ*, i. e. litui Episcopalis, deducit ex
361. Germanica *Hambutten*, *Hagebutten*, cynosbati ligno. Per κλῆρον in Ecclesia prima ac Codice sacro nequaquam solum docentium pastorum ordinem & cœtum intelligi, sed gregem potius ipsum, solide edisseritur *pag. 291 seq.* quemadmodum id quoque veritati consonat, quod Ecclesiam Dei totam perhibeat dictam fuisse λαὸν, *Tit. II, 14, 1 Petr. II, 8, Act. XV, 14.* Distinctio clericos inter laicosque Seculo demum secundo
395. fuit enata. Per τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων, commemoratam *Act. XVI, 13*, diem solis Autor intelligit, aliis ad diem Saturni definiendum ibi potius propendentibus. Ex die Sabbati Judaici in diem solis translatam fuisse cultus divini, ejusque publici, sanctionem, ipse negat, ratus, per κυριακὴν ἡμέραν *Apoc. I, 10*, æque intelligi posse diem Sabbati Judaici, ac diem solis,
397. quamvis *pag. 446* largiatur, ἡμέραν κυριακὴν, memoratam *Apoc. I, 10*, esse ipsum solis diem. Ipse locum *Pauli Ebr. X, 25*, de interna animi ad Christum aggregatione exponit, ac vo-
409. cem teutonicam *Kirche* deducit ex voce κυριακὸν, siquidem Latini Seculo jam quarto templum dixere *dominicum*, unde restat vox nostra *Duhm.* Quantum ad Baptismum proselytorum attinet, eum Autor credit esse antiquissimum, laudans
420. *J. A. Danzii* sententiam, quam tamen tum a *Gottlieb. Wernsdorfio*, tum a *Gustav. Georg. Zeltnero*, sub examen revocatam esse constat. Ipse pædobaptismum haud improbat, eum tamen Seculo II vel III demum debere incunabula, persuasum habet,
427 seq. omittens, quod a Judæis infantes quoque proselyti fuerint baptizati, & quod *Origenes* in *Cap. V Epist. ad Romanos* tradiderit, *Ecclesiam ab Apostolis suscepisse traditionem, parvulis etiam baptismum dandi.* Miramur, Autori haud fuisse cognitum

gnitum illum *Walafridi Strabonis de rebus Eccles. Cap. XXVI* locum, quocum ipsius sententia admodum concordat. Dum autem Baptismum Christianum statim ab origine, tum immersione, tum adspersione, exercitum fuisse autumat, ipsi contrarium tenet Cel. *Beausobre* in *Tom. I Histoire critique de Manichéisme & de Manichéens pag. 419*, quippe qui, Seculo demum VI Baptismum adspersionis in Ecclesiam occidentalem fuisse invectum, contendit. Porro Autor noster ævo Apostolico illam Judaicam tribuit formulam paschalem: *Hic est panis afflictionis, quem comederunt patres nostri in Ægypto*, quæ tamen necdum in Codice *Mischnico* est obvia. Ipse, uti credit, *Judam* proditorem interfuisse cœnæ sacræ, a Christo paulo ante mortem institutæ, ita in eo quoque est, ut, Christum, neget, tunc agnum comedisse paschalem, indubie eo, quod argumenta in contrarium, *Tom. II Thesauri Theologico-Philologici*, ab *Hasæo* & *Ikenio* curati, allata *pag. 539 seq.* nondum potuerit expendere. Sed quorsum hæc? scilicet ut ex pauculis his, quid de Opere universo sit sperandum, judicari possit. Jam continuationem hujus laboris, & Historiæ Ecclesiasticæ Vet. Testamenti, *pag. 636* promissæ, editionem, qua Theologi & Jurisperiti uti possint, cupide expectamus, votis pro incolumitate Viri Amplissimi ex merito nuncupatis, simul ac unum id addiderimus, nos exoptare, ut formulæ illæ ac sententiæ, quæ tolerantiam dissentientium ac conventiculorum licentiam in Ecclesia subindicant, distinctius fuissent determinatæ, nec non illud, ut moderatius subinde Ill. Autor sacrorum ordinum labeculas notasset, nec subinde in viros rei sacræ addictos acerbius dixisset, quod ipsum nec decere virum gravem putamus, nec a recte sentientibus ullas ipsi laureolas promittit.

Pag. 441 seq. 447 seq.

LUCII CÆCILII LACTANTII FIRMIANI Opera omnia, emendata & illustrata a CHRISTOPH. AUGUSTO HEUMANNO. Adjectæ sunt Annotationes criticæ MICH. THOMASII & CHRISTOPH. CELLARII.

Gottingæ, apud C. H. Cunonem, 1736, 8.

Alph. 3 plag. 3½.

Nova

Nova hæc *Lactantii* editio ut emendatior esset superioribus universis, cum efficere in animum induceret Cel. Editor, in Academia Gottingensi nunc Professor cum Theologiæ, tum Historiæ literariæ, diversas scripturas tum MStorum Codicum, tum antiquissimarum editionum typographicarum, quippe e MStis haustarum, inspiciendas expendendasque sibi censuit. Jam, cum *Mich. Thomasius*, Hispanus, diversas protulerit scripturas, in novem pervetustis exemplaribus MStis repertas, inter quæ principem locum tenet Codex Bononiensis septimi Seculi, cujus literas in *Palaeographia* sua *Graeca* exhibuit *Montefalconius*, Noster, his instructus suppetiis, permultas mendas sustulit. Ob oculos præterea habuit editiones Venetas annorum 1472, 1478, & 1497, Rostochiensem anni 1476, Florentinam, a *Mariano Tuccio* correctam, anni 1513, & *Aldinam* anni 1515, a *Jo. Bapt. Egnatio* castigatam. Consideravit item diversas illas libri *de opificio Dei* scripturas, quas, ex pervetusto Codice descriptas, *Erasmus* A. 1519, una cum ipso illo libello, edidit. Postea etiam recentiores, variis lectionibus ornatas, *Lactantii* Operum editiones perlustravit, *Tornæsianam* anni 1587, *Betulejanam* anni 1563, *Thysianam* anni 1652, *Gallæanam* anni 1660, *Cellarianam* anni 1698, & *Walchianam* anni 1715, de quibus singulis suam exponit censuram, nec illas omittens, quæ Oxoniæ & Cantabrigiæ prodierunt A. 1684 & 1685. Nec usus non est Annotationibus criticis Cl. *Bunemanni*, quæ *Miscellaneis* quondam insertæ fuerunt *Lipsiensibus*. Speciatim in *Epitoma Lactantiana* contemplatus est cum cura, quæ ad eam emendandam protulerunt *Pfaffius*, *Davisius*, *Clericus*, *Maffeus*, & Criticus quidam Anonymus. Delatus tandem ad librum *de mortibus persecutorum*, primum omnes eas emendationes criticas suo subjecit examini, quas conjunctas emisit *Bauldrius*, deinde, quas postea *Nic. Nurrius* exhibuit, denique, quas non ita pridem publicavit alius Anonymus Criticus, qui ipsum MStum Codicem, quem unicum habet orbis, inspexit Lutetiæ. *Symposium* vero sine suis annotationibus exhibuit ideo, quod sua ejus editio luculenta, A. 1722 emissa, hisque in *Actis* eodem *Anno Mense Jul. pag. 312 seq.* recensita, jam est in eruditorum mani-

manibus. Ceterum retinendum duxit textum *Cellarianum*, emendationibus suis omnibus in subjectas Notas relatis, partim ne criticæ artis imperitos offenderet, partim ut veri nominis Critici prius sedeant judices, quam textus reformetur. Nec vero solum depravata loca correxit quam diligentissime, sed plurima quoque indicavit glossemata, maximam partem aliis inobservata, adjungens caussam, cur tanta vis glossematum in hunc Autorem irrepserit. Subinde item adjecit philologicas notas ad interpretanda loca obscuriora, & ea quidem potissimum, quæ vel visa sunt, vel videri queunt, mendosa. Sub exitum laboris oblatæ ipsi sunt diversæ scripturæ Codicis *Lactantii* Operum MSti, qui in Ducali Bibliotheca Gothæ asservatur. At, cum serum jam esset, eas exhibere constituit in *Parergis Gottingensibus*. Finem Præfationi (e qua, quæ adhuc diximus, petiimus,) imponit judicium Cel. Editoris de *Lactantio*: in quo tria laudat, tria notat. Agnoscit nimirum magnam ejus & eloquentiam, & doctrinam, & pietatem: judicat vero simul, eum & facultate critica caruisse, & permediocrem fuisse cum Philosophum, tum Theologum: multas ad ultimum justas caussas afferens, cur tamen legi relegique dignus sit *Lactantius*.

Poteramus hic subsistere: at, cum Criticis pergratum videamur facturi, si ex tanta correctionum multitudine nonnullas, fere soli ingenio Editoris debitas, hoc loco proferamus in medium, e quibus conjecturam facere possint de ceteris, nec hoc labore supersedere voluimus. In *Institutionum* igitur *divinarum Lib. I, 3, 15*, ita legitur: *Qua in re quoniam & sensu deficimus & verbis*. Noster *deficimur* rescribit, & hanc emendationem defendit similibus plurium Autorum locis. *Lib. I, 19, 9: qui partim profuerunt*. Legi Noster jubet: *qui per artem profuerunt*. *Lib. I, 22, 28: qui educaverit Jovem pronepotem*. Rescribit *pro nepote*, id est, quasi nepotem suum, nutritum scilicet, ut antea *num. 19* dictum, a filiabus suis. *Lib. II, 1, 2: convictis inanibus*. Emendatio: *convictis diis inanibus*. Scilicet, cum *diis* a *ctis* figura perparum differat, facile accidit, ut pro duobus scriberetur unum duntaxat, alterumque o-

Kk mit-

mitteretur. *Lib. II, 1, 9: Postquam metus deservit.* Legit *desaeviit. Lib. II, 2, 16: succum stultitiae.* Rescribit *fucum*, quidque hic loci *fucus* sibi velit, docet duce *Nic. Heinsio. Lib. II, 7, 8,* pro *disjice* scribit *dissice*, quod antiquum verbum est, cujus in locum successit *disseca. Lib. II, 10, 6,* quam imperite Virgilianum *ferrea* mutatum sit in *terrea*, ostendit. *Lib. III, 15, 11: judicium suum professos.* Substituit *indicium*, quidque sit apud veteres *indicium profiteri*, luculenter exponit e *Sallustio, Tacito, Plinio, & Suetonio. Lib. III, 16, 14: Nondum sunt mille anni, ex quo initia sapientiae mota sunt.* Legit *nata sunt. Lib. III, 26, 11: Nemo vereatur: nos aquam non vendimus.* Correctio: *Nemo liceatur. Lib. III, 26, 13: Pauca Dei praecepta sic totum hominem immutant, &, exposito vetere, novum reddunt.* Pro *exposito* scribit *exspoliato*, id est, exuto. *Lib. III, 28, 21,* pro *quo in ore* ponit *qua in ora. Lib. IV, 1, 5: major hominibus ad malum fides fuit.* Pro *fides* legit *impetus*, primam hujus verbi syllabam absorptam esse putans ab ultima praecedentis. *Lib. IV, 6, 1: antequam Deus praeclarum hoc opus mundi adoriretur.* Ultimum verbum ita corrigit: *ordiretur. Lib. IV, 8, 1,* pro *beatus* docet scribi oportere *creatus. Lib. IV, 15, 17: pedum vitio afflictus.* Reponit *affectus. Lib. IV, 16, 2,* pro *alieni beneficii bona* scribit *alia non bene dicta bona. Lib. IV, 16, 13,* pro *quietum* legendum censet *victum, & Lib. V, 1, 1, impotentes* pro *impatientes. Lib. V, 4, 6: ut suis potissimum refutaretur autoribus.* Legit *autoritatibus. Lib. V, 6, 3: Leges etiam sibi justitiae nomine munitas iniquissimas injustissimasque sanxerunt.* Sic vero ipsi legendum videtur: *Leges etiam sub justitiae nomine multas, iniquissimas. Lib. V, 8, 5: si quid vobis reliquae mentis est.* Rescribit *reliquum. Lib. V, 12, 13: cum diis suis araneosis.* Legit *cariosis* cum *Isaeo. Lib. V, 13, 8: animum translaturos.* Legit: *in tantum transmutatos. Lib. V, 9, 11: quae merces in cultu, quae poena in contemtu, maneat.* Correctio: *quae merces cultum,* (subaudi *deorum,*) *quae poena contemtum, maneat. Lib. V, 20, 2: irascuntur miseri, quod non similes alii pereant.* Mutat *similes* in *simul et. Lib. V, 20, 3,* in lege quadam, quam *Cicero Lib. II de Legibus Cap. 8* profert,

fert, quamque hic *Lactantius* repetit, pro *opes amovento* rescribit *opus amovento*, id est, a labore abstinento diebus sacris. *Lib. VI, 9, 24*: *In eo* (Deo scilicet) *promerendo actus omnis & cura & opera collocetur*. Legit *demerendo*. *Lib. VI, 12, 16*: *Iis maxime laudis est benefacere, quos nemo speravit esse facturos*. En correctionem! *Iis maximæ laudis -- paria speravit esse facturos*. *Lib. VI, 23, 25*: *Divina lex ita duos in matrimonium, quod est in corpus unum, pari jure conjungit*. Legit *quasi in corpus unum*. *Lib. VII, 10, 7*: *quia virtus adhuc ipsa est*. Pro *ipsa* rescribit *imperfecta*, & originem mendi indicat. *Lib. VII, 22, 2*: *Ad eos mentio resurrectionis futuræ obscurorum ore pervenerat*. Legit *obscuro rumore*. Excerpamus etiam pauculas emendationes e Libris ceteris. In Libri *de Ira Dei Cap. XI, 4*, pro *nec in armento aut grege* scribit *nec in armentorum grege*. *Cap. XIII, 10*, pro, *multa esse in gignentibus & in numero animalium*, legit, *multa esse in ingenti numero animalium*. *Cap. XXIII, 13*: *dæmones & ministri tantæ potestatis*. Pro *tantæ* scribit *Tartareæ*. In Libri *de Opificio Dei Cap. X, 20*: *nihil de quacunque materia odoris deserpit*. Legit: *odor decerpit*. *Cap. XI, 3*, pro *in uteri modum* scribit *in utris modum*. *Cap. XII, 2*: *quod videmus in corporibus animalium, cum interfecta patefiunt*. Legit *interfecta*: cum loquatur *Lactantius* de Anatomicis. *Cap. XX, 1*: *Tunc ego te ad veræ Philosophiæ doctrinam & planius & verius cohortabor*. Omisso priori & legit *plenius & uberius*. In *Epitomes Cap. I, 5*, pro, *Fit enim* (volumen hoc) *totum & minus plenum*, ita rescribit: *Fiet enim mutilum & minus plenum*. *Cap. XXVIII, 8*: *Somnia* (dæmones) *Immittunt, aut plane terrores, ut ipsi rogentur, aut quorum exitus respondeant veritati, ut venerationem sui augeant*. Legit: *ut ipsi rogentur, utque, cum exitus responderit veritati, venerationem*, cetera. *Cap. XXXI, 4*: *Non potest igitur perscire homo divina*. Legit *per se scire*. *Cap. XXXVIII, 5*: *Plato etiam fœminis curiam reservavit*. Scribit *reseravit*. *Cap. II, 2*: *Sed ne audire quidem patiuntur: violari aures suas sacrilegio putant. Si audierint, nec jam maledictis abstinent, sed*, &c. Hunc locum ita reformat: *Sed ne*

 audi-

audiunt quidem patienter, violari aures suas sacrilegio putantes, si audierint. Nec jam, cetera. In Libri *de mortibus persecutorum Cap. IX, 2,* pro *naturalis barbaries* legit *natalis.* Patria scilicet ei, de quo hic loquitur, erat regio barbara. *Cap. XIII, 3,* pro *legitime coctus* scribit *lento igne coctus. Cap. XXVI, 2: ut ab hac captivitate ne populum quidem Romanum fieri vellet immunem.* Pro *captivitate* ponit *capitatione. Cap. XXVII, 3: imperium reliquerunt.* Legit *impium. Cap. XXXI, 1: qui jam dudum provincias adflixerat, auri argentique indictionibus factis, quæ promiserat, redderet, etiam in nomine vicennalium securem alteram afflixit.* Legit Noster ita: *fact. , ut, quæ promiserat, ederet munera,* (id est, ludos publicos,) *nomine vicennalium – inflixit. Cap. XXXIII, 11: Sub hoc ministro pudicitiæ integritas nulla, nisi ubi barbaram libidinem deformitas insignis arcebat.* Legit ita: *Sub hoc monstro pudicitiæ integritas nulli,* subaudi *mulieri erat. Cap. XL, 1: Dat negotium præsidi Eratineo, ut eam cum dedecore interficiat.* Legit: *præsidi, protinus ut eam. Cap. XLIV, 2:* pro *Mauris atque Italis* scribit *Mauris ac Getulis. Cap. LII, 2, Quæ omnia secundum fidem scientium loquor, ita, ut gesta sunt, mandanda literis credidi.* Noster ita hunc locum, quem multi tentarunt frustra, emendavit: *Quæ omnia secundum finem & scientiam ita, ut gesta sunt,* cetera.

Commemorandum quoque fuerit, præter annotationes criticas ac philologicas hic etiam occurrere observationes historicas & antiquarias. *Anthropianos*, quos *Lactantius Instit. IV, 30, 10,* memorat, non fuisse Anthropomorphitas, quæ quidem aliorum est opinio, sed illos Hæreticos, qui *Homuncionitæ* fuerunt appellitati, Noster contendit. Docet item, *Aristophanem*, de quo *Lactantius Lib. V, 2, 17,* loquitur, non esse notum illum Poetam Comicum, sed Criticum quendam prisci ævi. Ad *Lib. V, 9, 12,* illustrat nomen Martyrum, quos persecutores ethnici ob miram constantiam *desperatos* vocabant. Ad *Lib. VI, 24, 1,* ostendit, *satisfacere Deo* esse dictionem ecclesiasticam, & *pœnitentiam* significare. Quem *Lactantius* Libri *de Opificio Dei Cap. XVIII, 2,* vocet alterum *Epicureum Poetam,*

a Lu-

a *Lucretio* diverſum, cum, ſe neſcire, fateantur Annotatores, Noſter clare docet, ſignificari *Virgilium*, eumque ſectatorem fuiſſe Philoſophiæ *Epicuri*. Ad Libri *de mort. perſec. Cap. I*, 2, docet, Eccleſiam ſæpe a Scriptoribus Eccleſiaſticis vocari *templum Dei*, hujusque rei ignorationem effeciſſe, ut multa *Lactantii* loca haud recte caperentur. Ad *Cap. IV*, 2 & 3, illuſtrat pariter & emendat hiſtoriam de Imperatore *Valeriano* in Perſide captivo. Ad *Cap. VII*, 4, docet, quo munere functi ſint, qui *Lactantii* ævo nomen gerebant *Rationalium*. Pluribus de *natali Imperii* agit ad *Cap. XLIX*, 7. Sufficiant hæc de novo *Lactantio*.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE des Inſectes, &c.

h. e.

COMMENTARII, AD ILLUSTRANDAM Hiſtoriam Inſectorum compoſiti, Autore DE REAUMUR, *Academiæ Scientiarum Regiæ Socio.*

Tomus II.

Pariſiis, ex Typographia regia, 1736, 4 maj.
Alph. 3 plag. 21, Tabb. æn. 40.

Primus labor, quo Hiſtoriam Inſectorum maximo omnium applauſu aggreſſus eſt Cel. *de Reaumur*, gentis ſuæ decus & gloria, tum alia, tum id potiſſimum, effecit, ut Inſectorum claſſes, familias, ordines, & genera, obtineremus. Ipſam animalculorum vivendi, ſuumque genus continuandi, methodum eleganter expoſitam nunc obtinemus, variis obſervationum cumulis, quæ plures una vitæ poſtulaſſe videntur, ornatam. *Duodecim* exiſtunt *Capita*, quibus ſelectiſſimas quasque materias, induſtriam Erucæ vel Papilionis illuſtrantes, congeſſit. *Primo* de termino vitæ, quam animalculum ſub diverſa forma Erucæ, Chryſalidis, & Papilionis explet, diſſeritur. Neque enim, quod jam in omni primi o-

 peris

peris ambitu abunde declaratum effecit, Eruca interiisse, ut Papilio exsurgeret, censenda, in quo mirando satis opere nescio quod resurrectionis symbolum Patres Trevoltienses in Diariis suis invenisse sibi visi sunt, sed continuatur unum idemque animalculum, Papilio scilicet sub Erucæ spoliis latens. Est quædam, qua tres istæ periodi conficiuntur, definita ætas. Omnes intra annuum tempus intereunt, quibusdam vel Erucæ, vel Papilionis, formam diutius servantibus. Sunt Erucæ, quæ ovulis suis, a Papilione matre partu editis, sub veris tempus exeunt, chrysalidem suam, tredecim dies nati, subeunt, in eadem tres fere septimanas perdurant, inde Papiliones diurni vel Phalenæ facti, breviorem vitam peragunt, alis vix siccatis jam coeunt, propediem ova pariunt, inde emoriuntur, naturali quandoque vitæ tædio, quasi rebus abunde gestis, ita quidem, ut haud paucis denegata sint nutritionis organa, id quod de quadam nocturnarum specie fœmina notabile est. Hi omnes autumni stationem vivendo non attingunt. Ovula tamen, industrie hinc inde circa ramulos arborum disposita, vitæ brevitatem duratione supplent. Nam illa, per hyemem quieta, ineunte vere excluduntur, ita quidem, ut ovulum, Eruca, Chrysalis, Papilio, unum animal sub diverso habitu annuum spatium expleat. Quædam hujus classis animalcula ovulo promtius exeunt; Erucæ diutius permanent, omni scilicet hyeme; inde Papilio sunt plus vel minus vivax, cujus ovulis scilicet eadem, qua partu edita fuerunt, æstate exeunt. Aliis Chrysalis per hyemem est, Papilio vere aut æstate, ovum & Eruca autumno. Quodsi tamen Erucam tantum intuearis, tanta in duratione ejus est differentia, ut aliæ sub hac forma vix tredecim dies, aliæ undecim menses, permaneant. Hanc Erucæ & Papilionis vitam arte vel breviorem, vel longiorem, reddere ingeniose tentavit Cl. *de Reaumur*, nec tentavit tantum, sed & perfecit. Nempe Chrysalides, quæ tardius Papilio futuræ erant, vitris utrinque convexis inclusas, gallinis ova cubantibus subjecit, quo ipso quatuor diebus perfecit, quod ceteroquin quatuordecim dierum opus futurum erat. Erucas, ad metamorphosin subeundam in hybernacula delatas, instigavit, inde citius solito

facti

facti Papiliones, partu ovorum edito, breviorem vitæ rationem obtinuerunt. Ex opposita parte Erucas ad metamorphosin proclives frigore cellarum, aliove modo, coercuit, quo ipso tardius facti Papiliones longius vixisse reputabantur. Frigus scilicet perquam patienter ferunt Erucæ, maxime quæ gregariæ sunt, id quod massis frigorificis, congelationis terminum longe excedentibus, quibus Erucas immergebat, probatum effecit Autor. *Alterum Caput* amores Papilionum, coitum, fœturas, zelotypiam, eleganter admodum describit. Nullus habetur in animalculo, quamdiu Eruca est, sexus nisi latens, quem nisi in Papilione dignoscere vix valeas. Papilionis unius fœmina tercentum, quatercentum, & ultra, ovula parit, ex quibus fratres sororesque habentur. His, quamdiu Erucæ permanent, nullus ardor, nulla libido, nisi ciborum, quos in perniciem arborum herbarumque avide ingurgitant, Cererem Venere potiorem agnoscentes. Verum, si friguit animalculum Eruca, Papilio intensius uritur, qui, vix chrysalide egressus, jam circumvolitat, quam primam invenerit, fœmulam initurus, inde alias, horæ spatio, plures. Expectat procum fœmella, nec plurimum reluctatur, quin allicit & incitat. Nulla sexus dignoscendi, nisi vel in magnitudinis discrimine, vel motus agilitate, vel barbularum ad antennas conditione, habetur commoditas. Majores & spatiosiores mare semper existunt fœmellæ, sed & tardiores sunt; quibusdam prorsus negavit alas, vel easdem vix conspicuas concessit, natura; barbulas ceteroquin antennis speciosiores fœminis mares obtinuerunt. Robore ita quidem prævalet fœmina, ut maritum coitu cohærentem avolando secum auferre possit. Ceteroquin sunt, qui situm corporis diametraliter oppositum coeundo servant, aliis ventres conjunguntur, quibusdam maribus agitantur in opere alæ, reliquis quiescunt. Masculas partes in Tab. III, fœmineas in eadem & in V, delineavit Autor. Magnâm uterus vel ovarium fœminæ omnibus admirationem facere potest. Insignis jam præsto est ovulorum in ovariorum tubis octo, a *Malpighio* habitis, numerus. Extat illius rei figura elegans in Tabulæ, quam dedit Autor, V Fig. 18. Neque vero omnium, postquam ovario secedunt, ovulorum una eademque

que forma exiſtit. Bombycum pluriumque aliorum Papilionum prægnantia ova cœruleum vel alium purpureo propiorem colorem obtinent; ſi qua luteola ſaltem ſunt, pro ſubventaneis vel ſterilibus habentur. Cruſta ovulorum coriacea eſt, figura tamen in pluribus diſcrepante. Videas ſphærica, cylindrica, rotunda, pyramidalia, quibus tamen omnibus non perpolita eſt ſuperficies, ſed crenis aſperitatibusque variis, mathematicum quendam tractum ſervantibus, exornata, quæ glutine naturali, partu ipſo prodeunte, in ſitu firmantur. Singularis eſt omnium Papilionum in ſecuritate ovulis concilianda induſtria. Si qui æſtivi ſunt, foliis ſua credunt ovula, ſed, qui hibernant, aut quorum ovula inter frigus brumale degunt, donec clementiore veris vel æſtatis aura excludantur, illi ovula circa arborum truncos & ramos collocant, quaſi conſcii, folia defluvium paſſura; & hi quidem contra aeris injuriam ovulorum ſuorum ſeries quovis modo præmuniunt. Sunt, qui hirſutie caneſcunt, piloſque ſuos ſibi ipſis evellunt, ut molle ovulis ſtratum ſtragulumque hieme duraturum concilient, unde, partu abſoluto, qui hiſpidi apparuerant, nudi fieri poſt conſpiciuntur Papiliones. Quibusdam, ſed paucioribus, Papilionibus integrum eſt, in truncis arborum per hiemem vivere, & ſua vere parere ovula, quo ipſo frigoris nihil metuunt. Id quidem diurnis potiſſimum Papilionibus licet; nam Phalenæ omnes ovula ſua promte pariunt, promtiusque intereunt reliquis. *Tertium Caput* Erucas gregarias recenſet, quæ, eadem matre progenitæ, ſorores fratresque, vitam in ſocietate degunt, eandem ſibi conſtruentes rempublicam. Hæ vero duplicis habentur generis. Aut enim, quamdiu Erucæ ſunt, gregatim vitam degunt, adeoque & chryſalidem omnes una ſubeunt, aut partem ſaltem vitæ in conſortio trahunt, diſcedentes, cum ſuperata hyeme metamorphoſeos tempus ingruit. Vulgatiores Erucæ, quæ ineunte vere folia arborum depaſcunt, illæ ſunt, quæ ſocietatis vinculo ad mutationis usque ætatem detinentur. Quindecimo, ex quo diurnus Papilio ovula ſua folio appoſuit, die, Eruculæ folium ſuum depaſcere incipiunt, turmatim in eodem collocatæ, donec grandiores factæ amplio-

plio-

pliorem quærant patriam, pluribus non foliis tantum, ſed & ramulis, in nidi pomæria contractis, quæ tunc ſerico filo, uniuscujusque Erucæ opera, muniuntur, & in cellulas diſponuntur. Labyrinthus eſt, quo tamen ſeſe extricant, quotiescunque ad eſcam fame compelluntur. Sex ſcilicet menſibus quietæ permanent, &, quamprimum gemmis erumpere folia arborum ſuſcipiunt, ſuis exeunt latebris, ordine quodam, qui milites decet, unde *proceſſionaires* vel *evolutionaires* ab Autore appellantur, ſed & redeunt, niſi aeris clementia arrideat. In nidis ſuis exuvias relinquunt, quas aliquot, antequam chryſalides fiant, vicibus exuunt. Obſervare id non tantum in pomiferis arboribus noſtris liceat, ſed & piceæ arbores aut pinus luculentum exemplum ſubminiſtrant, quarum tamen Erucæ hiſpidæ, ſicut illæ glabræ, exiſtunt. Similes gregarias in plantagine obſervare licebit. Hæ tamen omnes ſeorſim mutantur, ſiquidem terram plerumque ſubeunt, & in eadem ſua fata explent. *Caput* autem *quartum* de Erucis gregariis agit, quæ omnem vitam, donec Papiliones facti fuerint, in ſocietate conficiunt. Hæ quidem plurimæ, unum agmen conſtituentes, quoties excurrunt, ducem ex optimatibus ſeligunt, quo præeunte, primum ſingulæ, tum binæ, ternæ, quaternæ, quinæ, incedunt, nec alia, quam a duce deſignata, via incedunt. Pleræque ex illis urunt urticarum more, nec attactu tantum cutem vitiant, ſed & e longinquo, Phaſeoli pruriginoſi inſtar, ſua dimittunt ſpicula, unde intolerabilis fere æſtus illos, qui propiores facti ſunt, excruciat. Sunt autem ex gregariis, una vitam degentibus, quas *otioſas* appellare liceret, quæ eſcam non ex longinquo petunt, ſed proximam quamque arripiunt, unde de induſtria foliis vicina cubicula ſtruunt, in quibus quieti ore ſaltem promiſnulo foliola depaſcunt, id quod in malo potiſſimum arbore obſervare licet. *Caput quintum* exponit Erucas, vitam ſolitariam degentes, quarum ſingula folium arboris vel plantæ occupat, & diſtinctum ſibi format domicilium. Quædam folium, ſericeis filis mirabili induſtria ductis, contorquent, ita quidem, ut pyxidem ſibi, in qua nidulantur, conficiant. Has convenienter termino *Rouleuſes*, *Convolvulas*, appellitat. Conſtans eſt

obſervatio, quotquot hoc vitæ genus ſeligunt, glabras eſſe, ſedecim pedibus, quatuor ſcilicet, præter ſolennes, intermediis, in quercu & acetoſa. Videas, quæ folia non in tot, quot poſſibile eſt, helices convolvant, ſed flectant ſaltem minore, quam antecedentes efficere id ſolent, induſtria; has *plieuſes, plicatiles*, vocat. Inde habentur, quæ plura folia colligant, quo domum ſibi exinde conſtruant; *lieuſes, colligatrices*, appellantur, qualis illa potiſſimum exiſtit, quæ fœniculi eſt incola. *Caput ſextum* ſingularium Erucarum quarundam, ſpecie & vitæ genere diſcrepantium a reliquis, hiſtoriam recenſet. Memorabilis eſt Eruca, ſyringam vel lilac depaſcens, *ſphinx* dicta, quandoquidem ſitum corporis ſimilem ſemper ſervat. *Superbam* appellares; nam & *l'orgueilleuſe* a quibusdam dicitur. Hæc terram ſubit, quo chryſalidem ſibi effingat. Inſignis itidem eſt, quæ ſupra ſalicem habetur, *biſurcata* a caudæ habitu dicta, quam corporis figuram non temere indipiſcitur, ſed ex inſtituto comparatam, quo muſcas ichnevmones Erucarum deſtructrices motitatione averruncet. Notabilis non minus eſt *aurita* ſalicis, cui ſimilem nullibi poſſis reperire. *Caput ſeptimum* deſtinatum eſt notabili præ reliquis Erucæ ſpeciei, quæ ab habitu & figura *caput mortuum, tête de mort*, a clamorem vero edendi facultate, qua reliquæ omnes carent, *ſonora* dicitur. Hanc ſemper intelligas lugubrem edere ſonum, unde & formæ & clangoris ratione a pluribus mali ominis avicula reputata fuit, morborumque epidemicorum prænuntia. Singulare aliquid curioſorum ſpeculationibus offerunt, quæ *Capite octavo* percenſentur, *Erucæ legumina depaſcentes*, quas *Arpenteuſes*, ſedecim pedibus, appellat Autor, ſic dictas, quia non ſimplici corporis tractu, ſed flexu ſerpentino, iter dimetiuntur. *Flexuoſas* appellabimus interea, donec aſſueſcant eruditi per Galliam viri ſuo idiomate parcius delectari, & communi omnibus gentibus, a quibus intelligi cupiunt, dictione Latina, ne ſibi tantum ſcripſiſſe videantur, uti. Numerus autem pedum in Eruca non ubique generis definiendi regula eſt. Sunt enim, id quod *nono Capite* exponitur, Erucæ ſolitariæ ex flexuoſarum ordine, quæ decem, quæ ſedecim pedibus ingrediuntur, idque peculia-

re

re habent præ reliquis, quod quasi de industria complicatis & sapienter admodum adunatis foliis binis domicilium sibi construant, in quibus delitescunt, seque ad metamorphoseos opus disponunt. Hisce singularis est serico filo ex arbore descendendi, vel ad domum sese recipiendi, industria. Omnes Papiliones nocturni fiunt, terramque pro subeunda transformatione intrant, quales potissimum in tilia, fraxino, ulmo, existunt. Regulas, quod semper intendit Autor, quasdam stabilivit: *Erucæ omnes, cingulo serico suspensæ, nocturni fiunt papiliones, omnes flexuosæ nocturnæ.* Intellexit tamen, aliquam hic, sicut nulla regula sine exceptione est, observari anomaliam. Sunt inter flexuosas, quæ miras haud raro contorsiones corporis exercent, *convulsionariæ* exin appellandæ; aliæ baculi instar rigescunt, *rigidæ* hoc ipso dicendæ. Singularis est, quæ *Capite decimo* instituitur, de Erucis aquaticis commentatio. Tales in Potamogetone, mediis lacubus innascente planta, observavit Autor, duobus foliis complicatis intermedias, villosas, & ita quidem comparatas, ut, quamvis partium structura a terrestribus dispares haud esse deprehendantur, aquam tamen impune ferre possint. Curiosissima sunt, quæ *Capite undecimo* de inimicis Erucarum enarrantur, non avibus tantum, sed & congeneribus. Patienter scilicet ferri possent Erucæ reliquæ, si liberi esse possemus ab illa gregaria, quæ communis dicitur, nisi vegetabilia ab auritis, versicoloribus, *la Livrée* dictis, a gregariis parvis, malorum vel africorum, quæ papillam carneam dorso gerunt, incolis, itidemque a *Lepore* dicta, brassicæque vel leguminum Erucis male haberentur. Optima fortuna id factum esse comperimus, quod Erucæ Erucarum destructores existant, quæ dentibus mutuas iras exercent, sesque mutuo devorant. Accedit commune plerisque Erucis malum, *Ichnevmon, musca quadripennis*, & quædam aliæ bipennes muscæ, quæ non tantum arachneos, ipsasque Erucas, jucundo spectaculo arreptas, forficibus auferunt & depascunt, sed & sua ovula invitis Erucis alte in earundem corpora demergunt, id quod peculiaribus organis perficiunt, unde, vivente Eruca, in ejus visceribus enascuntur ex peregrinis ovulis vermes, qui Nympham intra Erucas in-

 duunt,

duunt, nec, nisi Muscæ factæ, ex Eruca, mundo tunc visa, evolant. Aliæ a vermibus, nondum nec Nymphis, nec Muscis, exeduntur, & denique pereunt. Videas, qui gregarii, qui solitarii, in corpore Erucæ vermes ichnevmones Muscæ futuræ existunt. Admirationem non levem parit, hosce Erucarum destructores vermes, alios in visceribus suis destructores secum ferre, qui eandem, quam aliis intulerant, injuriam patiuntur. Accedit Erucarum juratus hostis, vermis niger, qui Scarabæus fœtidus futurus est, in utroque habitu Erucas maxime gregarias misere exercens. Ultima est de Erucis caulium, radicum, fructuumque arboreorum, commentatio. Sunt, quæ truncos arborum, lactucarum caules, capita dipsaci seu cardui fullonum, subeunt, Erucæ, Papilio, pseudo-Erucæ, Musca quadripennis, futuræ. Appellantur autem pseudo Erucæ, quæ plures sedecim pedibus obtinent, quæ nunquam in Papilionem, in Muscam quadripennem semper, degenerant. Exeduntur horæi fructus non Erucis tantum, quæ, deciduo ob labem contractam pomo, terram, ut chrysalis & papilio fiant, subeunt, sed & vermibus, Muscæ futuris, ex quibus sunt, quos apodas & elasticos appellares, nam, mordicus arrepta dentibus cauda, ad definitum spatium dissiliunt. Ejusmodi vermes plures aliquando unum hordei granum obsident, quamvis non nisi unus granum subire, & in eodem nympha fieri possit, unde bella cladesque fraternas supponi necesse est. Haud raro, prout in glande, Eruca sedecim pedibus & vermis una sunt, sufficiente utrinque pabulo, & provincia æqualiter utrinque distributa. Insignis futura est legentibus eruditissimum librum voluptas, & arduum, in re, specie parva, ad nobilissimas quasque meditationes adspirandi, argumentum. *Tertiam* nobis Operis *Partem* promittit in colophone libri Cel. Autor, tum aliis, tum Apium historia, celebrem futuram.

PLANTARUM MINUS COGNITARUM Centuria quarta, complectens Plantas circa Byzantium & in Oriente observatas, per J. C. BUXBAUM, Acad. Scient. Socium.

Pe-

Petropoli, ex Typographia Academica, 1733, 4 maj. Plag. 5, Tabb. æn. 66.

Insignem sibi vivus famam lucratus est Celeberrimus Autor tribus Plantarum minus cognitarum *Centuriis*, quarum observandarum opportunitatem itinera ipsi fecerant. *Quarta*, cui immortuus est, nomen ejus prorsus immortale reddidit. Postquam priori Opere plantas perfecto flore gaudentes exposuerat, si quas vel nullibi, vel obscurius, descriptas animadverterat, illos etiam ordines herbarum auctiores effecit, quorum flos vel imperfectus est, & stamineus, vel prorsus nullus. Ex illa familia gramina, ex hac muscos, lichenes, fungos, feliciter aggressus est, felicius expedivit. A fungis incipit oratio, quorum alii a figura *infundibulum referentes* audiunt, quos malæ notæ & perniciosos omnes *Bauhinus* pronuntiat, alii lamellarem sortiti sunt nascendi conditionem, qui ipsi non melioris famæ sunt, unde ad cibum inepti appellantur, siquidem in fœtidum plerumque ichorem degenerant. Capitati, sive in capitulum exacte rotundum, sive acute effictum, desinant, ex ista lamellatorum classe sunt, quorum alii oris laceris, alii integris, alii albi, alii lutei, alii cœrulei, alii denique spadicei, existunt. Ex violaceis aliquis est, qui exitialis dici meruit, quidam in cellis vinariis ex ligno putrido, passimque gracilitate pennam anseris æquante, proveniunt. Capitatis accensentur, qui a definita quadam, quam nacti sunt, forma galericulati vel pileati audiunt, qui, sicut colore tetrico, nigro, obsoleto, vario, nullam sui fiduciam faciunt, & olitores in limine deterrent, ita vere exitiales & nonvesci dicti fuerunt *Læsselio* in *Flora Prussica*. Aliquibus succus inest, lacteus, acris, venenosus, utut Ruthenis aceto & oleo conditus inter delicias sit; nempe & napellum illi impune digerunt. Fungi sunt, quos a saporis conditione piperatos Cl. *Bauhinus* appellitat. Singularis & illa est fungorum diversitas, qua alii solitarii nascuntur, multiplices sunt alii, plures scilicet insimulque ex volva erumpentes, longior aliis, aliis brevior & bulbosus pedunculus, ex quibus esculenti alii, nonvesci alii habentur. De fungis noxiis in genere hæc est Autoris sententia: falli, qui notas certas, quibus ab innoxiis & esculen-

culentis discerni queant, tradere conentur, cum id ab experientia & usu his vel illis populis familiari dependeat. Sic recenset inter perniciosos quosdam, qui luteo aureove colore innocentibus persimiles habentur. Antequam ad gramina muscosque transeat, in transitu plantas quasdam perfectiores delibat, *linariam maritimam sed foliis succulentis, Gnaphalium maritimum, Alsinen vernam pratensem, sclaream minorem, contam violaceam, Filaginem fruticosam capitulis parvis conglobatis, Ericam folio juniperi floribus purpureis oblongis, Ericam folio juniperi flore majore, Ericam folio Abietis flore arbuti, Turritim minorem flore purpureo, Cepam palustrem altissimam, Clymenum majus foliis longis striatis.* Inde graminum rariora genera attingit. Quamvis enim non levis sit graminum cyperorumque diversitas, cum perfectus hexapetalos his, imperfectus stamineus flos illis, competat, ob affinitatem tamen, qua sese mutuo tangunt, conjunctim de utraque ista vegetabilium gente egit. Id potissimum animadvertit, quod cyperis solenne est, tria folia subjecta esse florum panniculis, & singulum florem suo singulari sustineri pedunculo. Rariores visæ sunt esse species graminum, seu herbarum culmiferarum, prout dici sueverunt, quæ, cum repentia sint, spicas elatius aristatas obtinent, vel panniculis sunt latius sparsis. Si quæ alia Botanices pars, illa certe, quæ agrostographia audit, ob rerum immensitatem suis premitur difficultatibus. Inde terminis ex omni rei herbariæ ambitu adoptatis utimur, ut claritati in subsidium eamus. A phalaride phalaroidea gramina, a festucis gramina festucea, & sic porro, dicuntur, quorum rariores species hic adduntur. Accedunt Musci, qui a coralliorum similitudine, qua nasci sueverunt, corallioides appellantur. Iconum elegantia Autoris industriæ par est, cujus ossa nunc, exantlatis itinerum laboribus, in terra patria, nobis vicina, molliter quiescunt.

CARBO PESTILENS A CARBUNCULIS SIVE Variolis veterum distinctus, delineante utrumque affectum JOANNE GOTHOFREDO HAHNIO, Phil. & Med.

Med. Doct. & Nat. Cur. Soc. Accedunt binæ Excellentissimi Medici, DANIELIS WILHELMI TRILLERI, de eodem argumento Epistolæ.

Vratislaviæ, apud Jo. Jac. Korn, 1736, 4.
Plag. 16.

Elegantis libelli de Carbone pestilentiali argumenta, antiquorum æque ac recentiorum principum in arte virorum fide suffulta, sequentia sunt. Carbo, qui Ἄνθραξ Græcorum, tumor est inflammatorius, partem, quam exurere suscipit, celeriter exstinguens. Quodsi partem, quam primus invaserat, solam internecione delet, malo ad vicinas aut remotiores non transeunte, nec gravioribus stipato symptomatibus, benignus, sin secus, malignus, a subdola nocendi indole, appellatur, qui, ubi plures in eadem societate versantes in mali societatem pertraxerit, epidemico grassandi impetu pestilens existit. Ad ipsa ossa penetrant carbonis radices, qui parvo principio ortus, sensimque tumefactus, ubi secedere a parte sana & separari incipit, sanitatis fiduciam facit, secus, si latius diffundatur, multo minus, si malignitatis notam secum ferat, siquidem pauciores ex plurimis fata superant, utut carbo in secularibus, pestilentibus, aut epidemicis malis non ipse morbus sit, sed morbi symptoma, dispari tamen eventu, vel in salutem, vel membri corruptionem, vel mortem, desinente. Cum variolis quædam communia habet carbo, quod utrinque nulla corporis loca tuta sint, plurima diversa, maxime illam circumstantiam, qua variolæ cutim, carbo vero omnem loci, quem invadit, ad ossa usque profunditatem occupat, variolarum semina nobiscum nascuntur, carbonum virus ab extranea parte ingruit. Enatæ hinc sunt Cl. Autori cum Cl. *Werlhofio*, Medico Hanoverano, modestæ de antiquitate variolarum, & de carbonis variolarumque penes antiquos existente diversitate, contentiones. Quæritur scilicet, an veterum anthraces iidem sint, qui recentiorum, quod affirmat Noster, inde, an veterum anthraces sint variolæ nostri seculi, quæ sententia est doctissimi *Hahnii*, quam potissimum in eruditissimo de antiquitate variolarum Schediasmate exposuit,

ſuit, quamvis largiatur, quosdam antiquorum anthraces nec noſtros eſſe carbones, nec noſtras variolas. In opprobrium id ab adverſario vertitur, quod poſt *Drelincurtium* Cl. *Hahnius* de identitate carbonis veterum & recentiorum variolarum dicere ſuſceperit. Æquivocatio ſola in viſceribus terminorum carbonis & carbunculi veterum latet. Carbunculi antiquorum aliquando noſtratium ſunt variolæ, id eſt, utriusque affectus hiſtoria ex deſcriptione *Hippocratis* perinde eſt, ſiquidem uterque affectus epidemicus quidem, ſed non peſtilens, fuit, utpote qui a *Galeno*, anno ante Aſiaticam epidemiam, adeoque extra peſtem, jam obſervatus fuerit. Itaque carbo peſtilens & carbunculus, ſeu variolæ antiquorum, morbus exiſtunt, toto cœlo diſcrepans. Plurimum valent ad edocendam carbonis peſtilentis & carbunculi epidemici, ſaltem non peſtiferi, differentiam verba *Euſebii: præter hæc*, peſtem ſcilicet, *alterius cujusdam morbi vis ſæviit, ulcus videlicet, quod ob inflammationem Carbunculus vocatur:* id quod ipſum verbis *Cedreni* denuo intenditur. Etſi autem non ſequatur, quandoquidem aliquis anthrax antiquorum fuerit non peſtilens, ergo antiquorum anthracem hodiernas variolas eſſe, nihilo minus anthraces veterum utplurimum noſtras eſſe variolas, ab Autore ulterius probatur, primum a corpus invadendi modo, quod *Euſebii* anthrax, per totum corpus ſerpens, nec oculis pepercerit, quibus orbos effecerit quamplurimos, quæ res digitum in noſtras variolas intendere videtur, ita quidem, ut valde ſuſpecta ſit de variolis ante Arabes non exiſtentibus ſententia, ſiquidem, ſi *Pauli Æginetæ* anthracis, & aliquorum ex recentioribus, *Sennerti*, *Sydenhamii*, variolarum deſcriptiones inter ſe quis comparet, Fratrum Menæchmorum ſimilitudinem deprehendere poſſit. Inſigne iſtius opinionis fulcimentum eſt, quod, cum carbo peſtilens cruſtam non inducat, carbones, nam Græci plerumque in plurali de hoc affectu pronuntiant, cruſtoſi antiquis eſſe perhibeantur. Veri autem antiquorum carbonis peſtilentis monumenta eruuntur; quam in gratiam peſtis illius, quæ inſignem Ægyptiorum ſtragem ulceribus & puſtulis nigris edidit, indoles eruitur. Carbonis peſtiferi ex *Hippocrate*, *Galeno*, *Paulo*, *Herodiano*, aliisque, qui peſtes

stes provinciarum declararunt, Autoribus, signa evolvuntur, nihilque omittitur eorum, quæ ad ornatum & utilitatem libelli ullo modo, prout lecturis jucundissimum futurum est, facere poterant. Novum sententiæ de antiquitate variolarum, & quod illæ anthraces antiquorum fuerint, pondus addunt Celeberrimi Medici & Philologi, *Trilleri*, quem, bono publico natum, colimus, Epistolæ binæ, quibus vindicantur nonnulli ex Græcorum penu loci, qui id ipsum innuunt. Clara sunt *Aetii* Amideni verba, qui anthraces puerorum morbum & efflorescentias appellavit, sicut ille ipse clarus in arte Vir omni ex parte cum Cl. *Habnio* contra Cl. *Werlhofium*, etsi, quod decet virum eruditum, satis amice & modeste, disputat.

MACHINES ET INVENTIONS, APPROUvées par l'Academie Royale des Sciences, &c.

h. e.

MACHINÆ, ET INVENTA, APPROBATA ab Academia Scientiarum Regia, inde a sua fundatione ad nostra usque tempora; una cum illorum descriptionibus. Delineata ac publicata, consensu Academiæ, per GALLONUM.

Tomus VI.

Parisiis, apud Gabr. Martin, Jo. Bapt. Coignard, fil. & Hippolyt. Lud. Guerin, 1735, 4 maj.
Alph. 1 plag. 7. Tabb. æn. 69.

Sextus, isque ultimus, Operis nunquam satis commendandi *Tomus*, trium duntaxat Annorum inventa continet, quæ scilicet inde ab A. 1732 ad 1734 Academiæ examini fuerunt submissa, ejusque suffragiis munita. En igitur Anni 1732 inventa: 1) Rheda, postis, quas vulgo vocant, inserviens, & inventa a *Lievrio*, quæ tamen incommoditatibus quibusdam sat magnis obnoxia est. 2) Alia rheda, subversioni haud obnoxia, ac proposita a *Du Queto*, quem sæpius jam nominavimus. Id quidem facile obtinet, cum rhedas convertat in trahas: evidens au-

tem eſt, eas hac ratione uſibus vix ullis eſſe idoneas. 3) & 4) Machina hydraulica, quæ elevat aquas, una cum ſua applicatione, propoſita a *le Demourio.* Tantæ ſimplicitatis eſt, ut Machinæ nomine vix inſigniri queat, prout in *Hiſtoria Academiæ ad. h. a. pag. 167 edit. Batav.* legitur. Principium conſtructionis hoc eſt, quod experientia conſtat, aquam in tubo inclinato, celeriter circumacto, ultra libellam adſcendere. Igitur res omnis eo redit, ut tubus ſic inclinatus ope Machinæ quam velociſſime in gyros agatur, ut aqua, ultra libellam elevata, per orificium ſuperius effluat. Experimentis factis, conſtitit, Machinam hanc, ab uno ſolum homine ope manubrii verſatam, tempore 34 ſecundorum totidem abſolviſſe gyros, & 220 circiter aquæ pintas ad altitudinem ſex pedum elevaſſe, tubo ad angulum 50 graduum inclinato. Scopus Inventoris præcipue is eſt, ut Machina ſua inſerviat terris promte humectandis. 5) Machina, quæ aquas elevat ope vis alicujus centrifugæ, propoſita a *M***.* Refert Cl. Editor, *Boſfrandum*, Architectum, ejus inventorem credi, & exemplar fieri curaſſe. Conſtructionis principium novum haud eſt, ſed *Ramellio* jam adhibitum, apud quem plures ejus generis Machinas videre licet. 6) Alia, eidem effectui inſerviens, exhibita a *Bolognio.* Emboli Antliarum adſpirantium & prementium vectibus juncti ſunt, qui a radiis tympani, quod axi rotæ aquariæ additur, attolluntur deprimunturque, atque ita ipſos quoque Embolos alternis vicibus attollunt ac deprimunt. 7) Duæ Machinæ hydraulicæ, quarum uſus eſt in elevandis aquis, propoſitæ a *Saulono*, & ex iisdem omnino principiis derivatæ, eo fine, ut Metis ad Moſellam fluvium exſtruerentur, id quod autem vix effectum dari poſſe, judicat Cl. Editor, ob nimiam tuborum longitudinem ac diametrorum parvitatem, quæ Embolorum frictiones valde auget, & prorſus inevitabiles reddit; ob nimium quoque catenarum, quæ in hac Machina adhibendæ ſunt, pondus, ac directionis tam catenarum, quam tuborum, (quæ ſcilicet verticalis ſemper eſſe deberet,) inconſtantiam. 8) Modi quamplures aquas elevandi mediante pondere atmoſphærico, inventi ac propoſiti a *Bedautio.* 9) Applicationes quædam ad alias Machinas factæ, ab

ab eodem Autore. Licet totius rei theoria ſit veriſſima, & ingenioſe excogitata, in executione tamen talium Machinarum difficultates orituras, quæ vix ſint ſuperabiles, optime judicat Cl. Editor. 10) & 11) Duæ Machinæ pro navibus adverſo flumine trahendis, inventæ ab Illuſtriſſimo Saxoniæ Comite. Prima præcipue conſiſtit in applicatione ergatæ verticaliter poſitæ, ſed cui ope rotarum horizontalium variæ dantur diametri, pro onere & mole navium trahendarum adhibendæ. Ceterum ei a frictionum incommodis, quæ magnam funium vim conſumunt, cylindrorum tam verticalium, quam horizontalium, applicatione, cautum fuit. Secundæ a prima hoc eſt diſcrimen, quod actioni ergatarum adhuc jungantur rotæ aquariæ, in utroque navigii latere, cui tota Machina inſiſtit, applicandæ, & a torrente agitandæ, quæ eundem, quem remi perpendiculares, effectum præſtant. Axis duarum rotarum communis tympanum gerit radiatum, quod a rota ergatæ horizontali ac dentata impellitur; neutrum igitur absque altero moveri poterit. 12) Novum Micrometron univerſale, inventum a *Grandjean*, Academiæ Regiæ Scientiarum Membro, cujus hæ recenſentur præ ordinariis prærogativæ: 1) ſimplicitas compoſitionis, & facilitas executionis; 2) facilitas obſervationum cum eo inſtituendarum, cum aliquæ, imo plures, magnitudines breviſſimo temporis ſpatio menſurari ejus ope exactiſſime queant, ſecus ac fiat in ordinariis; 3) præciſio quantumvis magna, ad quam facillime redigi poſſit; ac denique 4) ingens verificationis facilitas. Notamus hic, (cum, deſcriptionem dare integram, nimis longum foret,) partem hujus micrometri principalem & eſſentialem, cujus ope rectificandum quoque eſt, eſſe curvam illam, cujus jam in recenſione noſtra mentionem fecimus, quæ videlicet ex evolutione circuli deſcribitur. 13) Turris, obſervationibus Aſtronomicis commode inſtituendis perquam idonea, inventa a Cel. *Godino*, Acad. Scient. Regiæ itidem Membro. Diameter turris interior eſt 7 circiter pedum, & murorum ſpiſſitudo 6 pollicum duntaxat; tres habet feneſtras, cum una porta, quæ Septentrionem, prout feneſtræ plagas reliquas, reſpicit; muri vero altitudo $5\frac{1}{2}$

Mm 2 pedes

pedes non excedit, ut quam minimæ astrorum altitudines eo commodius capi possint. Tectum circa axem quaquaversum est convertibile, & formam coni truncati habet; in cujus summitate erigitur arbor verticalis, 18 circiter pollices alta. In infima tecti parte compages aliqua lignea est, quam scalæ nomine appellat Inventor, quæque tota fere ultra tectum prominet, ac ope funium, qui trochleas arbori modo dictæ applicatas ambiunt, ab observatore elevari, ac demitti, commode potest. Scalæ huic imponitur telescopium 15 pedum, quale nimirum in observationibus Astronomorum fere quotidianis adhiberi solet. Patet igitur, observatorem, tectum turris vertendo, motum astri commode cum telescopio suo sequi posse, nec aeris injuriis esse expositum. In interiore turris parte collocari adhuc possunt Horologium oscillatorium, quadrans telescopicus, & quæ alia adhuc est Astronomorum suppellex. 14) Modus observationes Astronomicas cum telescopiis longioribus commode instituendi, propositus ab eodem Autore, & ad executionem jam perductus inde ab Anno 1731. Scopus Inventoris est, observationibus cœlestibus omnem, quam quidem licet, facilitatem conciliare, ut non in observatoriis modo, sed in aliis quoque domibus, fieri, atque ita earum numerus valde multiplicari, possit. Commoditas inventi hæc est, ut in podio (*Balcon*) fenestræ alicujus constitutus observator, sedens, & absque omni prorsus molestia, telescopium 24 vel 30 pedum versus partem cœli sibi obversam dirigere queat. 15) Ejusdem adhuc modus, commode utendi telescopiis maximis, uti 60, 80, vel 100, pedum, & curvaturas, quas tubi circa medium ex nimia mole inducunt, evitandi; hæc enim præcipua ratio est, quare eorum usus non sit amplius adeo frequens. Tubus formam prismatis quadrangularis habet, & quamplurimis diaphragmatis interstinguitur, quæ foraminibus circularibus pertusa sunt, qualis est lentis objectivæ apertura. Tubus in medio sui furcæ, alicui, ferreæ, ligneæve, firmiter adaptatur, ut angulum cum ea rectum constituat. Inter quælibet bina tubi diaphragmata collocatur ex utroque ejus latere annulus vel fibula, quam filum ferreum arripit, altero sui extremo cochleæ

mari

mari annexum, quæ deinceps cum fœmina conjungitur; cui ipsi quoque in altera sua extremitate filum ferreum jungitur, quod in ipsa tandem furca terminatur. Ope hujus cochleæ maris & fœminæ fila ferrea, quæ ad tubum furcamque firmata sunt, in duas partes distinguuntur, & pro re nata prolongari, vel etiam contrahi, possunt. Patet igitur, tubum, hoc apparatu munitum, a rectitudine deflectere haud posse, cum ope cochlearum semper ad eam redigatur, si quam curvaturam induisse observatus fuerit. Ceterum sustentatur a fune, qui trochleam, in summitate mali alicujus constitutam, ambit. Trochlea super cardine convertibilis est, ut totus tubus circa malum quoque converti, & versus plagam quamvis dirigi, valeat. Modum hunc telescopiorum tubos efficiendi & suspendendi ipso facto Cl. Autor adhibuit, licet in telescopio 40 solummodo pedum, & successum expertus est optimum; neque est dubium, quin pari ratione telescopia, etiam longissima, evasura sint valde tractabilia. 16) Telescopium reflectens, inventum a *Jac. Le Maire*, ac a Telescopio *Newtoniano* Catadioptrico diversum, licet vehementer dubitemus, an eosdem cum ipso effectus præstiturum sit. 17) Methodus, motum pendulorum, quæ ab elateriis impelluntur, perficiendi, & ad æqualitatem reducendi, proposita ab Abbate *Outhierio*. Principium inventi huc redit: quoniam elater in maxima tensione fortissime trahit, ac debilius semper, quando sese restituit; pro æqualitate motus pendulo in duobus hisce casibus concilianda, id agendum erit, ut in majori tensionis gradu pendulum sit longius, in minori, brevius. Adeoque loco fusorum circiter coniformium, qui hanc in rem vulgariter adhibentur, modum ostendit Autor, quo pendulum semper abbreviari debeat, quando elater sese restituit, adeoque vim debiliorem exserit. Non autem una solum ratione id obtineri posse, Cl. Editor annotat. Inventum hoc peringeniose excogitatum est, sed fusis tamen, quibus hodie utimur, longe inferius, & vix alicujus in praxi usus, id quod pluribus rationibus ostendit Cl. *Gallonus*, ex quibus una ex præcipuis est, quod vix possibile sit, talem invenire elaterem, qui pendulum ea præcise quantitate prolonget aut contrahat,

trahat, quæ desideratur, ut taceamus, suppositiones adhiberi, de quarum certitudine parum, aut nihil omnino, constat. Vix igitur opus erit, ut plura de hisce verba faciamus. 18) Brachium artificiale, inventum a *Kriegsteissenio.* Componitur ex quatuor partibus, ex cupro factis, quæ tribus in punctis mobiles sunt. Prima exhibet digitos; secunda manum; tertia anteriorem brachii partem, ad cubitum usque; quarta denique posteriorem. Brachium hocce fabrefactum motus & articulationes naturales perquam curiose imitatur. 19) Molendinum, vento agitandum & horizontale, magis perfectum a *Gallono*, ut majori soliditate gaudeat, ex materia quavis, ligno, lapidibus, &c construi possit, nec versus plagas dirigi necessum habeat. 20) Laterna, quæ lucet infra aquam etiam demersa, inventa a *Virgilio.* 21) Instrumentum novum, inserviens altitudinibus mari commode capiendis, propositum a *Grandjean*, Acad. Reg. Scient. Membro. Est scilicet arcus circularis 45 graduum, cujus limbus in bina minuta prima divisus est. Alhidada sive regula mobilis telescopica est, & duobus vitris convexis instructa. In centro Instrumenti collocatur speculum planum, imaginem solis reflectens. Usus instrumenti valde simplex & expeditus est. Namque, dum altitudo Solis capienda est, regula telescopica versus horizontem visibilem dirigitur, ac observator soli dorsum obvertere debet. Deinde movendus erit circuli vel potius octantis, limbus, in cujus centro speculum firmatum est, donec imago Solis a speculo per telescopium in oculum observatoris reflectatur, qui non in centro, sed prope limbum instrumenti, observat. Numerandus deinde est angulus, quem regula effecit cum limbi radio; ejus enim duplum exhibebit solis supra horizontem elevationem. Ingeniosa sane hæc est constructio, & effectui facile danda, modo exiguæ quædam adhibeantur præcautiones, quas Cl. Editor fusius enumerat. 22) Libramenta Horologiorum *Sulliana*, de quibus *Mense Martio* quoque diximus, magis perfecta a *Juliano le Roy*, qui ea in Horologiis portatilibus ad praxin jam cum successu a se perducta asseverat. 23) Embolus, a frictionum incommodis liber, & executioni datus in antlia quadam, quæ in horto Regio est, a *Bo-*

a *Bolognio*. Scilicet diameter emboli duobus pollicibus minor est diametro tubi vel antliæ, sic, ut embolum inter tubique parietes spatium unius pollicis liberum supersit: deinde diaphragma coriaceum ex una sui parte embolo, ex altera parietibus tubi ope clavorum fortiter jungitur, ita, ut spatium, per quod embolus adscendit & descendit, ab isto velut retinaculo determinetur, nec pollices quatuor superet. Cum itaque spatium inter tubum ac embolum diaphragmate hoc coriaceo repleatur; facile patet, nullum hic omnino esse emboli ad latera tubi affrictum. Judicat Cl. Editor, hoc inventum omnia sui generis alia antecellere, præsertim cum coriacea hæcce diaphragmata valde durabilia, nec sumtuosa, sint. 24) Machina pro mensurando navium itinere, autore *Du Buison*, quæ in quibusdam casibus utilis esse posset. 25) Sphæra nova, inventa a *Maunio*, qui peculiarem de illa Tractatulum in lucem emisit. Cum vero constructa sit ex novo aliquo, quod Autor sibi formavit, mundi systemate, quod lusum aliquem ingenii vere dixeris, pleniori ejus descriptione supersedemus, Lectorem ad Tractatulum modo allegatum remittentes, ubi & Academiæ de ea judicium invenire potest. 26) Variæ Rhedarum constructiones ac suspensiones, autore *Maillardo*, licet partim ab aliis jam, *Godofredo* præcipue, propositæ, partim quibusdam incommodis obnoxiæ. Anno 1733 hæc prodierunt Machinamenta: 1) Pons fluctuans, (*Pont flotant*,) magis perfectus a Cl. *Gallono*, qui plurimum differt ab iis, qui Anno 1713 Academiæ approbationem nacti sunt, & de quibus jam diximus, ac usibus, quibus ejusmodi pontes destinantur, multo magis idoneus est. 2) Machina, quæ inservit remis triremium impellendis, inventa a *Limousinio*, quæ satis simplex videtur. 3) – 6) Novæ cataractarum (*Ecluses*) constructiones, quarum tres priores ab Anonymo *M****, quarta autem a *Gallioto*, inventæ sunt. Refert Cl. Editor, tres priores executioni cum successu datas fuisse, atque navigationi super Sequanam flumen ipso facto inservire. Quarta autem pontibus versatilibus simul instruitur. 7) Libella magis perfecta, a *Grandjean*. Scilicet in extremitate objectiva libellæ *Picardianæ*, qualis describitur

bitur in ſuo de menſura telluris, & de arte libellandi, Tractatu, collocatur horizontaliter lamina cuprea vel ferrea, cui ad angulos rectos inſiſtere debet ſpeculum planum, idque exiguum, quod cum linea fiduciæ teleſcopii (quod libella habet) angulum 45°, vel aliud quoque, prout commodum judicabitur, efficit, ac dimidiam circiter objectivæ lentis partem tegit. Deinde ſuper lamina aliud adhuc erigitur ſpeculum planum, ſuper cardinibus verticaliter mobile, cujus uſus is eſt, ut duo objecta, in eodem cum obſervatore verticali haud exiſtentia, libellari poſſint, quoniam ope illius alterum objectum per radios reflexos videri poteſt; adeoque hac ratione errores, ex ſubitanea refractionum mutatione oriundi, evitabuntur. Ceterum praxis obſervationum cum hac libella inſtituenda eadem ratione, atque in aliis, peragitur. 8) Carrus, ſemet ipſum terra onerans, dum ab equo trahitur, autore *du Queto*. 9) Inſtrumentum, inſerviens altitudinibus mari capiendis, inventum a *Quirineuſio*. Scopus inventi hujus ſatis ingenioſi is eſt, ut altitudines ab Horizonte usque ad Zenith, quæ per tangentes arcuum verticalium innoteſcunt, ſeparentur in duas partes æquales. Conſtruitur enim triangulum rectangulum iſoſceles, cujus unum crus diviſiones tangentium a 0 usque ad 45 gradus, alterum vero ordine contrario a 45 usque ad 0, comprehendit. Hac enim ratione evitatur prodigioſa Inſtrumenti longitudo, quæ neceſſario prodiret, ſi omnes tangentium diviſiones ab 0 usque ad 90° ipſi dandæ eſſent, cum tangens anguli recti plane ſit infinita, uti ex trigonometricis conſtat. Inſtrumentum eſt ex ſimpliciſſimis, quæ huic ſcopo inſervire poſſunt. 10) *Teralii* Machina, quæ uſui eſt in follibus officinarum ferrariarum grandioribus movendis. Prima adhibenda erit eo caſu, ubi officina torrente deſtituitur, cujus ope rota folles movens agitari deberet. Secunda autem adhibenda erit, ubi torrentis uſus conceditur. Magnus autem follium numerus ejus ope ſimul moveri poterit. 11) *Maillardi* duæ propoſitiones, quas exhibuit pro vi elateriorum, quæ pendula movent, ad æquabilitatem reducenda. 12) Nova Cameræ obſcuræ conſtructio, inventa ab Abbate *Noleto*. Eſt Pyramis, ut vulgo fiunt, trun-

truncata, superne aperta; super apertura constituitur speculum metallicum versatile, ut inclinationem quamvis recipere possit &c. 13) Ejusdem Machina, inserviens effingendis ac præparandis telescopiorum lentibus, quæ inter simplicissimas, huic usui aptas, connumerari potest. 14) *Du Buisoni* Machina, cujus auxilio gypsus probe conterendus est. 15) *Du Queti* Horologium hydraulicum, quod, licet satis ingeniosum videatur, ad æquabilitatem tamen, uti omnes omnino hujusmodi Machinæ, nunquam reduci poterit, adeoque inter curiosas solum numerari meretur. 16) Diversæ Machinæ, ingeniosæ & curiosæ magis, quam utiles, inventæ a *Maillardo*, veluti 1) Cygnus artificialis, qui motus naturales hujus animalis satis exacte æmulatur; 2) Cymba, ab equo marino fabrefacto trahenda, & in horto Versaliensi ad executionem perducta; 3) Rheda, itidem ab equo artificiali trahenda. 17) Duæ Machinæ, iis utiles, qui arti saltatoriæ operam dant, propositæ a *Des Hayes*. Prima enim inservit pedibus extus dirigendis; secunda capiti verticaliter tenendo. 18) Cl. *Galloni* constructio pontis arrectarii, iis in locis præcipue adhibendi, ubi nullum est ab hoste periculum. Simplex est, haud sumtuosa, &, licet pons arrectus sit, prospectum tamen nullatenus impedit. Ceterum indicavit quoque Cl. Inventor mutationes, quas subire deberet, si iis in locis, ubi ab hoste metuendum est, adhiberetur. 19) *Bouveti* Machina, cujus ope vis ventorum marinorum mensurari possit, nondum tamen plene perfecta, experimentisve subjecta, quorum fide constare deberet, in quo adhuc deficiat. 20) Duo Inventa, proposita a *Raucourio*. Primum saltem curiosum est, & inservit jaculationibus ad scopum ope arcus faciendis. Secundum jactum bombarum spectat, ac utilius est. 21) Novæ ac diversæ constructiones Radularum, (*Rapes*,) quibus tabacum fricant, & in pulverem redigunt. Autoris vel Autorum nomen non additur. 23) Machina pro curandis portubus, fluviis, canalibusque, inventa a *Guyeto*, idque ingeniose, sic, ut plurimis prærogativis gaudere præ ordinariis videatur. Cochlear enim, quod portuum sordes evacuat, majus est, ac fieri vulgo solet. Ro-

tæ, quibus elevatur, minorem habent diametrum, adeoque citius elevant; ut taceamus, totam Machinam multo facilius, multoque minori temporis ſpatio, in alium transferri locum poſſe, & reliquas operationes magna omnes promtitudine peragi. 24) Ejusdem conſtructio nova Machinæ, quam *Gruem* appellant, deſtinata præcipue uſibus Machinæ præcedentis, quoniam ultra 14 pedum altitudinem nihil elevat, nec ſingulare aliquid præ aliis hujusmodi Machinis habere videtur. 25) Ejusdem Repoſitorium, apprime inſerviens curioſitatibus naturæ concinne diſponendis, & conſpectui exponendis, cujus tam conſtructio, quam decorationes, ingenioſæ ſunt, ut parvo volumini ingens concharum, papilionum, &c. numerus includi queat. Exemplar hujusce Repoſitorii a Duce *Sullio* aſſervatur, & ſui generis hactenus unicum eſt. 26) Machina pro elevandis aquis, propoſita a *Gallono*, qui copioſam ejus deſcriptionem quoad ſingulas partes exhibet, & quinque Tabulis illuſtrat, una cum calculo effectus, quem præſtare poteſt, ex quo conſtat, ope hujus Machinæ ſpatio unius minuti primi elevari poſſe 7776 pollices cubicos aquæ, vel 162 pintas. Ceterum Machina eſt Pariſiis exſtructa, huic fere ſimilis, quam vero vidit Autor, poſtquam hanc ſuam jam exhibuiſſet. Anno 1734: 1) Inſtrumentum, inſerviens altitudini Solis cognoſcendæ eo ipſo momento, quo horam diei monſtrat, inventum a *Carlierio*, cujus præcipua commoditas hæc eſt, quod ejus ope altitudo Solis pro qualibet poli altitudine inveniri poſſit. Eſt ſcilicet menſula vel tabula cuprea, in qua juxta methodos vulgares deſignatum eſt Horologium verticale, rectilineum, univerſale. Deinde fit quadrans circuli corneus, in gradus & minuta ope transverſalium diviſus, & affixus regulæ mobili, ut parallelis latitudinum imponi poſſit, ibique firmari ope cochleæ. Porro ſuper hac tabula deſignantur duo trigona, quorum primum ultra ſigna & gradus eclipticæ parallelos latitudinum continet, alterum gradus ſolum eclipticæ. Pro obtinenda igitur hora & altitudine Solis pro aliquo loco, centrum quadrantis in ſigno eclipticæ convenienti collocandum eſt, in trigono majori, & ejus gradu, qui locum Solis deſignat: deinde filum,

filum, quod in centro firmatur, in minoris trigoni gradum dirigendum, ſic, ut unio mobilis cum eo congruat. Inſtrumento deinceps Soli obverſo, lumen ſolare per duo pinnula, inſtrumento affixa, tranſibit, unioque horam indicabit, altitudo autem Solis in quadrante a filo oſtendetur. Pro alio autem loco regula mobilis ſuper parallelo latitudinis ejus firmanda eſt, & reliqua peragenda, uti diximus. 2) Conſtructio Horologii, quod horas repetit, ſic, ut mechaniſmus pro hora tam indicanda campanulæ ſono, quam repetenda, unam eandemque compagem efficiat, autore *Larſayo.* 3) Machina pro navibus adverſo flumine trahendis, ope oſcillationis penduli alicujus, autore *R. P. du Vivier.* Habes igitur omnes, quæ in *ſexto* hoc *Tomo* conſpiciuntur, Machinas. Finem *Tomi* facit Index Machinarum, ordine alphabetico digeſtus, qui conſpectum totius Operis ſimul exhibet. Atque ſic quidem & nos recenſioni noſtræ ſatis amplæ colophonem imponimus, quam efficere talem ſtuduimus, ut Lectori ipſius præſtantiſſimæ Collectionis perlegendæ ſalivam movere poſſit; dulcius enim ex ipſo fonte bibuntur aquæ. Cumque ſub auſpiciis Academiæ Illuſtriſſimæ novis acceſſionibus artes continuo augeantur, de Operis quoque hujus continuatione nulli dubitamus, quam eadem, qua *Tomos* præſentes, diligentia, claritate, nitore, pertractaturum, ac luci publicæ expoſiturum eſſe Cl. *Gallonum*, nobis omnino perſuademus.

OBSERVATIO ECLIPSEOS LUNÆ, TOTALIS ac prope centralis, cum mora H. 1. 47′. 20″. Anno 1736 die 19 Sept. Budæ & Peſthii, contiguis Regni Hungariæ urbibus, tubo pedum 14 & minoribus, temporibus ex altitudinibus fixarum correctis, ex itinere inſtituta a SAM. MIKOVINY, Nobili Hungaro, Sacræ Cæſ. ac Reg. Cathol. Majeſt. Aulico-Camerali Geometra, & Societ. Scient. Reg. Bor. Membro.

 Immer-

Immersiones.

Temp. Ver. Astron. H.	′	″	
XIV.	5.	0.	Limb. Lunæ Orient. pallescit.
	9.	0.	Penumbra sentitur.
	15.	0.	Luna umbram ingreditur.
	17.	12.	Grimaldus mergitur.
	18.	15.	Grimaldus totus.
	19.	50.	Galilæus incipit.
	20.	40.	Galilæus totus.
	25.	25.	Mare humorum incipit.
	26.	45.	Keplerus incipit.
	27.	40.	Keplerus totus.
	28.	15.	Aristarchus incipit.
	29.	20.	Aristarchus totus.
	34.	50.	Bullialdus incipit.
	35.	40.	Bullialdus totus.
	36.	30.	Copernicus incipit.
	37.	30.	Copernicus medius.
	38.	30.	Copernicus totus.
	39.	20.	Heraclides.
	42.	30.	Tycho incipit.
	43.	28.	Tycho medius.
	44.	25.	Tycho totus.
	44.	25.	Helicon.
	51.	12.	Plato incipit.
	51.	50.	Plato medius.
	52.	30.	Plato totus.
	54.	15.	Manilius.
	54.	15.	Mare serenitatis incipit.
	58.	10.	Menelaus incipit.
	58.	50.	Menelaus totus.
XV.	0.	35.	Dionysius incipit.
	1.	30.	Dionysius totus.
	1.	30.	Plinius incipit.
	2.	0.	Plinius totus.
	2.	50.	Mare nectaris incipit.

Immersiones.

Temp. Ver. Astron. H.	′	″	
	3.	50.	Fracastorius incipit.
	4.	30.	Fracastorius totus.
	6.	50.	Mare nectaris totum.
	8.	40.	Mare fœcunditatis incipit.
	11.	40.	Messala.
	13.	40.	Mare Crisium incipit.
	16.	0.	Langrenus medius.
	17.	30.	Mare Crisium totum.
	21.	10.	Totalis obscuratio.

Emersiones.

H.	′	″	
XVII.	8.	30.	Luna emergere incipit.
	10.	10.	Grimaldus emergit.
	10.	50.	Grimaldus medius.
	11.	30.	Grimaldus totus.
	14.	0.	Galilæus.
	16.	40.	Mare humorum incipit.
	16.	40.	Schickardus.
	18.	50.	Aristarchus incipit.
	19.	50.	Aristarchus totus.
	22.	0.	Keplerus incipit.
	23.	0.	Keplerus totus.
	23.	20.	Mare humorum totum.
	32.	0.	Tycho incipit.
	33.	40.	Tycho totus.
	35.	10.	Copernicus totus.
	36.	50.	Plato incipit.
	37.	30.	Plato medius.
	38.	10.	Plato totus.

Hic Plato quiescere jussit. Sole enim jamjam orituro, crassæ subito elevatæ nebulæ, finem Observationi nostræ imposuerunt.

Cum urbes Buda & Pesth montes ab Occidente objectos habeant, patentioris prospectus gratia, Observationem in æde hortensi Illustr. *L. B. Szeletzky*, loco 1000 hexapedis orientaliori, instituimus. Pro obtinenda latitudine Budensi & Pesthiensi observatum est, Quadrante tripedali cum tubo, Pesthii:

Anno 1736.		Altit. limbi ☉ sup. merid. observata.			Elevatio Poli.		
Die Sept.	19.	44°.	6′.	30″.	47°.	29′.	27″.
	20.	43.	42.	30.	47.	29.	18.
	21.	43.	19.	50.	47.	29.	36.

SCHE-

SCHEDIASMA DE CURA VETERUM CIRca Hæreses, e Scriptura Sacra & antiquissimorum Patrum monumentis collectum, ac, adjuncta Oratione inaugurali de Cathechisatione veteris & recentioris Ecclesiæ, editum ab ELIA FRICKIO, *Ecclesiaste, & Theol. Cat. Profess. Publ. Ulmensi.*

Ulmæ, sumtibus Danielis Bartholomæi & Filii, 1736, 8.
Alph. 1 plag. 4.

Quamvis nullo modo sit laudandus Philosophorum antiquorum modus philosophandi, quando discipuli in verba præceptoris jurabant; tamen illorum non est approbandum institutum, qui, in alterum extremum procurrentes, libertatem sentiendi sibi arrogant, &, quodcunque lubet, adstruunt, atque defendunt. Inter vitia nostri seculi hæc ipsa sentiendi libertas sibi non ultimum vindicat locum, cum multi in Philosophia non solum & Historia, sed in ipsa etiam Theologia, quod ipsis placet, proferant, & aliis obtrudant. Atque hoc ipsum Pl. Rev. Autori hujus Tractatus occasionem dedit in veterum curam circa hæreses inquirendi, illamque ex antiquis monumentis demonstrandi. Trium vero primorum Seculorum Patres hujus rei testes elegit, quibus adjunxit *Eusebium*, & inprimis, ut *Arnoldum* sæpius confutet, omnem navat operam. Jam ante triginta annos hic labor occupavit Pl. Rev. Autorem, cum sub *Eliæ Veielii*, Theologi summi, præsidio hanc Tractationem duabus Dissertationibus defenderet. Denuo nunc edidit eandem, retentis *duabus Sectionibus*, multis insuper additis, emendatis, & auctis. *Sectio I* exponit, quid veteres de hæresi senserint, & quos pro hæreticis habuerint. Propterea in genere inquirit, quid sit hæresis. Est vox origine Græca, & *eligere*, *præferre*, notat, inde & hoc nomine Philosophorum sectæ notabantur, quo sensu ad Judæos etiam transiit, & Christiana religio hoc nomine quoque compellatur. In ipsa sacra Scriptura hæresis & hæreticus semper in malam partem usurpatur, & est hæresis sententia Scripturæ Sacræ contraria, fundamentum Pag. 1. 4.

 fidei

Pag. 7 seq. fidei convellens, palam in Ecclesia edocta & defensa. In do-
ctrina igitur quærenda est hæresis, quod Autor ex sacra
Scriptura probat, & illos locos vindicat, qui ab adversariis in
13. contrariam partem adducuntur. Non tamen prorsus negatur,
vitia morum, v. g. ambitionem, invidiam, avaritiam, in hæreti-
18. cis plerumque esse conjuncta cum falsa doctrina. Hæreticum
autem non quivis error facit, sed ille, qui fidei fundamentum
20. evertit, qui, si deinde disseminetur, hæresin constituit. Idem an-
tiquos Patres de hæresi & hæreticis sensisse, totus est, ut de-
21. monstret, Cl. Autor, & hæreseos vocabulum trium priorum
Seculorum Patres non nisi in malo sensu adhibuisse, testimonio
Clementis Alexandrini & *Tertulliani* probat, quamvis a *Tertul-
liano* nonnunquam religioni Christianæ tribuatur nomen se-
ctæ. Ceterum per hæresin vitium doctrinæ intellexisse, ut alla-
tum fuit, antiquos Patres, omnibus viribus contendit, & ex ea
22 – 54. ratione testimonia producit in scenam ex Seculo II, hanc rem
confirmantia, *Ignatii*, *Polycarpi*, *Justini Martyris*, *Theophili
Antiocheni*, *Irenæi*, quem inprimis, uti & reliquos, contra *Ar-
noldum* mascule defendit, *Hegesippi*, & *Rhodonis*, ex tertio Se-
culo *Clementis Alexandrini*, *Tertulliani*, *Origenis*, *Cypriani*,
Novatiani, *Dionysii Alexandrini*, quantum ex ejus fragmentis
constat. Luculentius tamen hoc ipsum poterit intelligi, si ipsæ
hæreses paullo curatius considerentur, &, quare isti homines
55. pro hæreticis sint habiti, ostendatur. An temporibus Aposto-
lorum fuerint hæreses, & tales hæretici, quæstio est, quæ a
Dodwello & *Arnoldo* negatur, contra quos Autor disputat, &
omnino illud affirmat, hoc sensu tempore Apostolorum fuisse
58 seq. hæreticos. Recte porro antiquos hæreticos priorum trium Se-
culorum fuisse damnatos ab Ecclesia, confirmat, quia eorum
errores fuerint maxime fundamentales, fidei fundamentum
subruentes, quod omnibus fere illorum temporum hæretico-
rum exemplis demonstrat, ut adeo hanc Tractationem pro
Historia hæresium trium priorum Seculorum habere possis.
Hunc enim in finem disserit de *Simone* Mago, cujus vitam,
placita, fata, recenset, & contra *Arnoldum* simul disputat de
Menandro, de *Ebione*, de *Nicolaitis*, de *Cerintho*, de *Saturni-*

no,

no, de *Basilide*, de *Carpocratianis*, de *Epiphane*, de *Prodicianis*, de *Cajanis*, de *Quintilla* hæresi, de *Ophitis*, de *Valentino*, & ejus asseclis, de *Bardesane*, de *Heracleone*, de *Gnosticis*, de *Cerdone*, de *Marcione*, de *Apelle*, de *Tatiano* & *Encratitis*, de *Montanistis*, de *Theodotis*, *Coriario*, & *Trapezita*, de *Artemone*, de *Hermogene*, de *Praxea*, de *Novatiano*, & ejus hæresi, de *Noeto*, de *Sabellio*, de *Paulo Samosateno*, & de *Beryllo*, in quorum omnium historia sæpe contra *Arnoldum* stilum dirigit, ejusque errores notat. *Sectio II* curam veterum Patrum circa hæreses, quam exercuerunt ipsi, aliis præscripserunt, & exemplo suo præiverunt, producit. Christus ipse & ejus Apostoli suum fervorem in hæreticos sæpius demonstrarunt in suis scriptis non solum, sed & viva voce, quin & communione Ecclesiæ excluserunt hæreticos Apostoli, ut exemplo patet *Pauli*, *Joannis*, & aliorum. Omnia hæc confirmat Concilium Hierosolymitanum, ab Apostolis congregatum, in quo contra falsos doctores disputatum, & vera sententia promulgata est. Hæc cura circa hæreses a Christo non solum, sed etiam ab Apostolis, multis in locis Scripturæ Sacræ serio præcepta fuit. Refutarunt autem suos adversarios ex Scriptura, tanquam norma controversias decidendi, & suas theses ex iisdem probarunt acriter, interdum contra hæreticos disputantes, & pœnis justis illos permittentes, qua occasione *Arnoldus* notatur. Postera ætate eadem cura Patribus Ecclesiæ circa hæreses in usu fuit, & eundem fervorem demonstrarunt, quod ex eorum testimoniis fusius probat Pl. Rev. Autor, & quidem speciatim testimoniis *Clementis Romani*, *Ignatii*, *Polycarpi*, *Justini M. Irenæi*, *Hygini*, & Romanæ Ecclesiæ, *Dionysii*, Corinthiorum Episcopi, *Rhodonis*, *Asterii Urbani*, *Apollonii*, & aliorum adversariorum Montanistarum. Eandem curam confirmant Concilia, quæ hoc ævo habita fuerunt contra diversos hæreticos. *Clemens Alexandrinus* etiam & *Tertullianus* pro virili sese hæreticis opposuerunt, & omni contentione contra illos disputarunt, id quod eorum testimonia suadent. Tertio Seculo floruit *Cajus*, qui & voce & scriptis hæreticos oppugnavit, *Origenes*, qui multa specimina edidit curæ suæ circa hæreses, quam eodem tempo-

Marginal references: Pag. 200. (at "quorum omnium historia…"); 208. (at "suis scriptis…"); 213. (at "Pauli, Joannis…"); 220. (at "Refutarunt…"); 223 seq. (at "stis illos permittentes…"); 295. (at "ævo habita…"); 307. (at "eorum testimonia…")

Pag. 337. re demonſtrarunt *Cyprianus*, *Cornelius Romanus*, *Dionyſius Alexandrinus*, & alii. Concilia & Synodi hujus Seculi, inprimis quæ in cauſa *Novatiana* ſunt habitæ, eandem rem o-
344. ſtendunt, inprimis Concilium Antiochenum. Nihil autem ad defenſionem hæreticorum facit, ut putat *Arnoldus*, quod multi & interdum eximii nominis viri hæreſes fuerint amplexi. Inde Cl. Autor non ſolum ex Scriptura, ſed etiam Patrum dictis, demonſtrat, nihil illos hoc ipſo proficere. Quo deinde dubium removeatur illud, quod pii viri & graves in hæreſin prolabantur, unde concludunt, non adeo malos eſſe
347. hæreticos, *Tertulliani* affert verba & *Cypriani*, quibus illud
350. refellitur. Tandem & illud urgent adverſarii, ſæpius hæreticorum errores toleratos fuiſſe in Patribus, quos tamen in hæreticis damnaverint. At, quamvis Patres nonnullas locutiones ejusmodi uſurpaverint, tamen ſenſu diverſo hoc factum eſt, & orthodoxi impurius nonnunquam locuti fuerunt, quam
356. ſenſerunt, quod nonnullis exemplis probatur. Quo etiam pertinent certamina nonnulla, quæ in Eccleſia magno cum impetu ſunt agitata, v. g. controverſia de feſto Paſchatos, de lite *Origeni* mota, de controverſia cum *Dionyſio Alexandrino* habita, de Baptiſmo hæreticorum, & ſic porro. Hisque adeo Cl. Autor curam veterum variis teſtimoniis, ex III prioribus Seculis depromtis, circa hæreſin & hæreticos ſatis ſuperque demonſtravit, quæ res ipſi omnino feliciter ceſſit, variaque adſperſit, quæ hanc rem optime illuſtrant, & egregie confir-
373 ſeq. mant. Adjecit his omnibus Orationem *de cathechizandi ratione veteris ac recentioris Eccleſiæ*, quam habuit, cum Profeſſionem Theologiæ Cathecheticæ ſuſciperet. A Chriſto cathecheta illo duodecenni initium capit, deinde ad Apoſtolos & eorum cathecheſin pergit, porro de cathechiſatione in veteri Eccleſia varia exponit. Tradit inprimis, quales fuerint illi, qui cathechiſationes inſtituerunt; præterea de loco cathechiſationis, de cathechumenis, & eorum diverſis claſſibus, de ratione cathechiſandi, de cathechiſationis intermiſſione in Eccleſia, & per *Lutherum* reſtitutione, nonnulla diſſerit, & obſervationibus illuſtrat.

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Julii Anno MDCCXXXVII.

ΩΡΙΓΕΝΟΥΣ ΤΑ ΕΥΡΙΣΚΟΜΕΝΑ ΠΑΝΤΑ, &c.
h. e.

ORIGENIS OPERA OMNIA, QUÆ GRÆce vel Latine tantum extant, & ejus nomine circumferuntur. Ex variis Editionibus & Codicibus manu exaratis, Gallicanis, Italicis, Germanicis, & Anglicis, collecta, recensita, Latine versa, atque Annotationibus illustrata, cum copiosis Indicibus, Vita Autoris, & multis Dissertationibus; opera & studio Domini CAROLI DELARUE, Presbyteri, & Monachi Benedictini e Congregatione S. Mauri.

Tomus I.

Parisiis, typis Jacobi Vincent, 1733, fol. maj.
Alph. 10 plag. 20½.

Quod diuturnis eruditorum votis expetitum & valde desideratum fuit, scilicet, ut *Origenis*, celeberrimi, dum vixit, ecclesiæ doctoris, cognomine *Adamantii*, scripta, post illas Parisiensium doctorum, *Merlini* & *Genebrardi*, editiones Latinas, denuo in unum veluti corpus colligerentur, servatoque inter genuina & spuria ordine, Græca, quæ nobis supersunt, exhiberentur, cuncta denique ad veterum Codicum manu

exaratorum fidem castigarentur; illud muneris tandem sui existimavit, & singulari cum cura suscepit, *Carolus Delarue*, Presbyter, & Monachus Benedictinus, e Congregatione S. Mauri, laudabili sane exemplo sociorum suorum, qui quantam in edendis poliendisque Græcæ & Latinæ Ecclesiæ Patribus inde a tot annis posuerint operam, in his *Actis* persæpe indicavimus. Constitutum nimirum est Editori Cl. post *Hexaplorum Origenis* Libros a Cel. *Bernardo de Montefalconio*, non diu post Seculi præsentis initia, editos, reliqua etiam tanti Scriptoris Opera, cum illa, quorum sola non nisi superest Latina interpretatio, tum ea, quæ Græce ad nostram ætatem pervenerunt, editione præsenti, *quinque* paranda *Voluminibus*, complecti, eo quidem ordine, ut *primo* eorum scripta contineantur, quæ peculiaris sunt instituti, & Syntagmata ab *Huetio* nominantur, *quatuor* vero reliquis exegetica, quibus doctissima accedent hujus *Origeniana*, quæ, cum prolixa sint, ad calcem totius Operis rejicere, quam fronti illius præfigere, maluit, ne, quod præsens nobis sistitur, *primum Volumen* justæ excederet magnitudinis limites. Et in hoc quidem, post præmissam ab Editore Præfationem, quæ instituti rationem exponit, primum
Pag. 2. inter *Origenis* scripta locum occupant ejus Epistolæ, quarum tamen paucissimæ, earumque non nisi fragmenta, habentur, si *Julii Africani* ad *Origenem*, hujusque ad illum, de historia *Susannæ* Epistolas, una cum ea, quam ad *Gregorium Thaumaturgum* scripsit, excipias, quæ integræ Græce cum Latina interpretatione exhibentur. Septem in universum illarum sunt numero, non, quod plures olim non exstiterint, sed quod reliquæ omnes, nominatim, quas ad Patrem *Leonidam*, ad *Philippum*, Imperatorem, hujusque conjugem, *Severam*, ad *Tryphonem*, *Fabianum* porro, urbis Romanæ Episcopum, *Beryllum*, aliosque complures Ecclesiarum Antistites, de recta fidei suæ ratione dedit, quarumque, præter *Eusebium*, *Hieronymus* aliique mentionem subinde injiciunt, temporis diuturnitate perierint. Illarum autem, quæ ad nostram ætatem pervenerunt, & Operi huic insertæ leguntur, unicuique variæ lectiones & notæ, seorsim binis, de historia *Susannæ*, Epistolis

lis, ***Rudolphi Wetstenii***, qui Seculo superiori eas Basileæ vulgaverat, adjectæ sunt animadversiones, non quidem omnes, sed eæ tantum, quas a suæ ecclesiæ fide Cl. Editor alienas non esse existimavit, quemadmodum etiam utriusque γνησιότητα adversus illius objectiones defendendam suscepit in Præfatione, quam iis præmisit. *Origenis Epistolas* nonnulla *Librorum de Resurrectione*, & Operis *Stromatum*, fragmenta excipiunt, quorum priora, quæ agunt de Resurrectione, ex Apologia, quam pro *Origene* scripsit *Pamphilus*, Martyr, & ex *Methodii* de Resurrectione Dialogo, posteriora, quæ ex sexto & decimo *Stromatum* Libris supersunt, ex Opere *Hieronymi* adversus *Rufinum*, ejusdemque in *Danielem* & Epistolam *Pauli* ad Galatas Commentariis, desumta fuere. Sequuntur quatuor *Libri* περὶ ἀρχῶν, seu *de Principiis*, ex *Rufini* interpretatione Latina, cui tamen aliquot Græcæ orationis & versionis, quam post *Rufinum Hieronymus* adornavit, & quarum utraque, qua maximam partem, temporis injuria jam pridem interiit, fragmenta suis quæque locis e regione adjuncta leguntur. Multo utique emendatiores *quatuor* hi *Libri* in præsenti Volumine comparent, quam sua olim ætate eos in lucem protraxit *Merlinus*. Præterquam enim, quod in hujus editione Græci sermonis reliquiæ, quas Philocalia, Imperatoris *Justiniani* ad *Menam*, Patriarcham Constantinopolitanum, Epistola, & *Marcellus Ancyranus* apud *Eusebium*, exhibent, plane desiderentur, incidit ille in Codicem quendam Sorbonicum, bonæ quidem notæ, sed cujus scribendi genus, parum quippe in veterum MStorum lectione exercitatus, assecutus non erat; hinc, cum divinaverit potius, quam legerit, lectiones sæpe absurdas & ridiculas pro veris & genuinis admisit, de quibus emendandis neque posteriori ætate sollicitus fuit *Genebrardus* in sua eorundem Librorum editione, quam anno septuagesimo quarto Seculi XVI luci exposuit. Hisce igitur vitiis ut medicam manum adhiberet Editor noster Cl. *Rufini* interpretationem ad fidem sex Codicum antiquissimorum emendavit, &, quoties sese obtulit aut Græci sermonis, aut Latinæ *Hieronymi* interpretationis, fragmentum, versioni *Rufinianæ* e regione illud

Pag. 8. 33. 39. 45.

apposuit, ut, quantum a boni interpretis legibus *Rufinus* sæpe recesserit, quantumque *Origeniana* interdum ille adulteraverit, uno statim intuitu appareret lectoribus. Sunt vero ejusmodi fragmentorum circiter quadraginta duo. Accidit interdum, ut eadem columna modo in duplicem secta, ab una parte repræsentet Græca, ab altera interpretationem *Rufini*, vel hinc *Rufini*, illinc *Hieronymi*, vel hinc Græca, illinc versionem novam, ubi deest *Rufiniana*, modo in triplicem divisa, in medio proferat Græca, a sinistris *Rufini*, a dextris novam, ubi *Hieronymi* deest, interpretationem, vel a sinistris exhibeat, quæ *Hieronymus* Latine vertit, in medio Græca, a dextris versionem novam, quæ *Hieronymiana* multo est elegantior. Suc-
Pag. 195. cedit *Origenis περὶ εὐχῆς*, seu *de Oratione*, Libellus, a mendis & vitiis, quibus priores editiones, Oxoniensis & Basileensis, quarum utraque ex Codice Cantabrigiensi, sed male, descripta fuerat, scatebant, purgatus, postquam *Joannes Walkerus*, Presbyter Anglus, Vir Græce doctissimus, Cl. Editoris rogatu Codicem Cantabrigiensem cum editione Oxoniensi denuo contulit, & *Richardus Bentlejus* lectiones depravatas correxit, quibus ille auxiliis, quæ emendatione opus habebant loca, suo ea
273. nitori restituit. Sistitur jam *Origenis de Exhortatione ad Martyrium* Liber, Græce, ex Codice, quo usi fuere *Huetius* & *Wetstenius*, cum hujus, quæ infra leguntur, animadversionibus. Utrique horum Librorum e regione accedunt versiones Latinæ, quas *Claudius Fleuri*, celebris, dum vixit, Historiæ Ecclesiasti-
315. cæ scriptor, in usum *Huetii* jam olim adornaverat. Sequuntur *Libri contra Celsum*, gentilem Philosophum, numero VIII, quibus Christianæ Religionis veritatem contra criminationes illius strenue vindicavit *Origenes*, quorumque hoc nomine, dici non potest, quanta fuerit apud veteres, qui Operis hujus mentionem fecerunt, existimatio. Primum hi Libri Græce & Latine simul circa Seculi superioris initia Augustæ Vindelicorum, interprete *Sigismundo Gessenio*, cum notis *Hoeschelii*, anno deinde ejusdem Seculi 58, cura *Guilielmi Spenceri*, cum doctissimis ejus animadversionibus, Cantabrigiæ, prodierant. Sicuti autem *Spencerus*, dum Codicum ope destituebatur, Græca *Hæsche-*

Hæschelii, fere integra, secutus fuerat, quæ tamen vel maxime emendatione opus habebant, ita non poterat non eodem, quo Augustana, vitio etiam laborare Cantabrigiensis editio. Longe feliciori esse contigit Editori nostro Cl. cui non solum variæ lectiones ex octo MStis adjumento fuere, sed & Notæ ac conjecturæ tum eruditi *Francisci Guiet*, e Societate Jesu, tum aliæ longe plures, quas orbi erudito proposuit *Elias Boberellus*, ad calcem Gallicanæ suæ Librorum *contra Celsum* interpretationis, quæ A. 1700 Amstelodami lucem adspexit, quibus adjutus subsidiis, Græca *Origenis* emendavit, iisdemque, relicta *Gessenii* interpretatione, quam a vero *Origenis* sensu sæpius deflexisse constabat, addidit novam, a *Vincentio Thuillierio* sibi oblatam, quam, cum ad bonæ interpretationis leges exigeret, elegantem invenit, adeoque dignam, quæ emendatæ orationi Græcæ e regione collocaretur. Inter animadversiones autem, quæ variantes etiam Codicum lectiones exhibent, maximam partem eæ constituunt, quibus hos *contra Celsum* Libros illustravit *Spencerus*. Quæ hactenus, præeunte Editore doctissimo, enumeravimus scripta, ea inter vera & genuina Pag. 803.
Origenis referuntur. Iis accedunt supposititia: primo quidem *contra Marcionitas, seu de recta in Deum fide, Dialogus*, cujus orationem Græcam Noster ad quatuor Codices recensuit, variaque expunxit menda, quibus editio *Wetsteniana*, quæ ex uno tantum Codice descripta fuerat, erat fœdata. Qua interpretationem Latinam, sibi elegit illam *Joachimi Perionii*, ceteris duabus, *Pici*, Senatoris olim Parisiensis, & *Laurentii Humphredi*, Angli, versionibus elegantiorem. Deinde Dialogo succedunt Φιλοσοφέμενα, seu *de Placitis Philosophorum* 873.
Liber, primum ex Codice Mediceo Græce & Latine editus a *Gronovio* in Thesauro Antiquitatum *Tom. X*, postea bis recusus, cura & studio *Jo. Christoph. Wolfii*, cujus editionem, utpote emendatiorem, variisque accessionibus auctam, in omnibus fere Noster secutus est Atque hæc sunt *Origenis* scripta, quæ *Syntagmatum* nomine in præsenti Volumine habentur, quibus adjecta leguntur *Anonymi Scholia in Orationem Domi-* 909.
nicam, eruditi cujusdam Angli *in Origenis Librum de Oratio-* 911.

ne Animadversiones, criticæ partim, partim exegeticæ, quæ ex altera ejusdem libelli editione Anglicana, quam A. 1728 Græce & Latine vulgavit *Guilielmus Reading*, editioni præsenti, ne quid huic deesse videretur, accesserunt. Sequuntur *Davi-*
Pag. 930. *dis Hæschelii Notæ ad Origenis octo Libros contra Celsum*, u-
934. na cum *Joannis Croji* & *Jacobi Gronovii*, illius in *Librum*
941. *sextum contra Celsum*, hujus in Φιλοσοφέμενα, observationibus. Totum Opus, quod *Clementi* inscribitur *XII*, Pontifici Maximo, *duo* claudunt, *alter locorum sacræ Scripturæ*, *alter rerum & verborum*, *Indices* copiosissimi. Ceterum, quotquot in hoc *primo Volumine* continentur *Origenis* scripta, genuina æque ac ea, quæ hujus nomine circumferuntur, eorum omnia, uti ex antecedentibus intelligitur, Editor noster Cl. ad Codices MStos recensuit, quorum quidem cum multi in præstantissimis Galliæ & Germaniæ, Angliæ & Italiæ, Bibliothecis, ad quas non æque facilis ipsi patebat accessus, asservarentur, laudat hinc ad finem Præfationis & honorifice appellat eorum, qui vel ipsi, vel per alios, copiam illorum sibi fecere, nomina, nomen inprimis *Bernardi de Montefalconio*, qui, quicquid parandæ huic editioni aptum conveniensque fore existimavit, totum id omne secum communicaverit. Inde ergo enatæ sunt variæ lectiones, notæ, & animadversiones, tum aliorum, tum ipsius Editoris doctissimi, in extrema quaque Libri cujusque pagina, quarum aliæ veterem Historiam ac Philosophiam, aliæ dogmata & Ecclesiæ disciplinam, aliæ antiquos Christianorum ritus & cerimonias, illustrant. Adhæc singulis Librorum, Præfationis instar, præmissum est *Monitum*, quo, quæ ad historiam illorum spectant, quo scilicet tempore, ubi locorum, quave data occasione, quisque prodierit, & quantam sæpe Autori invidiam conflaverit, Vir Cl. cum cura excussit, &, si liber sit genuinus, ejus γνησιότητα, si spurius, ejus νοθείαν, contra aliorum objectiones docte probavit. Impetrare a nobis non possumus, quin specimen Lectori inde exhibeamus. Mota jam olim fuit inter eruditos controversia, utrum Autorem *Origenem* habeat, qui vulgo *contra Marcionitas* inscribitur, *Dialogus*. *Joannes Rudolphus Wetstenius*, qui primus omnium Græce

Græce & Latine hunc Librum edidit, omnem in Præfatione præmiſſa movit lapidem, ut *Origeni* eundem aſſereret. Huic vero quod tribui nequeat, inter alia luculenter inde apparet, quia Autor illius Operis, cum de æterna Filii Dei divinitate loquitur, voce utitur ὁμοούσιος. Sic in *Confeſſione Fidei*, quæ poſt Sectionis primæ initium legitur, ait: Ἕνα Θεὸν καὶ κτιστὴν καὶ δημιουργὸν τῶν ἁπάντων εἶναι πεπίστευκα καὶ τὸν ἐξ αὐτοῦ Θεὸν λόγον, ὁμοούσιον, κ. τ. λ. Eodem modo ad finem Sectionis quintæ S. S. Trinitatem bis vocat ὁμοούσιον, & ſemel ἀχώριστον καὶ ὁμοούσιον. Nemo ſane Doctorum, qui ante Concilii Nicæni, atque adeo Arianorum etiam, tempora vixerunt, ita locutus eſt. Nemo quoque eorum fidei confeſſionem reliquit, quæ Eccleſiæ Catholicæ dogma de æterna Chriſti divinitate, verbis adeo planis, adeo diſertis, contra hæreſin illorum aſſereret. Et, ſi erant hæc verba *Origenis*, cur *Pamphilus*, Martyr, in ejus Apologia illa omiſit? Cur *Athanaſius* in Libro de Synodis, ubi tria *Origenis*, de verbi æternitate contra Arianos, teſtimonia habentur, eadem non adduxit, quæ tamen validiſſimum, hæreſi illorum eo fortius contradicendi, præbere poterant argumentum? Neque etiam aliquis veterum rei Eccleſiaſticæ ſcriptorum, ne ipſe quidem *Euſebius*, qui alias nihil, quod ad *Origenis* laudem ſpectat, præterire ſolet, unquam hujus contra Marcionitas diſputationis meminit, quam tamen celeberrimam eſſe oportebat, cum inſignem ex illa de *Megethio*, aliisque Hæreticis, Eccleſia Catholica victoriam reportaverit. Quibus accedit, quod in hoc Dialogo *Adamantii* quidem perſæpe, nullibi vero *Origenis*, nomen legatur, ſi Præfationem exceperis, quæ tamen cum Opere ipſo unum eundemque Autorem non agnoſcit. Inde tandem infert Cl. Editor, duos fuiſſe *Adamantios*, alterum *Origenem Adamantium*, *Leonidæ*, Martyris, filium, alterum ſimpliciter dictum *Adamantium*, hujus contra Marcionitas Dialogi Autorem, qui ſub *Conſtantino M.* Imperatore vixerit, cui ſententiæ ut autoritatem Vir doctus conciliet, teſtem adducit *Theodoritum*, qui, dum *primo Fabularum Hæreticarum Libro Cap. XXV* plures enumerat, qui contra *Marcionem* ſcripſerunt, alterum ab *Origene*

Pag. 862. *gene* manifeste distinguit *Adamantium.* Hæc ille contra *Wetstenium.* Pari quoque successu *Libri*, qui *de Placitis Philosophorum* Dialogum proxime sequitur, νοθείαν probavit con-
872. tra *Jacobum Gronovium*. Plura non addimus, cum ex iis, quæ diximus, abunde intelligatur, qua cura in edendo hoc *primo Volumine* versatus fuerit Cl. Editor, adeo, ut, si ad hujus præstantiam accedant etiam, uti speramus, reliqua, præsentem utique Operum *Origenis* editionem omnibus æquis hujusque rei intelligentibus æstimatoribus valde probatum iri, cur dubitemus, causa sit plane nulla.

A CATALOGUE OF THE MANUSCRIPTS of the Kings Library, &c.

h. e.

CATALOGUS MANUSCRIPTORUM Bibliothecæ Regiæ, una cum Appendice Catalogi Bibliothecæ Cottonianæ, editus a DAVIDE CASLEY, Sub-Bibliothecario.

Londini, sumtibus Autoris, 1734, 4.
Algh. 2 plag. 3, Tabb. æn. 16.

Operæ utique pretium fecit Cl. *Casley*, quod manu exaratos Codices Bibliothecæ Regiæ Londinensis recensuerit. In ea enim bis mille Volumina MSta reperiuntur. Quæ licet non omnia sint ejusdem ponderis atque momenti, quædam tamen antiquissimis atque utilissimis jure meritoque annumerantur. Autor noster in hoc Catalogo non solum annotavit ætatem, qua unumquodque MStum exaratum esse existimat, verum etiam de quibusdam Codicibus observationes adjecit omni utilitate non carituras. Centum etiam atque quinquaginta speciminibus in æs incisis diversam scribendi rationem docuit, quæ in MStis a Seculo tertio usque ad quintum & decimum exaratis obtinet. De quo quidem diverso scribendi modo in Præfatione ex instituto commentatur. Ad MSta rariora Bibliothecæ Regiæ *pag. 3* merito refertur *Inter-*

TAB. V ad Nova Acta

Fig. I.

Codex Alexand. I

ΠΑϹΟΠΙϹΤΕΥϹⲰ
ΟΧ̅Ϲ̅ ΕΚΤΟΥΘΥΓΕΓ
ΠΑϹΟΑΓΑΠⲰΝΤ
ΤΑΑΓΑΠΑΚΑΙΤΟΝ
ΝΟΝΕΞΑΥΤΟΥΕ
ϹΚΟΜΕΝΟΤΙΑΓΑ
ΚΝΑΤΟΥΘ̅Υ̅ΟΤΑ
ΠⲰΜΕΝΚΑΙΤΑϹ
ΤΟΥΤΗΡⲰΜΕΝΚ
ΑΥΤΟΥΒΑΡΙΑΙΟΥ
ΤΟΓΕΓΕΝΝΗΜ
ΝΙΚΑΤΟΝΚΟϹΜ
ΕϹΤΙΝΗΝΙΚΗΗ
ΚΟϹΜΟΝΗΠΙϹΤ
ΤΙϹΕϹΤΙΝΟΝΙΚⲰ
ΕΙΜΗΟΠΙϹΤΕΥ
ΟΥΙΟϹΤΟΥΘ̅Υ̅·Ο
ΟΕΛΘⲰΝΔΙΥΔΑ
ΚΑΙΠ̅Ν̅ϹΙϹ̅ΧϹ̅·ΟΥ
ΜΟΝΟΝ·ΑΛΛΑΕΝ
ΕΝΤⲰΠΝΙ·ΚΑΙΤ
ΤΟΜΑΡΤΥΡΟΥΝ
ΗΑΛΗΘΕΙΑΟΤΙΤ
ΤΥΡΟΥΝΤΕϹ·ΤΟ
ΚΑΙΤΟΑΙΜΑ ΚΑ
ΕΝΕΙϹΙΝ · ΕΙ
ΤⲰΝΑΝⲰΝΛΑΜΒ
ΤΥΡΕΙΑΤΟΥΘΥΜ
ΟΤΙΑΥΤΗΕϹΤΙΝ
Θ̅Υ̅ΟΤΙΜΕΜΑΡΤ

Interpretatio Novi Teftamenti Anglicana, Seculo quarto atque decimo exarata, & a verfione *Wiclefi* diverfa. Cl. *Casley* annotat, in ea verbum de verbo effe translatum, neque interpretem de integro fenfu accurate fciteque exprimendo fuiffe follicitum. *Pag. 5* de Codice Bibliorum Alexandrino differit. Notum eft, *Cyrillum Lucarem*, Patriarcham Conftantinopolitanum Sec. XVI, teftatum effe, hunc Codicem manu *Theclae* circa tempora Concilii Nicæni fcriptum. Cui quidem fententiæ Autor nofter non accedit. Videlicet in hoc Codice Pfalterio præfixa eft *Athanafii Epiftola ad Marcellinum*. *Athanafius* autem tempore Concilii Nicæni juvenis erat 27 annorum, neque hanc Epiftolam tum fcripferat. Probabile etiam illi non videtur, *Athanafio* vivente hanc Præfationem Codici Alexandrino infertam. *Athanafius* autem A. D. 371 demum mortuus eft. Præterea in hoc Codice Evangeliis præfixa funt κεφάλαια, de quibus conftat, quod A. 396 demum ab *Euthalio Diacono* compofita fint. Seculo tamen vel quarto vel quinto hunc Codicem exaratum effe, tuetur. Præter alias obfervationes, quas de hoc Codice affert, hæc notatu digna effe videtur, quod in Evangelio *Joannis* duo defint folia a *v. 50 Capitis VI* usque ad *v. 52 Cap. VIII. Duo*, inquit, *folia defunt, fi omittatur hiftoria mulieris in adulterio deprehenfa. Sic enim per circinos menfurando folii hujusce Codicis contenta, & cum impreffo libro conferendo, ad amuffim convenire reperi. Sin hæc hiftoria adeffet, duo folia cum quarta parte abeffe deberent, quod eft abfurdum. Hinc apparet, hanc hiftoriam huic etiam Codici femper defuiffe.* Ex hoc Codice fpecimen profert Cl. *Casley* in *Tabula XI*, exhibens *Capitis quinti prioris Epiftolæ Joannis verfus priores novem*, unde cum egregie illorum temporum fcribendi ratio cognofci poffit, nos, gratum facturi illarum rerum curiofis, id denuo hic defcribendum, exprimendumque in ære, curavimus. *Pag. 12* Biblia Latina, Sec. IX exarata, recenfet. Huic Codici correctiones & additiones altera manu pluribus in locis inferuntur, e. c. in prima Epiftola *Joannis Cap. V, 7 & 8*, fic fcriptum erat a prima manu: *Quia tres funt, qui teftimonium dant, Spiritus, aqua, &*

TAB. V Fig. 1.

 fan-

sanguis, & tres unum sunt. Quod a secunda manu sic corrigitur: *Quia tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt.* Et observatu dignum est, quod *testimonium in cœlo* in hoc Codice postponitur *testimonio in terra*, quia ad finem Paragraphi spatium erat relictum, in quo pars clausulæ, *testimonii in cœlo*, scribi poterat. Aliqui etiam Codices recentiores eodem ordine habent hæc testimonia, ex hujusmodi Codicibus descripti. *Pag. 54* Testamenta duodecim Patriarcharum commemorat, translata per *Robertum Grossetest*, Lincolniensem Episcopum, de Græco in Latinum, scripta manu *Matthæi Paris*, qui magnum his Testamentis statuit pretium. *Pag. 78* & *141* ex Codicibus MStis, Seculo quarto & decimo exaratis, Orationem dominicam sermone Anglicano exhibet. *Pag. 102* de *Martini Poloni*, Episcopi Consentini, Chronico, Seculo quarto & decimo scripto, disputat. Commemorabile est, huic Chronico in margine folii 90 ad A. D. 850 historiam de *Joanna* Papissa alia manu inseri, quam qua reliqua sunt scripta. *Pag. 205* mentionem facit Tractatus faceti, Seculo quinto atque decimo exarati, cujus index: *Nominis beatissimi res gestæ & miracula. Pag. 231* indicat, in Bibliotheca Regia extare *Matthæi Paris Historiam a Conquestu Angliæ ad A. D. 1259, quo obiit, propria illius manu scriptam, cum Calendario, Mappa Angliæ, Picturis urbium inclitarum, Regum Angliæ cum Monasteriis, ab eis fundatis, scutorum variorum, & propria ad sedes B. Virginis prostrati, & dicentis: O felicia oscula, lactantis labris impressa, cum inter crebra indicia reptantis infantiæ, utpote verus ex te filius, matri alluderet, cum verus ex Patre Deus, Deo genitus, imperaret!* A *pag. 246 – 250* Cel. D. *Hyde* MSta enumerat, in Bibliotheca Regia nunc extantia, quæ faciunt ad historiam atque doctrinam veterum Persarum, Sinensium, atque Samaritanorum, illuminandam. In iis est liber *Sadder*, sive Præcepta *Zoroastris*, antiquis characteribus Persicis atro colore scriptus. Idem tamen liber rubro colore, characteribus Persarum recentioribus in eodem Volumine lineis

neis textui interfertis, exaratus eſt. Cel. *Hyde* ſua manu adſcripſit, hunc Codicem eſſe rariſſimum, illumque a Sacerdote Perſa nocturno tempore clam deſcriptum. Nemini enim Perſarum licet diverſæ religioni addictis hujus Codicis copiam facere. *Pag.* 313 Appendix incipit Bibliothecæ *Cottonianæ*. In ea Cl. *Casley* annotat, quinam Codices fatali incendio ante aliquot annos vel læſi vel combuſti ſint. Inter MSta, quorum hic facit mentionem, præ ceteris notari merentur ſcripta diverſa, vel ab ipſo *Henrico VIII*, Rege Angliæ, tempore Reformationis exarata, vel manu ejus emendata, quorum *pag.* 339 *ſeq.* meminit. Ad diverſos characteres, quibus Codices MSti exarati ſunt, quod attinet, centum & quinquaginta ſpecimina, quæ in æs incidi curavit, illi obſervationibus aliquot criticis faciendis aperuere occaſionem. Tenet v. c. MSta, in quibus vocabula continuo ſunt juncta, neque ulla diſtantia ſeparata, mille annos ætate ſuperare. Græca MSta ſine accentibus minimum mille annorum eſſe. Græcorum enim accentuum uſum Seculo demum ſeptimo frequentiorem evaſiſſe; neque tamen Græcos accentus tum primum eſſe inventos. In prima enim pagina Codicis Alexandrini accentus reperiri eodem atramento & eadem manu ſcriptos, qua reliqua hujus Codicis ſunt exarata. In Anglia a Seculo ſeptimo ad tempora usque *Guilielmi Conqueſtoris* Saxonicos characteres fuiſſe in uſu. MSta, in quibus diphthongus *ae* eſt diviſa, ante ſeptem Secula minimum eſſe exarata, niſi jam inventa typographia ſint ſcripta. MSta, in quibus nullus eſt diphthongorum uſus, quinque Seculis non eſſe antiquiora. Quando character & in medio vocis cujusdam reperitur, v. c. *p&ite*, hoc indicium eſſe, Codicem ante ſex Secula ſcriptum eſſe. In MStis ſex Seculis antiquioribus multas abbreviaturas, quas vocant, non inveniri, at in recentioribus Codicibus easdem ubivis fere eſſe obvias. Ceterum ex diverſis characterum ſpeciminibus, a Cl. *Casley* exhibitis, præcipue commemorabile eſt, quod e quatuor foliis Evangelicorum Græco ſermone exaratorum depromſit. Hæc enim quatuor folia, quæ in Bibliotheca *Cottoniana* extant, neque Codici Alexandrino in Regia, neque Codici Geneſeos in *Cottoniana* Bibliotheca antiquitate cedunt.

COMMENTARII AD LIBRUM PROPHEtiarum ZACHARIÆ, quæ supersunt, cum Prolegomenis, cura & studio CAMPEGII VITRINGÆ, Theol. & H. S. Prof. dum viveret, posthumum edente H. VENEMA, S. S. Theol. Doct. & Prof. & Concion. Academ.

Leovardiæ, apud Tobiam van Dessel, 1734, 4.
Alph. 1 plag. 14.

Dolendum omnino communi nomine videtur, *Campegium Vitringam*, Virum, dum viveret, summum, & post excessum etiam celeberrimum, Commentario in *Zachariæ* Prophetias conficiendo immortuum fuisse. Neque enim illustratio ipsius Prophetæ in his, quæ ad nos pervenerunt, typis exscripta, excedit *Cap. IV comm. 6*, sed ibi, summo rerum abitro ita jubente, subsistendum Viro doctissimo, morte occupato, fuit. Quo patientius tamen sacrarum literarum interpretes ferant telam fatis interruptam, efficere nobis posse videntur aliqua ex parte Prolegomena, quæ laudatus *Vitringa* non instituit solum, sed & ad finem perduxit, ultimamque jam manum ante ultimum vitæ diem iisdem imposuerat. Nam in
Pag. 2 seq. his ipsis Prolegomenis eruditissimus Autor 1) de scriptore libri hujus Prophetici exponit copiosius, docetque ex ipsa inscriptione hujus Prophetiæ, collata cum *Esræ V, 1*, extitisse illum & viguisse Prophetam Judææ gentis post reditum ex exilio Babylonico. Quando in *Esræ* libro exhibetur *Zacharias* filius *Iddo*, præterito nomine Patris, *Barachiæ*, id ideo factum arbitratur, quod patre celebrior fuerit avus, qui a *Nehemia* inter capita sive principes familiarum Sacerdotalium celebra-
12 seq. tur. 2) De tempore editi hujus vaticinii ita disputat Autor, ut non copiose magis, quam erudite, declaret, Prophetam sua oracula *Darii*, non *Nothi*, sed *Hystaspidis*, tempore protulisse, & cumprimis *Joannem Vorstium* in Dissertatione *de tem-*
40 seq. *pore instaurati templi Hierosolymitani* refutet. 3) De argumento Prophetiæ, quod accommodatum ad statum populi, ex captivitate Babylonica reducis, esse dicitur. Speciatim visa & conciones

ciones hujus libri partim argumenti moralis, partim prophetici, esse pronuntiantur, atque illæ rursus vel elenchtici, vel consolatorii, ita tamen, ut consolatorium genus per librum totum dominetur. 4) De divina hujus libri autoritate differitur: quam Cel. *Vitringa* tam ex traditione certa, constanti, & canonica Ecclesiæ Judææ, quam ex materia, qua nihil divinius, nihil præstantius, aut sublimius, legi posse contendit. 5) Cum revelatio prophetica omnis Prophetis obtingat vel medio imaginationis in somnis aut visis ecstaticis, vel vocis; non dubitat Autor revelationes *Zachariæ* factas ad prius genus, hoc est, ad imaginationem, referre, quamvis concedat, posterioris hujus libri revelata sine figuris emblematicis Prophetam accepisse. Oratio, qua liber conscriptus est, Hebræa esse dicitur, & quidem puræ dictionis, nisi quod mensium Chaldæorum nomina Hebræis sint substituta ad facilitandum popularem libri usum. 6) De clavibus sive principiis iterpretandi hujus libri agitur, quæ tum historiam & cognitionem inprimis temporum Maccabaicorum, hisque cognatorum, tum παϱαλληλίαν fatorum Ecclesiæ utriusque œconomiæ, veteris & novæ, spectant, cujus generalia tantum exhibentur. 7) Denique analysis hujus libri prophetici profertur, diciturque liber quinque constare partibus, sive revelationibus propheticis, qua emblematicis, quas per visa imaginationi objecta recepit Propheta, qua liquidis, sine imaginibus symbolicis. In visione prima, quæ est *Cap. I comm. 1 - 6*, comma 5 & 6: *Patres vestri ubi sunt? & Prophetæ an in æternum vixerunt? Veruntamen verba mea & statuta mea, quæ præcepi servis meis Prophetis, an non assecuta sunt patres vestros?* cum Judæis antiqui temporis per modum oppositionis, ab ipso Propheta adversus exhortationem suam occupatæ, accipit, ut, cum ipse dixisset, *Patres vestri ubi sunt?* ipse, anticipando illorum objectionem, *At prophetæ an in æternum vixerunt?* hoc est, *diceretis*, si de majoribus vestris dici queat, *ubi sunt? Prophetas quoque in æternum non vixisse:* suo quoque defunctos esse fato: ad quod ipse mox respondeat, *ita quidem esse, verum prophetias ipsorum fuisse immortales, & verissimum consecutas esse implementum.*

Pag. 48 seq. | 52. | 54. | 59 seq. | 65 seq. | 71. | 97.

 In

In revelatione tertia *Cap. I comm. 20*, ubi *quatuor cornua* occurrunt & *fabri*, primum cornu ponit *Babylonios* sive *Chaldaeos*, fabrum primum *Cyrum*, alterum cornu interpretatur de *Persis* & *Medis*, alterum fabrum iis oppositum de
Pag. 204. *Graecis sub Themistocle & Cimone*. Tertium cornu ipsi est *Darius Codomannus*, & faber, eidem oppositus, *Alexander Macedo*, quartum denique cornu indicat *Syro - Macedonicos Reges*, *Antiochum Epiphanem* maxime, at fabrum iis oppositum appellat duces *Assamonaeas*; quae omnia, uti in reliquis quoque visionibus, ex historia erudite illustrantur & confirmantur.

CORNELII NEPOTIS VITÆ EXCELLENtium Imperatorum, cum integris Notis JANI GEBHARDI, HENR. ERNSTII, & JO. ANDREÆ BOSII, & selectis ANDREÆ SCHOTTI, DIONYSII LAMBINI, GILBERTI LONGOLII, HIERONYMI MAGII, JO. SAVARONIS, &c. curante AUGUSTINO VAN STAVEREN, qui & suas Notas addidit.

Lugduni Batavorum, apud Samuelem Luchtmans, 1734, 8. Alph. 2 plag. 15.

Inter varias multasque *Cornelii Nepotis* editiones, quas Viri doctissimi subinde publico dederunt, ea semper se probavit rerum intelligentibus, quam *Jo. Andr. Bosius* olim procuravit. Quae cum rarior esset, quam pro illius praestantia atque utilitate par erat, *Samuel Luchtmans*, Typographus diligentissimus, animum induxit, hanc ipsam *Bosianam* editionem *Cornelii* sic, ut Jenae A. 1675 prodierat, typis iterum exscribere. Ne vero nullis plane accessionibus ornatam produceret in lucem, Juveni doctissimo, *Augustino Staveren*, precibus expugnato, negotium dedit, ut augeret *Cornelii* editionem ac poliret. Ille igitur, votis Bibliopolae honestissimis facturus satis, operi manum admovit, & Scriptori sibi jam diu familiari operam suam impendit. Concesserunt Cl. Editori amplissimi civitatis Lugdunensis Consules quatuor manu exaratorum Codicum

cum usum, quorum primus est membranaceus, qui *Isaaci Vossi* olim fuerat, alter chartaceus, itidem *Vossii*, quo *Bœclerum* quondam usum fuisse, plerisque in locis consentientes ex utroque productæ lectiones Cl. *Staverenio* fere persuaserunt, tertius duodecim tantum excellentium Virorum vitas continet, scilicet *Miltiadis*, *Themistoclis*, *Aristidis*, *Pausaniæ*, *Cimonis*, *Lysandri*, *Timoleontis*, *Regum*, *Hamilcaris*, *Hannibalis*, *Catonis*, & *Attici*, quibus addita est *Cornelia*, *Gracchorum* matris, Epistola: quartus pariter chartaceus est, quem jam ante cum editione *Hackiana* A. 1705 contulerat *Franc. Oudendorpius*, & cujus collationem Cl. Editori impertitus est. Accuratius porro consuluit excerpta ex Codice *P. Danielis*, cujus discrepantes lectiones multis in locis omiserat *Bosius*, quibus accedunt excerpta duorum Codicum, quorum alter est in Bibliotheca *S. Trin. Cantabrig.* alter *D. Fr. Bernard*, Med. Doct. & regiæ Societatis Socii. Observationes, quas retinuerat *Bosius*, politicas ex Commentatorum annotationibus plerumque ejecit. Contra *Jani Gebhardi* observationes criticas, a *Bosio* in indicem rejectas, nec non *Ernstii*, quæ indici erant præmissæ, annotationes, suis quasque locis inseruit, & singulis paginis exhibuit. Atque hæc fere sunt, in quibus *Bosiana* editio quodammodo immutata fuit. Nam in ipsis Autoris verbis, seu, ut vocant, textu, nihil existimavit Editor mutandum sibi esse, sed lectionem a *Bosio* expressam constantissime ac religiosissime retinuit. Ceterum ipse Cl. *Staveren* nonnullas hinc inde Annotationes denuo adjecit. Quæ quemadmodum maximam partem in nuda lectionum, ex Codicibus antea commemoratis descriptarum, significatione consistunt, sic, quæ ad ipsum Autorem illustrandum faciunt, partim sunt brevissimæ, partim tritissimæ, ut in iis vix inveniatur quidquam, quod ab aliis non sæpius jam fuerit annotatum. Sic ad *Timoleon. Cap. II* multus est in afferendis & antiquis & recentioribus scriptoribus, ut probet, *jacere* & *adjacere* verba esse Geographica, & pro *situm esse* a Græcis pariter ac Latinis adhiberi. Ibidem etiam fusius disserit de illo modo loquendi, Latinis cum Græcis itidem communi, quo Activa pro Passivis vel Mediis ab Autoribus celebrantur,

Pag. 321. 320.

tur, & subintellecto pronomine reciproco plerumque explicari possunt. Atque ejusdem notæ omnes sunt paulo longiores observationes, quæ, si in locis obscurioribus & fortasse corruptis occupatæ fuissent vel illustrandis vel sanandis, dignum sane Critico futuro aliquid complecterentur. Sed, qui mos est nostræ ætatis Commentatoribus in edendis Scriptoribus solennis, quæ faciliora sunt, & ubique obvia, ingenti parium exemplorum acervo onerant, quæ autem difficiliora & medicinæ egentia, intacta relinquunt, & hac ratione spem lectorum sæpissime destituunt. Quare hoc minus mirati sumus, cum observavimus, idem accidisse Cl. *Staveren* in procurando *Cornelio*, quo ætate reliquis, idem facere solitis, est minor. Nos, ut dictis fidem faciamus, duo in præsenti ex *Cornelio* nostro adducemus exempla, ex quibus patebit, abstrusiora sicco, quod ajunt, pede transiri a Criticis, idem ingeminare laborantibus. *Capite V Miltiadis num. 3* ita legimus: *namque arbores multis locis erant raræ, hoc consilio, ut & montium tegerentur altitudine, & arborum tractu equitatus hostium impediretur, ne multitudine clauderentur.* Quicunque hæc verba legit, & porro, ac par est, considerat, nullam inde sententiam, quæ sibi constet, percipiet. Nam quomodo hæc sibi cohærent: *arbores erant raræ hoc consilio;* deinde illa, *ut arborum tractu equitatus hostium impediretur;* num raritas arborum impedit equitatum? num tractus arborum consistit in raritate? num arbores natura raræ consilio indigent? Varie his difficultatibus mederi studuerunt Critici, sed ita, ut nondum videantur protulisse, quo acquiescere lector possit accuratus. Videant ergo, qui his rebus vacant, an *tractus arborum* explicari possit de arboribus ita evulsis cum radicibus, ut foveæ inde fossæque enatæ dicantur. Nam id certum est, hoc loco tractum arborum non posse accipi, ut vulgo, de regione arboribus consita, & spatio longiori & tractu. Quod si probatum fuerit, facilis etiam sententia erit intellectu verborum, *arbores erant raræ hoc consilio,* quia vel verbum substantivum, ut alias, positum dici potest pro *factæ erant*, vel pro *raræ* legi *rutæ*, i. e. erutæ. Nos nihil definimus, sed rem omnem permitti-

mittimus, qui Criticen promittunt. Mira etiam est constructio in verbis ultimis vitæ *Cimonis*: *sic se gerendo, minime est mirandum, si & vita ejus fuit secura, & mors acerba.* Hic quidem interpretes occupantur in explicandis vocibus, sed de constructionis modo altum est silentium. Nam verba, *sic se gerendo*, requirunt activam constructionem, quæ suppleatur oportet ex verbo *fuit*. Quod hoc loco exponendum videtur, *effecit, ut esset*. Itaque afferenda fuissent Cl. Editori exempla alia, in quibus hanc notionem prægnantem sustinet verbum substantivum. Nos, his missis, paucis adhuc monemus, singulis Imperatorum vitis subjectas esse in calce singulorum imagines æri incisas, speramusque, fore, ut hæc ipsa editio Scriptoris elegantissimi omnibus cultioris latinitatis studiosis acceptissima sit gratissimaque.

OSTEOGRAPHIA, OR THE ANATOMY OF the bones, &c.

h. e.

OSTEOGRAPHIA, SIVE ANATOMIA OSsium, Autore GUILIELMO CHESELDENIO, Majestatis Regiæ Chirurgo, Regiæ Societatis Socio, Nosocomii ad D. Thomæ Chirurgo, Academiæ Regiæ Chirurgorum Parisiensis Sodali.

Londini, absque mentione Typographi, 1733, fol.
Alph. 1 plag. 3, Tabb. æn. 56.

Equidem in re Anatomica satius est, corporibus, quam corporum imaginibus, docere; in subtiliori tamen arte, maxime si magistris, non tyronibus, si ostentandi, non docendi, animo, quis scribere suscipiat, non infimæ gloriæ res est, Tabulas adornare, quæ eruditionem Autoris, artificisque dexteritatem, eadem pagina demonstrent. Cl. *Cheseldenius* id sane apud omnes, quibus illustre & prætoriis sumtibus instructum Opus coram intueri licet, effecit, ut dubium supersit, majoremne in arte Chirurgica, an in Anatomica, famam indeptus sit.

Humana equidem oſſa ejus induſtriam excitaverunt; ſed nec brutorum oſſibus pepercit inveſtigandi ſtudium, unde futuri ſunt, qui, prout novarum rerum ſtudio delectamur omnes, frontiſpiciis paginarum, quibus animantium exoticorum æque ac indigenorum ſceleta affabre exſculpta viſuntur, inhærentes, reliqua viliori, quam decet, pretio habeant. Sed utrinque optime de re Anatomica promeritus eſt Noſter, qui nobiliſſimam corporis humani machinam, qua oſſea eſt, ita quidem illuſtravit, ut facile appareat, eandem, facta cum brutorum oſſibus comparatione, unicam inter omnes motuum ad rationem compoſitorum capacem eſſe poſſe. Nec injucunda eſt illa, qua ſingulorum animantium mores fulcris, quibus ſuſtinentur, convenire deprehenduntur, meditatio. Qualem ille Oſteologiæ ſuæ exponendæ ordinem inſtituerit, breviter jam exponendum; reliqua enim in annexo ſub finem, qui magni Operis commentarius eſt, libello, cum illis, quæ controverſiam Autori movere potuerunt, fuſius habentur. Uſi ſunt artifices *van der Gucht* & *Shinewit* camera obſcura, ab Autore excogitata pro ſceletorum oſſiumque majorum ſymmetria obtinenda, ſine quo auxilio progredi vix quemquam poſſe, in Præfatione demonſtrat. Oſteogeniam methodo *Kerkringiana* ita quidem tradit, ut a medio cujuscunque oſſis ſtrias in corpore hactenus molliori oſſeas, verſus peripheriam, ſi lata oſſa, verſus utramque extremitatem, ſi longa vel in tubum excavata fuerint, affirmet, cujus rei exempla in *Tabula I* effinguntur. Oſſa per medium ſecta cum tubis vel cellulis, diploen conſtituentibus, conſpiciuntur *Tabula II.* Medulla ſanguinea cellulas, oleoſa tubos, ſupplet. Neque tamen una eademque eſt in omni oſſi longitudinali cavitatum ratio. Nempe claviculæ os tubo deſtitutum depingitur. Parum tamen curioſiorum quæſtionum, quæ de ejusmodi negotiis moveri ſolent, ſtudioſus extitit. Inde oſſa cranii facieique delineat *Tabula III*, in nexu, quædam vero & divulſa. Perplacet, quæ *Tabula IV* habetur arteriæ, ex carotide externa ſingulari foramine os bregmatis ſubintrantis, & poſtea ſua in ipſo oſſe veſtigia oſtendentis, repræſentatio. Mirati tamen ſumus, nullum, qui tamen haud infrequens eſt, vel futuræ

per

per os frontis continuatæ, vel fonticuli superstitis & ossefacti, lusum observatum, quod tantæ amplitudinis Opus decuisset, fuisse. *Tabula VII* ossa exhibentur polymorpha & ethmoidea. Maxillam utramque cum cavitatibus & eminentiis *Tabula IX* illustrat. Sicut Clarissimus Autor observationes suas Chirurgicas passim addit, ita illam potissimum magni facimus, quam occasione fracturæ cranii, cui modiolus felici successu admotus fuit, affert, de motu vasorum in meninge conspicuo, quandoquidem circulus non callo, sed cicatrice, suppletus fuerat. Inde trunci corporis ossa breviori sermone recenset, quam uberrima dicendorum copia postulare videbatur, neque nisi illa afferuntur, quæ tyronibus placere poterunt. Colli, dorsi, lumborum, vertebræ suis ordinibus separatim exhibentur *Tabula X*. Si quæ vertebræ peculiare quid ad motum præstandum faciunt, singulari ob id modo conformatæ seorsim singulæ delineantur *Tabula XI*. Ossis sacri sex partes, quod rarius contingit, coccygis quinque, quod quotidianum haud est, depinguntur *Tabula XII*. Nam & viginti quinque spinæ vertebræ, tredecimque costæ, aliquando existunt. Elegans totius spinæ per medium sectæ *Tabula XIII* exhibita imago. Costæ ipsæ cum apophysibus, sinubus, veræ æque ac spuriæ, prout vertebris dorsi amphiarthrosi, vel sterno synchondrosi, junguntur, prout sternum attingunt, aut ab eodem procul absunt, & liberæ denique inter musculos fluctuant, studiose delineantur *Tabula XV*. Quinque distincta sterno ossa attribuuntur *Tabula XVII*, quod constans itidem & pro norma esse nequit. Sceleti humani truncus omni ossium nexu conspicitur, tum qua parte sternum, tum qua dorsum, oculis offert, *Tabula XIX & XX*, quinque ibi, quod commune est, ossibus sacrum formantibus. Scapulæ eminentias, profunditates, & articulum, cum clavicula & humero hinc definit. Humeri icon *Tabula XXIII* extat, &, qua parte olecranon ulnæ sinu suo suscipit, & qua tribus apophysibus cum ulna ginglymum, cum radio arthrodiam, celebrat. Haud raro loci etiam indicatur, ubi musculi quidam inseruntur, prout id factum occasione tuberculorum radii & ulnæ, quibus illinc bici-

pitis musculi, hinc brachiæi tendines, immerguntur, id *Tabula XXIV* intelligimus. Hoc, si in omni ossium loco, quo vel ineunt, vel desinunt musculi, peregisset, insignem apud omnes initurus erat gratiam. Ossa carpi, metacarpi, digitorumque, *Tabula XXV*, omnisque superior extremitas, prout spatio Tabulæ capi potuit, *Tabula XXVI*, sistuntur. Inde os femoris *Tabula XXVII*, capite, trochanteribus, inferioribus, quæ articulum cum tibia præstant, apophysibus & interceptis cavitatibus, sistitur, cujus articuli cartilagines semilunares *Capite VI*, nulla tamen icone addita, explicantur, quo loco succincta satis cartilaginum & ligamentorum habetur declaratio. Tibiæ fibulæque articulus, quo vel femori, vel astragalo, committitur, *Tabula XXVIII* extat. Extremus pes cum tarsi, metatarsi, digitorum ossibus ossiculisque sesamoideis illis, quæ digiti majoris articulo subsunt, *Tabulam XXIX* implet. *Tabula XXXI* osteologia fœtus perfecti, *XXXII* vero pueri unius & dimidii, *XXXIII* pueri novem annorum sceletographia celebris est. Epiphyses, ossium symmetria, eorundem in suas partes, quæ paulo post coeunt, subdivisio, ubique adduntur. Cum, præter utilitatem, & jucundum respexerit Autor, sceleta humana vario situ effinxit. Venerem Mediceam *Tabula XXXIV*, Apollinem Belviderianum *Tabula XXXV*, supplici gestu genubus devolutum osseum hominem *Tabula XXXVI*, sistit. Ligamenta quædam articulorum eleganter describuntur. *Tabula* scilicet *XXXVIII* ligamentum processus odondoidei annulare & longitudinale internum primæ vertebræ exponitur, verum de reliquis hujus articuli, tereti & capsulari, addere forte non placuit, id quod in aliis articulorum ligamentis peractum itidem est, quorum quædam saltem instar omnium adducta, eademque eleganter & apposite, fuerunt. *Tabula* certe *XXXIX* ligamenta, quæ a processu spinoso & tubere ischium vel ad sacrum, vel ad coccygis, os feruntur, itidemque capitis femoris capsulare teres, cum glandula acetabuli, ita effinguntur, ut melius nequeant. Id quod de *Tabula XL* pronuntiandum denuo est, qua ligamenta articuli tibiæ cum femore, tum externa, tum interna, transversale æque

ac

ac rectum, cum illo etiam, quod cartilagini ſemilunari proprium eſt, nec non tarſi ligamenta, perbelle delineantur. De morbis oſſium eleganter admodum commentatus eſt. Carioſa a malo venereo oſſa habentur *Tabula XLI.* Exoſtoſis oppido rara eſt, quam *Tabula XLII* deſignat. Cyrtonoſos ſpinæ ſingulares conſpicere licet *Tabula XLIII* & *XLIV.* Reliquæ Tabulæ variorum oſſium caries cum caſibus & obſervationibus, ſua vel amicorum experientia, quorum nomina haud reticentur, factis, recenſent, quibus accedunt fracturæ oſſium, peculiarem in modum coalitæ, & anchyloſes oſſium non vulgares. Agmen claudit fœtus, poſtquam viginti ſex annorum moram in uteri tuba alterutra *Fallopianarum* fecerat, oſſefactus, cujus rei fidem ipſe Celeberrimus ille Cereæ Anatomiæ Pariſienſis artifex, *Arneau*, fecit. Prædicanda adhuc eſt, quæ inſignem Operi elegantiam affert, comparata animalium varii generis ſceletographia. Frontiſpicium totius operis *Galenum* ſiſtit, cadaver latronis a viatore occiſi, quod vulturum miniſterio carnibus denudatum fuerat, attentius conſiderantem. Camera obſcura, cujus ope majora ſceleta ad menſuram minute depicta fuerunt, in pagina titulum ferente habetur. Introductioni præmittitur ſimiæ ſceleton; finem gruis piſcem ſceletefactum roſtro prehendentis icon coronat. *Caput primum* tigerini capitis cum bovino & hippopotami cranio ornatur. *Capiti tertio* piſcium quorundam mandibulæ, inde canis cum fele, mutuæ in oſſibus iræ, præmittuntur. *Caput quartum* teſtudinis marinæ, & crocodili, oſſeam compagem ſiſtit. Gratiſſima nobis fuit iſta ſceleti crocodilini repræſentatio, cum petrefacto inſignis magnitudinis ex ſaxo fiſſili prope Suhlam Hennebergæ effoſſo, omnino conveniens. Exiſtit illud in celebri quopiam urbis noſtræ Muſeo, cumque, an crocodili oſſa fuerint, ambigatur a quibusdam, elegantiſſima hac icone cum illo comparata, res omni dubio in poſterum carebit. Reliquæ paginæ ſingulæ aliquod animal, vel integrum, vel cujusdam ex eo partis ſimulacrum oſſeum, pro ornamento habent. Integrum Opus, ſplendore paucis cedens, ſacro, cui inſcribitur, Reginæ Britannorum nomine eſt cenſeturque digniſſimum.

ANIMADVERSIONS ON A LATE POMPOUS Book, &c.

h. e.

ANIMADVERSIONES IN SPLENDIDISSIMUM quendam Librum, inscriptum Osteographia, sive Anatomia ossium, per GUILIELMUM CHESELDENIUM, Equitem, Chirurgum Regiæ Majestatis, Regiæ Societatis Sodalem, Nosocomii ad D. Thomæ Chirurgum, & Academiæ Parisiensis Chirurgorum Socium; quas instituit JOANNES DOUGLASS, Chirurgus, Regiæ Societatis Sodalis.

Londini, sumtibus Autoris, 1735, 8.

Plag. 3.

Acrius paulo Cel. *Cheseldenium*, quam vel patriæ, vel societatis, vel artis communis usus, vel controversiarum, quas sine ira excuti decet, indoles, postulabat, castigare instituit Clar. *Douglassius*. Non omnino nulla sunt optimi Viri merita, qui, etiamsi jucunditati legentium plus, quam utilitati, quæ tamen deroganda libro non est, prospexisset, hoc ipso tamen habuit, de quo publicas gratias mereretur. Sed videant illi, qua ratione lites suas inter se componere possint:

Illi inter sese multa vi prælia miscent
Vulneribus crebris, lavat ater corpora sanguis.

Quid *Cheseldenio* ab Adversario objiciatur, succincto sermone recensebimus. Vitio vertitur, quod librum in genere de ossibus, incerto nomine an hominis, an animalium, inscripserit; quod caro nimis pretio, septem aureorum, quos *Guinées* vocant, divendatur, cum tamen brevis illa, quæ iconibus præmittitur, oratio duarum horarum lectione absolvi possit. Non dubitat, quin quinquaginta aureorum pretium habiturum sit Opus, si debuisset omni isto, quem primum proposuerat Autor, ambitu, per reliquas

liquas Anatomiæ partes artificis ſcalpellum excurrere, adjecta animalium viſcerum comparatione. Urgetur, quod promiſſo minus ſteterit, quo omnia oſſa deſcribendi legem ſibi tulerat. Nempe deſiderantur oſſis hyoidis & oſſiculorum hordeaceorum icones. Habentur priores in editione Operis hujus, quod octava forma prodiit, proximo poſt digitorum in pedibus oſſa loco: quem tamen omiſſionis errorem addito oſſe, quod in corde humano reperiatur, abunde ſuppleverit. Objicitur porro, quod ſecus, ac facturum ſe promiſerat, non oſſium hiſtoria, ſed mechanicis deſcriptionibus, paucas iſtas pagellas repleverit; quod oſſi frontis parum, cujus plurima in chirurgia conſideratio, ſphenoideo plurimum, dederit, quod tamen nunquam in cenſum chirurgicum veniat; quod callum, decimo, ex quo os bregmatis puellæ trepano perforatum fuerat, die ſubnatum, qui vix decimo tertio generari poterat, aſſeruerit; quod in deſcriptione antri higmoriani, ejusque uſu ad vocem & odoratum præſtandum prolixus & in morbis ejus definiendis ſedulus minus fuerit; quod maxillam inferiorem inde & claviculam levius cartilagine articulatas eſſe aſſeruerit, cum ligamenta utrinque capſularia fortiſſima adſint. Sed graviora accedunt piacula; ſcholarum etiam ferulæ crepant, objiciturque dictio Anglica: *The fibula being ſo ſmall, would have been not ſtrong enough,* &c. quod debuerat ſic flecti, *would not have been ſtrong enough*; errores item typographici, & conjunctivarum in fine paginæ vocum omiſſio. De ligamento *Paupartii* mota, an ligamentum, an tendo muſculorum abdominis ſit, controverſia vitio vertitur, imputaturque ei ignorantia iſtius controverſiæ, an ſub hoc vel ligamento, vel tendine, inteſtina delabi poſſint, quam certe debuerit, loco ſceletorum canis, felis murisque domeſtici, profundius rimari. Hac occaſione de hernia femorali, ſub ligamento hoc transverſali contingente, ampliſſime diſſeritur. Objicitur porro, cum vulgatiores oſſium morbos ſe traditurum promiſerat, præter caries, anchyloſes, fracturas, exoſtoſes, quasdam luxationes, nihil additum fuiſſe. Poſtſcripti loco accedit, contra obſervatum a Cel. *Cheſeldenio* foramen tympani mota quæſtio ad mentem *Ravii*, *Ruyſchii*, *Hei-*

Heisteri, qui ejusmodi valvulam contra *Rivinum*, Lipsiensem, & *Teichmeierum*, Jenensem, utrumque magnos in arte Viros, negant. Ex ultima libri pagina intelligimus, parari jam a Cl. Autore *Osteographiam Anatomico-practicam, sive practicam de ossibus Dissertationem, qua partes ossium humanorum, quorum plurimum interest a practicis recte intelligi, distincte describentur, eleganter delineabuntur, ut inde sine magistri ope quis Osteologiæ magistrum se ipsum effingere possit. Morborum, quibus illa subjacent, analogia, cum molliorum partium affectibus, & omnium maxime convenient curandi eosdem methodus breviter & clare explicabitur*, &c. Liber hicce nitidissima charta literisque elegantibus exprimetur; ossa etiam triginta circiter Tabulis æneis delineabuntur, ita quidem prope ad naturam a sculptore exarata, ut conceptus figuræ & superficiei ossium ille ipse, qui ex vivorum adspectu, enasci possit. Pretium Libri duo erunt aurei, quos Angli *Guinées* vocant.

LA THEORIE ET LA PRATIQUE DE LA Coupe des Pierres & des Bois, &c.

h. e.

THEORIA ET PRAXIS SECTIONIS TAM Lapidum, quam Lignorum, pro construendis fornicibus, aliisque partibus ædificiorum civilium & militarium; sive Tractatus Stereotomicus, in usus Architectonicos. Autore FREZIERIO, Equite Ordinis militaris S. Ludovici, Architecto militari Regio & primario Landaviensi.

Tomus I.

Argentorati, apud Jo. Daniel. Dulsseckerum, Fil. & Parisiis, apud L. H. Guerinum, Seniorem, 1737, 4 maj.
Alph. 3 plag. 7, Tabb. æn. 27.

Quanta sit Geometriæ Curvarum in rebus etiam quammaxime practicis opportunitas, quin imo necessitas, hic certe

certe Liber, si quisquam alius, luculenter commonstrare poterit. Est genus quoddam hominum, quibus, uti sordet universa Mathesis, ita cumprimis eo nomine Geometria sublimior displicet, quod tota fere, quanta quanta est, in abstrusis curvarum speculationibus ponatur, vix ullum in disciplinis aliis, & præcipue in vita communi, usum habituris. Quamvis, autem, hos multum falli, censeant ii, qui penitiore Geometriæ scientia pollent, nec operæ pretium judicent, eos in viam reducere, utpote præjudiciis abreptos; nihilo tamen minus fatendum est, homines quamplurimos, benignius licet alias de Mathesi sentientes, nec ulla ingenii hebetudine laborantes, hisce quasi terriculamentis a nobilissimo studiorum genere arceri, sicque progressus scientiarum non parum sufflaminari. Quod ad Problemata quidem Physica attinet, tot habemus specimina, a Geometris primi ordinis exhibita, quæ Geometriæ reconditioris immensum in rebus Physicis usum commonstrant, ut, qui de eo adhuc dubitat, solem in meridie lucere dubitet. Secus autem est de rebus iis, quæ hactenus visæ fuerunt mere practicæ, nec ullo speculationum præsidio dirigendæ, quales præcipue ab ignaris praxes judicantur Architectonicæ. Has etenim subtilitatibus Geometricis egregie carere posse, contendunt, qui omnem iis in rebus operam ponunt, quæ ex praxi manuaria, & empirica, pendent. Quin & contra rigorem Geometricum sæpius debacchantur boni illi homines, cum praxes subinde reddat difficiles, certe difficiliores, quam quidem vellent. Exinde vero conficitur, præclare illos de scientiis pariter ac republica mereri, qui, quantum Geometriæ etiam profundiori sit cum iis rebus commercium, ex quibus magna in rempublicam commoda redundant, exemplis declarant manifestissimis. Eximium prorsus specimen est, quod orbi erudito impertitus est Cl. *Frezierius*, hoc ipso, cujus recensionem, quantum licet, succinctam, aggredimur, Libro. Isthunc legenti ad oculum patebit, difficillimum totius Architecturæ Problema, quod in constructione fornicum omnis generis ponitur, solius Geometriæ altioris præsidio plenam perfectamque solutionem nancisci posse, in qua mirum in modum cœ-

cutientes huc usque videris Architectos empiricos. Patebit, inquam, omne punctum in descriptione fornicum ferre lineas curvas diversi omnino generis, sectiones conicas, lineas quarti ordinis, spirales varias, curvas præsertim duplicis curvaturæ; hem quanta architectis non-mathematicis, quanta opificibus, terriculamenta! Quantum vero de utilitate materiæ novæ adhuc, & vixdum Geometris considerari coeptæ, qualis est subtilis illa de curvis duplicis curvaturæ, in rebus practicis maximi momenti, documentum! At vero, ne ampliore circuitu Lectores moremur, qui brevitati studemus, perlustremus, age, præclarum hoc Opus *Frezierianum*, quantum id quidem pro nostri instituti ratione licebit, & pauca quædam ex eo delibemus. Prænotamus autem, Autorem procul dubio eundem esse, qui Descriptionem Americæ, præcipue meridionalis, in lucem emisit A. 1713, id quod ex Epistola dedicatoria, ad Marchionem *Asfeldium*, Mareschallum Franciæ, reique fortificatoriæ Directorem, scripta, satis colligere licet, cum suorum in Americam itinerum mentionem ibi faciat. Antea vero, quam in ipsum Theoriæ suæ sacrarium Lectores immittat, discursu eos præliminari præparat, qui tribus absolvitur *Capitibus*. *Primum* in eo totum versatur, ut theoriæ necessitatem in omnibus, quæ Architecturam spectant, artibus in aprico ponat, lectoribusque præjudicia, quæ modo tetigimus, eximat. Facile largitur, fornices jamjam exstructas esse, cum omni adhuc Geometriæ & Mechanices ope destituta fere Architectura fuisset, quæ vulgaris illa est & insipida Architectorum non Geometricorum, & speculationibus infensorum, objectio. At vero quem fugit, casui tribuendum esse, non arti aut scientiæ, quicquid in hoc genere effectum fuit? Ut enim reliqua taceamus, nulla habuerunt Architecti principia, quorum auxilio ex mole & energia potissimum fornicis, metiri potuissent robur, muris pilisque tribuendum, quæ fornicem sustinent; quapropter, in tenebris palpantes, aut nimis omnino, quam par erat, fortes eas fecerunt, adeoque sumtuosissimas, aut adeo contra debiles, ut ab ingravescente fornicis mole labefactatæ penitus corruerint. Quis porro nescit, tantas in figuris fornicum

nicum difficultates ortas esse, & adhuc oriri, ut nulli sæpius Oedipo videantur solvendæ? Hinc tot sæpius & tanta fornicum monstra, quibus deinceps tantum addunt, detrahuntve, donec oculi judicio sat exacta videatur partium conformitas. Noster itaque, contra hanc Architectorum ignorantiam cum multa graviterque dixisset, & lapsu aliquo *Davilerii*, Architecti famigeratissimi, comprobasset, scientias mathematicas Architecto, inprimis bellico, apprime necessarias pronuntiat, exemplo *Archimedis*, Geometrarum principis, Syracusas defendentis, hanc in rem præcipue adducto. Interesse cumprimis, ut multum studii operæque in theoria & praxi Sectionis Lapidum collocet, quæ neglecta fere huc usque & inculta jacuerit. Quo facto, ad *secundum* discursus *Caput* transit, quod rem, de qua acturus est, luculentius exponit. Per Sectionem scilicet Lapidum intelligit scientiam, qua utitur Mathematicus in dirigendo artificis opere, qui lapides secat, ex quibus formari debent fornices. Principia hujus scientiæ ponit 1) Geometriam, i. e. linearum, & superficierum, tam rectarum, quam curvarum, cognitionem, & solidorum, quæ dividi debent; 2) Mechanicam & Staticam, pro determinando æquilibrio partium inter semet invicem, quæ corpus fornicis componunt. Hocce vero de fornicibus argumentum posterius non attingit, cum in eo præclare versati fuerint Viri Clarissimi *de la Hire*, *Parentius*, *Coupletus*, *Belidorus*; sed Sectionem Lapidum considerat tanquam ad Geometriam unice relatam. Omnis igitur de Lapidum Sectione tractatio eo reducetur, ut 1) cognoscantur curvæ genitæ per Sectionem solidorum concavorum, vel convexorum, vel ab aliis solidis, vel a planis, id quod *Tomomorphiam* appellat Autor; 2) ut describantur curvæ hæ in superficiebus, vel planis, vel etiam, si opus fuerit, curvis, id quod *Tomographiam*, ad evitandas periphrases, nominat; 3) ut solida, eorumque divisiones, repræsententur in superficiebus planis, quoad ejus fieri potest, idque vel ope projectionis orthographicæ, vel evolutionis superficiei propositæ in planum, vel etiam descriptione angulorum in plano, quos efficiunt variæ solidi alicujus superficies; 4) ut hæc omnia rite applicentur

ad ligna lapidesve ita ſecandos, ut ex iis deſiderata fornix componi queat; quo ipſo ars hæc omnis abſolvitur, quam uno *Tomotechniæ* vocabulo inſignit. Facile igitur patet, quod Opus hocce diſtributum ſit in *duas Partes* principes; quarum *prima* ſcientiam, vel, ſi mavis, theoriam, *Stereotomiæ* complectitur, *altera* ejus artem. Utraque in duos adhuc ramos abit; in *Tomomorphiam* & *Tomographiam prima*, *altera* in *Stereographiam*, ſeu ſolidorum deſcriptionem, & in *Tomotechniam* ipſam. In *tertio* diſcurſus præliminaris *Capite* agit de origine Sectionis Lapidum, nec non de ejus uſu, & de quibusdam Autoribus, qui de ea ſcriptis aliquid prodiderunt. Ubi in originem fornicum inquirit, obſervat, Romanos vix alias, præter cylindricas & ſphæricas, conſtruxiſſe fornices, nobili quippe Architecturæ ſimplicitati quam maxime congruas. Et hinc quoque putat eſſe, quod nullam Sectionis Lapidum mentionem injiciat *Vitruvius*, ubi de ſcientiis Architecto neceſſariis loquitur. Judicat exinde, ſcientiæ hujus infantiam ex Gothica ædificandi ratione repetendam eſſe, quam figuris longe intricatiſſimis ſæpiſſime onuſtam monumenta adhucdum ſuperſtitia declarant. Autores, qui de hac arte ſcripſerunt, nominat *Philibertum le Lorme*, *Henrici II*, Galliarum Regis, Eleemoſynarium, in Tractatu ſuo Architectonico, A. 1567 edito, & *Mathurinum Jouſſe*, in Libro, qui inſcribitur: *Secrets d'Architecture*, &c. Flexiæ A. 1647 publicato, cujus deinceps doctrinas ad captum opificum accommodavit *P. Deran*. Eodem anno aliud Syſtema dediſſe *Boſſium*, ait, ſecundum principia *Deſarguii*; tandemque A. 1728 *Derani* artificia reſtituta fuiſſe a *de la Rue*, qui nova quædam ſuperaddiderit. Omnes autem Autores hoſce demonſtrationes praxium ſuarum penitus ſuppreſſiſſe, aut inſuper potius eas habuiſſe, ſi ab unico *Dechales* diſceſſeris, qui in Tractatu de Lapidum Sectione, quem Mundo ſuo Mathematico inſeruit, demonſtrationes exhibuit; licet praxes ipſas ex *Derano* transſumſerit, atque errores *Derani* aliquoties ſuos fecerit. Opus igitur *Frezierianum* quin reliquis ſui generis omnibus palmam facile præripiat, non eſt, cur dubitemus; cujus *Pars prima*, uti jam diximus, *Tomomorphiam* & *Tomographiam*

phiam continet; & *Tomographia* quidem hoc ordine diſponitur, ut primo loco diſtincta exhibeatur idea fornicum, partiumque, ex quibus componuntur; quo ipſo etiam declaratur, quid ſit Sectio ſolidi per planum, vel & ſolidi per ſolidum. Fornices apte dividit in ſimplices & compoſitas; illas quidem, quarum figura non niſi unica ſuperficie componitur, quales ſunt cylindricæ, ſphæricæ, ellipticæ, vel quæcunque aliæ, modo ejusdem ſemper figuræ; has vero, quæ conſtant ex ſuperficiebus quamplurimis, varie inter ſe junctis, quas juncturas vocant *Enſqurchemens*. Nullam vero fornicum figuram concipit, quæ ad ſphæricam, cylindricam, conicamve, non referri quodammodo poſſit; & in hac ipſa relationis varietate differentiam earum eſſentialem conſtituit; differentias vero accidentales produci aſſerit a varia ſuperficierum poſitione, perinde ac Sectiones ſolidorum per plana pro vario plani ſecantis ſitu differunt; & omnem in juncturarum quaſi ſpinis (*arêtes d'Enfourchemens*) differentiam eam eſſe, quæ eſt in diverſis curvis, varia ſolidorum ſemet invicem penetrantium poſitione genitis; at vero hoc illud ipſum eſt, quod crucem Architectis figit in conſtruendis fornicibus. Hiſce præſtructis, ad Sectiones corporum per plana tranſit, ita quidem, ut primum locum lineæ illæ occupent, quæ ex Sectionibus ſphæræ per plana prodeunt, nihilque, ut notum eſt, ſunt niſi circuli, vel minores, vel maximi. Quod ſegmenta, zonæ, &c. ſphæræ ſint, exponit. Deinceps loquitur de Sectionibus conicis, de quibus propoſitiones, pro ſuo ſcopo utiles, ex optimis Autoribus adducit, demonſtrationibus munitas, ne eas aliunde conquirendi neceſſitas Lectori imponeretur. Quo facto, expendit Sectiones ellipticas, factas a plano in duobus conis ſimilibus & concentricis, monſtratque, non obſtantibus conorum paralleliſmo & ſimilitudine, Sectiones tamen non eſſe parallelas, nec etiam, niſi in unico ſolum caſu, concentricas. Id quod ad parabolam, ac hyperbolam quoque, facile applicat, cum illa pro ellipſi haberi queat, cujus duo foci infinito a ſe invicem intervallo disjuncti ſunt, hæc vero ellipſis quaſi inverſa ſit, cujus foci ultra terminos axis transverſi jacent. Exinde errores quosdam

Architectonicos corrigit, ostenditque, duos fornicum arcus (*ceintres*) non posse ellipticos fieri, quin a parallelismo devient, &, nisi devient, non esse exacte ellipticos, secus ac id quidem videtur opificibus. Considerat porro, quod Sectio conica data infinitorum conorum Sectio esse possit; idque primarium esse fornicum conicarum fundamentum, adstruit. Progreditur deinde ad Sectiones cylindrorum, non circularium solum, sed eorum quoque, quorum bases sunt Sectiones conicæ, eorumque usus præcipuos declarat. Ostendit etiam, si duo cylindri similes & concentrici plano oblique secentur, ellipses exinde oriundas similes quidem fore concentricis, ast haud æquidistantes, nisi Sectio sit cylindri scaleni subcontraria, quo in casu duo circuli proveniunt concentrici; & exinde etiam errores quosdam practicos satis graves reprehendit. Agit porro de Sectionibus conoidicis, sphæroidicis; nec de conoidibus solum, quæ rotatione curvæ circa axem, sed de iis quoque, quæ rotatione circa tangentem, &c. generantur, mentionem facit, &, formas fornicum re vera dari tales, inculcat. Sectionem duorum sphæroidum concentricorum duas esse ellipses concentricas quidem, & similes, ast haud æquidistantes, iterum commonstrat. Adjungit quædam de Sectionibus corporum annularium; earumque specimen exhibet, quod cum Lectoribus hic communicamus. Sit scilicet *Fig. 2* corpus cylindricum annulare, HDb, genitum ex revolutione circuli GHI, qui rectus est ad planum circuli majoris IDi, cujus centrum est C, radius CI, ea ratione, ut diameter GI, dum revolvitur, ad centrum C semper dirigatur. Secetur jam annulus hicce cylindricus plano ad planum IDi recto; curva $ALBOA$ exinde genita æquatione quarti ordinis definietur. Quod ut intelligatur, assumatur recta AB (quæ est occursus plani secantis cum plano IDi) pro axe curvæ, & ducatur quælibet ordinata perpendicularis, ut LN ($= NO$); per puncta L & O traductus concipiatur circulus $LMKO$, qui est idem ac GHI; ex quo patet, ordinatam NL esse occursum circuli hujus, ex cujus revolutione annulus gignitur, cum plano secante. Hisce observatis, & ducta CE ad AB normali, sit $AN = x$, $LN = NO = y$

TAB. V Fig. 2.

$NO = y$, $CD = CI = CA = a$, $GI = gi = KM = b$, $AE = EB = c$; erit $CE = V(a^2 - c^2)$, & $EN = c - x$, igitur, per pythagoricum, $CN = V(a^2 - 2cx + x^2)$, & $KN = CK - CN = a - V(a^2 - 2cx + x^2)$, similiter $MN = KM - KN = b - a + V(a^2 - 2cx + x^2)$. At vero ob circulum est $KN \times NM = NL^2 = ON^2$, igitur, substitutis valoribus, erit æquatio ad curvam talis: $y^2 = ab - 2a^2 + 2cx - x^2 + (2a - b) \times V(a^2 - 2cx + x^2)$, vel, (facto $2a - b = e$,) $y^2 = ab - 2a^2 + 2cx - x^2 + eV(a^2 - 2cx + x^2)$ quæ, ab asymmetria liberata, & juxta dimensiones literæ x ordinata, abit in hanc:

$$\begin{array}{llllll} x^4 - 4cx^3 & + 2aex^2 & - 4acex & + y^4 & \\ & - e^2 & + 2ce^2 & + 2aey^2 & = 0, \\ & + 4c^2 & - 4cy^2 & & \\ & + 2y^2 & & & \end{array}$$

quæ est ad lineam quarti ordinis. Liquet autem ex schematis intuitu, curvam $ALOBA$ in duas disrumpi partes, ubi punctum E infra F descendit; &, cum planum secans per centrum transit, curva ex duobus circulis æqualibus & similibus, GHI, & ghi, conflabit, id quod etiam ex æquatione posset elici. Quando $2a = b$, annulus in sphæram mutabitur, & curva $ALOBA$ erit circulus, id quod tam ex æquatione, quam schemate, patet. Ceterum, præter cylindros hosce annulares, cylindros etiam helicoides, eorumque Sectiones, in usum vocat Autor, id est, tales, qui axi cuidam cochleæ in modum circumvolvuntur, quorumque est in fornicibus cochleiformibus necessi-

necessitas; quo facto, ad sectiones, ex corporum superficiebus, sese mutuo quasi penetrantibus, oriundas, pedem promovet, quarum insignis usus est in fornicibus compositis. Ex infinita autem solidorum, quorum superficies sibi invicem occurrere possunt, multitudine examinat sphæras, conos, & cylindros, se mutuo penetrantes, variasque hac ratione curvas formantes. Methodum vero in hac inquisitione non analyticam illam sectatur, qua utitur Cl. *Clairaltius* in suo de Curvis duplicis curvaturæ Tractatu; licet enim pulcherrimam illam, uti re vera est, & generalissimam, prædicet, non absque ratione tamen monet, illam praxibus manualibus, quæ omne punctum in Architectura ferunt, non adeo facile accommodari posse. Alia igitur ratione, praxiumque cultoribus, imo & opificibus, magis utili, sphæras, cylindros, & conos, sese penetrantes, sub examen vocat, & curvas duplicis curvaturæ, quæ inde resultant, novis quoque nominibus appellat, quo molestos verborum circuitus effugiat. Sit in *Fig. 3* *SBNT* circulus generator, & descripta curva quælibet *SMT* in plano Diametri *ST*, & terminata in *S*, *T*; moveantur ordinatæ circuli *CN* sibi semper parallele, deorsum vel sursum, donec puncta *C*, *C*, in curva *SMT*, ejusque punctis *M*, *M*, locentur, & puncta *N* in *m*; evidens est, curvam *SmT* fore descriptam in superficie cylindri, cujus circulus genitor est *SBNT*. Curvam hancce, quæ duplicis adeo curvaturæ est, Autor vocat *Cycloimbrem*, q. d. *circulum imbricatum*, quia imbricis, vel tegulæ cavæ, figuram æmulatur. Si in locum circuli genitoris *SBNT* substituas ellipsin, curva *SmT* descripta erit in superficie cylindri elliptici, & a Nostro vocatur *Ellipsimbris*, sive *ellipsis imbricata*. Si concipias, ordinatas ellipseos genitricis, dum motu sibi parrallelo deorsum sursumve feruntur, longiores vel breviores fieri, in ratione distantiarum ab ellipsi; curva *SmT* alia erit, *Ellipsoidimbris* Nostro appellata. Sæpissime autem accidit, ut curvæ duplicis curvaturæ componantur ex portionibus cycloimbricis, ellipsoimbricis, ac ellipsoidimbricis. Hisce ideis fundamenti loco præstratis, Sectiones sphærarum per sphæras aggreditur, quæ sem-

TAB. V Fig. 3.

ſemper ſunt circuli; deinceps ſphærarum ſectiones cum cylindris, tam rectis, quam ſcalenis, exponit, quæ pro varia ſuperficierum, ſeſe penetrantium, ſitu ſunt circuli, vel ellipſes planæ, vel maximam partem curvæ duplicis curvaturæ, tales nempe, quales modo nominavimus. Quo facto, multus eſt in explicandis Sectionibus, ex occurſu ſphæræ cum cono recto vel ſcaleno oriundis, item ex occurſu cylindrorum cum cylindris, & conorum cum conis. De Sectionibus hiſce, earumque figuris, idem notandum, quod de Sectionibus cylindrico - ſphæricis. Imo quoque Sectiones cylindrico - & conico - & ſphærico - ſphæroidicas ſeparatim aggreſſus eſt, ubi propoſitiones quasdam notatu ſatis dignas inveneris, v. g. quod Sectio ſphærico - ſphæroidica aliquam ſubinde relationem habeat cum ellipſi plana, quod ſectiones conico - & cylindrico - ſphæroidicæ in quibusdam caſibus ſint ellipſes planæ, &c. Præcipuum vero eſt, quod in uſibus ſingularum propoſitionum practicis Autor luculenter admodum verſetur, & antiquos errores probe corrigat. Et hac quidem ratione *Tomomorphiæ* finem facit, ad *Tomographiam* progreſſurus, in qua deſcriptionem ipſam curvarum docet, ex ſectionibus ſolidorum memoratis ortarum; id quod hoc ordine exequitur, ut primo loco agat de variis Sectionum conicarum deſcriptionibus, ex variis datis pendentibus, & vel per puncta infinita, vel per motum organicum, efficiendis. Ubi de Sectione conica per data quinque puncta ducenda agitur, ſeligit illam hujus Problematis ſolutionem, quam dedit *Mac-Laurin* in Geometria ſua organica *pag. 9 ſeq.* Hyperbolæ delineationem traditurus, ejus uſus in fornicibus bene multos recenſet, additque, eam ſibi videri magis congruam pro diminuendis columnis, quam quidem conchoidem *Nicomedis*, qua vulgo utuntur. Vid. *pag. 154.* Alias quoque curvas, quæ non ſunt Sectiones conicæ, in praxibus tamen Architectonicis obviæ, delineare deinceps docet; quas inter prima eſt linea quarti ordinis, ex Sectione ſolidi cylindrici annularis oriunda, cujus æquationem jamjam dedimus. Secundo loco veniunt ſpirales variæ, quarum uſus aliquis eſſe poteſt, Archimedea ſcilicet, parabolica, elliptica, hyperbolica, &c. quas omnes, cum

 infi-

finitis aliis, generali sua ac amplissima theoria complexus est Cel. *Varignonius* in *Comment. Acad. Scient. Anni 1704 pag. 91 – 181 edit. Batav.* Postea de arcubus fornicum repentibus, (*Arcs rampans,*) qui nec verticales, nec horizontales, sed ad horizontem inclinati, sunt, scitu maxime necessaria, & utilia, profert. Quo facto, modum ostendit, curvas quasdam per portiones circulares imitandi, ellipsin præcipue, & spiralem, id quod ab Architectis in delineatione volutarum potissimum factitatum fuit. Monstrat, methodum, volutam Ionicam *Goldmannianam* delineandi, unicum solum esse suæ methodi, spiralem imitandi, casum. Hisce dimissis, qua ratione ducendæ sint rectæ ad curvam aliquam perpendiculares, a puncto, sito vel in curva, vel extra curvam, vel intra curvam, edocet; quod, post Sectiones conicas, ad spirales quoque transfert, lumine potissimum a *Varignonio* accenso usus; ac Theoriæ ad praxes applicationem nunquam non ostendit. *Pag. 205* ait, catenariam quoque inservire posse, quando agitur de æquilibrio inter lapides cæsos (*voussoirs*) fornicis constituendo. Figuram autem ejus ad parabolam quam proxime accedere, adeoque in praxi, siquidem e re visum fuerit, parabolam catenariæ substitui posse, licet talis arcuum forma oculos vix delectatura sit. Jam aggreditur Sectiones conicas & cylindricas, in ipsis conorum cylindrorumve superficiebus convexis vel concavis delineandas, cum illas huc usque consideraverit ut in plano describendas. Ostendit igitur, quomodo circuli, parabolæ, ellipses, & hyperbolæ, in superficiebus istis describendæ sint, quam rem dilucide satis tradit, una cum suis usibus. Problema quoque curiosum & novum *pag. 233 seq.* exhibet, quod hoc est, ut conus rectus, cujus basis est ellipsis, plano ita secetur, ut Sectio evadat circulus. Problematis hujus geminam solutionem a Cel. *Bernoulliis*, alteram a Parente, a Filio alteram, impetravit. Nos, quos brevitati litare oportet, solutionem Parentis hic exhibemus, quæ contractior, hæc est: Sit in *Fig. 4*
TAB. V Fig. 4. *SABD* semi-conus, basin habens semi ellipsin *ADB*, cujus axis minor *AB*, semiaxis major *CD*; sitque planum ellipseos *ADB* ad planum trianguli *ASB* normale. Res omnis jam eo redit,

ut

ut inveniatur positio rectæ $GC\Upsilon$, per centrum ellipseos C transeuntis, ac ejus naturæ, ut Sectio plani, quod ad ipsam perpendiculare concipitur, cum semicono elliptico sit semi-circulus. Patet exinde, CD fore Sectionem communem circuli quæsiti, & baseos semiellipticæ; adeoque fore $GC \times C\Upsilon = CD^2$. Ducta jam ex vertice S recta SE normalis ad CS, quæ rectam $G\Upsilon$ productam secabit in E, sit $SE = x$; axis coni $SC = a$, $CA = CB = b$, $CD = c$; SD erit $= \sqrt{(c^2 + a^2)}$, &, si in F statuatur focus, erit ex natura ellipseos $CF = \sqrt{(c^2 - b^2)}$. Jam triangula similia GES, AGC, præbent $SE : AC = EG : GC$, & componendo, $SE + AC : AC = EG + GC : GC$, sive $x + b : b = \sqrt{(x^2 + a^2)} : GC$; igitur $GC = \frac{b\sqrt{(x^2 + a^2)}}{x + b}$.

Porro, ob Triangula $SE\Upsilon$, $CB\Upsilon$, similia, erit $SE : BC = E\Upsilon : C\Upsilon$, & dividendo, $SE - BC : BC = E\Upsilon - C\Upsilon : C\Upsilon$, id est, $x - b : b = \sqrt{(x^2 + a^2)} : C\Upsilon$, hinc $C\Upsilon = \frac{b\sqrt{(x^2 + a^2)}}{x - b}$. At vero, uti diximus, esse debet $C\Upsilon \times GC = CD^2$, igitur, valoribus substitutis, $\frac{b^2(x^2 + a^2)}{x^2 - b^2} = c^2$, ex quo, facta reductione, elicitur $x^2 = \frac{b^2(a^2 + c^2)}{c^2 - b^2}$, vel $x = \frac{b\sqrt{(a^2 + c^2)}}{\sqrt{(c^2 - b^2)}} = SE$.

Patet igitur, esse $\sqrt{(c^2 - b^2)} : \sqrt{(a^2 + c^2)} = b : x$, id est, $CF : SD = CA : SE$. Patet, data SE, dari positionem

nem rectæ GCY, quæ quærebatur ad Problematis solutionem. Quodsi conus secandus sit scalenus, methodus solutionis nec evadet alia, nec difficilior. Altera *Bernoullii*, Filii, solutio eodem fundamento nititur, & a præcedenti in eo differt, quod AG pro incognita assumat, & in ejus quantitatem (ducta GH perpendiculari ad AB,) inquirat. Ast pergamus. Noster itaque ad descriptiones curvarum duplicis curvaturæ progreditur, quæ, uti jam diximus, sphærarum, cylindrorum, conorumque, mutuæ sunt Sectiones. Multus igitur in eo est, ut cycloimbrem, ellipsimbrem, ellipsoidimbrem, curvasque inde compositas in superficiebus cylindricis, conicis, sphæricis, designare doceat. Omne Sectiones hasce delineandi fundamentum in eo positum est, ut quælibet earum puncta determinentur ope trium planorum, quorum primum semper datum est, utpote conica Sectio, $SBNT$ *Fig. 3*, cujus axis ST subtendit curvam duplicis curvaturæ SmT, quæ est Sectio solida delineanda. Secundum, per punctum quodlibet, ut m, Sectioni $SBNT$ parallelum est; denique tertium $GNmM$ ad ordinatam CN est normale, & secundo in recta mM occurrit, punctaque M, M, curvam SMT formant, quæ axis curvus curvæ SmT dici potest; omnia igitur puncta m, ut hac ratione determinata, considerari possunt. Quicquid jam de delineationibus cicloimbrium, ellipsimbrium, &c. tradit, nil aliud est, quam applicatio hujus fundamenti variis in casibus facta. Exposito tandem modo, helices & cochleas in cylindris, conis & sphæris, sphæroidibusve, designandi, *Tomographiæ* colophonem imponit. Pedem itaque profert ad *Stereographiam*, quæ in eo tota occupatur, ut modum edoceat, solida repræsentandi in plano, una cum eorum divisionibus, quoad ejus quidem fieri potest. Hoc descriptionis genus, Gallice appellatur *le Trait*, & *l'Epure*, in quo & maxima Sectionis Lapidum difficultas hæret. Quatuor præcipue ejus recenset partes, 1) Ichnographiam, sive projectionem in plano horizontali, 2) Orthographiam, sive projectionem in plano verticali; 3) Extensionem superficierum in planas, vel, si mavis, earum evolutionem, (quæ idem est ac curvarum in rectas extensio,)

quam

quam cum *de Lagny* Epipedographiam appellat. 4) Goniographiam, id eſt, angulorum rectilineorum, curvilineorum, & mixtilineorum, deſcriptionem. Repræſentationes ſcenographicas nullius hic eſſe utilitatis, monet, quippe quæ menſuras rerum haud relinquunt intemeratas. Quibus præmonitis, & natura projectionis (orthographicæ ſcilicet) clarius expoſita, (vid. & *pag.* 206 — 211) ad ſpecialiorem tractationem deſcendit, regulas Ichnographiæ pro arcubus fornicum, eorumque diviſionibus, fuſius primo traditurus; quo facto ad orthographias, ſive profila, accedit, quæ pro omnibus fornicum figuris, regularibus, irregularibusque, conficere docet. In Epipedographia, poſt corporum regularium evolutionem, (quæ dat eorum ſic dicta retia,) monſtrat evolutionem ſuperficierum varii generis, ſphæricarum, ellipticarum, cylindricarum, conicarum, polyedricarum, &c. imo & ſuperficierum curvarum, ex pluribus compoſitarum, totamque rem exemplis fornicum omnis generis illuſtrat. Specimina vero exinde huc transferre, nimia vetat prolixitas, in quam recenſio, nobis vix ſentientibus, excrevit. In Goniographia omnes complectitur angulorum caſus & deſcriptiones in plano, quas partes fornicum efficiunt, & exemplis eos abunde illuſtrat, *Stereographiam* hac ratione abſolvens. Reſtat igitur ipſa *Tomotechnia*, ſive artificioſa ſolidorum Sectio, ad perficiendam Lapidum & lignorum Sectionem accommodanda, cujus gratia omnia dicta ſunt, quæ in *tribus*, quæ antecedunt, *Partibus* continentur. Hanc in *Tomo* Operis *ſecundo* perſequi, *Autor* ſecum conſtituit, qui ut lucem propediem videat, eſt, quod in votis habemus. Ceterum illud adhuc notandum, *Tomum* hunccce *primum* claudi conſpectu brevi omnium propoſitionum, cui ſubjungitur ampla terminorum technicorum explicatio, ordine alphabetico digeſta, cum eorum ingens ſit numerus; quæ utique percommoda iis erit, qui in hoc ſtudiorum genere deſudant.

THE PHILOSOPHICAL GRAMMAR; BEING a View of the preſent ſtate of experimented Phyſiology or Natural Philoſophy, &c.

h. e.

GRAMMATICA PHILOSOPHICA, CONSpectum status præsentis Physiologiæ experimentalis, vel Philosophiæ Naturalis, sistens quatuor Partibus; quarum prima continet Somatologiam, agens generatim de natura & proprietatibus materiæ, aut substantiæ, & de specificis qualitatibus naturalium corporum; secunda Cosmologiam, exhibens generalem statum universi, & corporum ejus totalium, Solis, Lunæ, Planetarum, Cometarum, Stellarum fixarum, &c. tertia Aerologiam, continens philosophiam atmosphæræ, & ostendens admirandam naturam & proprietates aeris, venti, meteororum, & aliorum atmosphæræ phænomenorum; quarta Geologiam, sistens philosophicam delineationem globi terraquei, & omnium ejus partium ac productionum, mineralium nempe, metallorum, lapidum, &c. porro leges fluidorum, maris, rivorum, fontium; vegetationis, in plantis, arboribus, &c. explicans etiam partes corporum animalium, & naturam bestiarum, piscium, insectorum, reptilium, &c. Omnia ex scriptis maximorum superioris æque ac præsentis ætatis Physicorum extracta, &, ad usum juventutis utriusque sexus, per Dialogos exposita, illustrata etiam variis Figuris æneis, & Mappis, quarum nonnullæ prorsus novæ, omnes vero ad captum juventutis maxime sunt accommodatæ. Autore BENJ. MARTIN,

φιλοτέχνῳ.

Londini, apud J. Noon, 1735. 8.
Plag. 21, Tabb. æn. 16.

NOvus Libelli titulus est; novus etiam scopus. Non enim juvenibus solum studiosis scriptus est, sed captui quoque sexus sequioris accommodatus. Optima est utique & innocentissima

tissima voluptas, quæ ex Libri Naturæ lectione capitur; id vero fœminis suæ gentis non adeo facile Autor persuaserit. Quodsi autem successus destinatis plene responderit, non viris solum, sed &, si Diis placet, fœminis, rerum Physicarum scientia instructis Anglia superbiet. At vero missa hæc faciamùs; &, quibus ex causis, quo ordine, quaque methodo, Libellum concinnaverit Autor, potius dispiciamus. Causas omnino quinque recenset, quibus eo adductus fuit, ut illum publicæ luci exponeret. Primo enim longe nobilissimam cognitionis humanæ partem esse, quæ in admirabili operum divinorum Systemate contemplando ponatur, ita quidem, ut vix homo dici mereatur, qui illius ignorantia laboret. Secundo, nullum exstare librum Anglico idiomate exaratum, qui omnes Philosophiæ naturalis partes & ramos comprehendat; operæ pretium itaque omnino fuisse, ut in una aliqua collectione iis exhiberetur, qui nulla linguarum exoticarum scientia pollent. Tertio, illos quoque libros, qui ex Latino, Germanico, Gallico, sermone in Anglicum translati sunt, demonstrationibus mathematicis difficilioribus, & disquisitionibus eruditis, adeo esse refertos, ut juniores studiosi, & sequior præcipue sexus, ab illorum lectione omnino deterreatur. Quarto, libros his in rebus nobilissimos, ut Principia Philosophiæ *Newtoniana*, Conspectum Philosophiæ *Newtonianæ Pembertonianum*, Transactiones Regiæ Societatis, &c. nimis esse sumtuosos, nec a quovis homine comparari posse; ut symbolicarum demonstrationum, quibus abundant, difficultates taceamus. Quinto denique, scripta Physica quamplurima, & melioris quoque notæ, magno materiarum defectu laborare, cujus rei exemplo sint *Robaltii* Physica, *Indroductiones Keiliana*, *Clarkiana*, &c. alia quasi esse redundantia, methodo destituta alia. Laudat Theologiam Physicam Cl. *Derhami*, utpote rerum ubertate commendabilem; librum itidem *Niewentütianum* notissimum, & Principia Philosophiæ *Cheyneana*. Judicavit igitur, libello opus esse compendioso, qui omnia Physicæ hodiernæ capita includat; qui nullo materiarum defectu laboret; qui facillima, quam fieri potest, methodo gaudeat; qui a quovis homine illiterato &

ἀγεω-

ἀγεωμετρήτῳ, adeoque a fœminis etiam, legi & in uſus præclaros converti poſſit; qui, ut paucis dicamus, Librum naturæ vaſtiſſimum intellectu faciliorem, ejusque lectionem expeditam ſuavemque, reddat. Habes igitur ſcopum *Grammaticæ Philoſophicæ*: accipe, ſi placet, methodum. Eſt autem popularis illa, quæ formam *Dialogorum* habet; & vix ulla utique datur, cujus major hic eſſe poſſit opportunitas. Breves ſunt quæſtiones & reſponſiones, & in partes diſtractæ, ut capiantur eo facilius, nec diſcurſus longioris connexio nauſeam pariat. Exulant omnes materiæ diſputationibus parum fructuoſis obnoxiæ; exulant demonſtrationes difficiliores mathematicæ; exulant omnia, quæ a meris hypotheſibus conjecturisve dependent. Quæcunque principia fundamenti loco ponuntur, fide experimentorum ſtabilita fuere, ab optimis Autoribus factorum, ex quibus ſuam collectionem depromſit Noſter. Sunt autem inprimis, quos nominatim adducit, *Baco, Boylæus, Newtonus, Hallejus, Robaltus, Samuel Clarkius, Jo. Clericus, Niewentütius, Cheynæus, Whiſtonus, Derhamus, Keilius, Gregorius, Grewus, Freindius, Carteſius, Graveſandius, Bœrhavius, Gœdartus, Lemerius, Bartholinus*, aliique, ex quibus ſua congeſſit. Quo ideas rerum magis obvias ac explicatiores redderet, varios propoſitionum caſus numeris illuſtrat, qui nimiis verborum ambagibus exponendi fuiſſent. Schematiſmos adjecit ſat multos, & intellectu faciles; paucis, omnem movit lapidem, ut materias, qua fieri poſſet, perſpicuitate ac facilitate proponeret. Totus Libellus in *quatuor Partes* diſtribuitur, quarum conſpectum paucis exhibebimus. *Prima* continet *Somatologiam*, in qua de natura & affectionibus corporum generalibus & ſpecificis qualitatibus agitur, *duodecim Capitibus*. 1) Agitur de materia, corporibus in genere, elementis, eorumque numero. 2) De corporum extenſione & dimenſionibus, ubi inſimul idea magnitudinis datur, nihilque abſolute magnum vel parvum eſſe oſtenditur. 3) De diviſibilitate materiæ in infinitum, ductilitate, ſubtilitate, cujus exhibentur exempla, ab aliis paſſim jam tradita. 4) De ſoliditate, quæ eadem eſt cum impenetrabilitate, & quam potius

tius resistentiam appellari debere oporteret, juxta mentem Autoris, item de figurabilitate. 5) De mobilitate, motu, quiete, affectionibus motus, ut celeritate, directione, quantitate, quæ omnia explanantur exemplis. 6) De luce, præmissis quibusdam de qualitatibus corporum specificis. Lucis causam ignotam esse asserit, & solem omnis lucis fontem esse. Deinde motus luminis progressivus examinatur, & probatur modo ordinario *Ræmeriano*, & computus celeritatis lucis exhibetur. Reflexio item & refractio, ejusque leges, exponuntur, & illustrantur exemplis, ac specimen de incredibili particularum lucis exilitate datur. 7) De coloribus, illorum origine ex radiis luminis heterogeneis, qui coloribus, quos vocant, primariis præditi sunt; de diversa horum radiorum refrangibilitate, reflexibilitate, & quomodo detecta fuerit, de compositione colorum secundariorum ex primariis, &c. adductis hanc in rem experimentis facillimis, ex quibus Theoriæ *Newtonianæ* ideam haurire licet. Adduntur quoque pauca, proportionem harmonicam spectantia, quæ inter sinus refractionum radiorum, qui diversis coloribus respondent, observatur a *Newtono* in Optica *Lib. I Part. II Prop. III.* 8) De sono, ejus natura, propagatione, velocitate, intensitatis æstimatione, duratione, de sonis harmonicis vel non-harmonicis, &c. 9) De gravitate, absoluta, specifica, centro gravitatis, ejus actione in corpora, legibus gravium cadentium, distinctione attractionis & gravitatis, mira particularum lucis attractione, electricitate, &c. Causa attractionis ignota esse dicitur. 10) De transparentia, opacitate, eorumque causis, densitate, raritate, duritie, mollitieque, rigiditate ac flexibilitate, &c. 11) De consistentia, fluiditate, calore, frigore, humiditate, siccitate, elasticitate, odoribus, saporibus, &c. 12) De tribus legibus naturæ *Newtonianis*. *Secunda Pars* Cosmologiam exhibet *VI Capitibus*. 1) Agitur de Cosmologia in genere, idea spatii pleni & vacui, quod more Anglorum probare contendit, item temporis. Deinceps 2) de Sole, utpote Systematis nostri centro, ejus diametro, quantitate materiæ, quæ cum planetis comparatur, gravitatione eorum in Solem; item de materia Solis, quæ ignota esse asseritur, maculæ, revolutio circa axem, motusque diurnus apparens, non

Tt realis.

realis. 3) De Luna, Planeta fecundario, terræque comite; ubi exponitur ejus opacitas, magnitudo, motus diurnus, & periodicus, revolutio circa axem, orbis ellipticus, & femper mutabilis, cujus mutationis indicatur caufa; enarrantur maculæ & partes lucidæ, tandemque Lunam incolis gaudere probatur. 4) De Planetis, tam primariis, quam fecundariis, eorum numero, legibus motus, proportione, juxta quam gravitas (vel vis centripeta) in Planetas agit, motu annuo, directione, ftatione, retrogradatione, quæ fchemate explanatur; in fpecie de Jove, ejusque fatellitibus, eorumque eclipfibus, ac diftantiis a centro Jovis; de Saturno, ejusque quintuplici fatellitio, annulo; de fafciis Jovis, ex quibus Jovem in terras mariaque diftinctum effe deducitur; tandem omnes omnino Planetas ab incolis habitari dicitur. 5) De Cometis, eorumque variis generibus, fubftantia, caudis, motu circa Solem Planetarum inftar, aft in orbibus vehementer eccentricis, ubi orbis alicujus cometici longitudo exhibetur in milliaribus Anglicanis, illius fcilicet, qui A. 1680 apparuit, determinata ab *Hallejo*; porro de cometarum atmofphæra, infigni calefactione in perihelio; de illorum creatione toti Syftemati contemporanea, & ufibus, quos viri quidam docti conjectando affequi conati funt. 6) De Stellis fixis, earum motu apparente, numero, catalogis, diftantiis immenfis; de via lactea, ftellisque novis. Quælibet fixa Sol effe dicitur, & centrum Syftematis alicujus Planetarii. *Pars tertia* libelli continet *Aerologiam*, quæ *IV Capitibus* abfolvitur. 1) Agitur de aere, vel atmofphæra, cujus enumerantur proprietates præcipuæ, fluiditas, gravitas, elater, condenfabilitas, pelluciditas, &c. item quod fit menftruum aliquod, caufa foni & lucis, refractionis, crepufculi, & quæ fit ejus in refpiratione neceffitas. 2) de Anemographia, five ventis, quorum diverfa genera enumerantur, &, plenioris explicationis caufa, peculiari mappa repræfentantur; quibus fubjunguntur quædam de velocitate, limitibus, ufibus ventorum. 3) De meteoris igneis, aereis, aqueis, fulgure, fulmine, nubibus, nebulis, pluvia, nive, rore, &c. 4) De meteoris emphaticis, iride, variisque fpeciebus, halonibus item & parheliis, virgisque lucidis. *Pars* tandem *quarta Geologiam* fiftit, & quinque habet Capita; 1) Geo-

1) Geologiam, stricte sic dictam, quæ conspectum philosophicum globi terraquei exhibet, ejusque divisiones tum naturales in continentem & maria &c. tum artificialem quoque in climata, zonas, &c. comprehendit; explicantur diversa anni tempora ope schematis, differentiæ caloris frigorisque diversis in locis, minor Solis distantia tempore hyberno, quam æstivo, &c. 2) Geographiam, i. e. descriptionem internæ constitutionis terræ, quæ de fossilibus in genere, mineralibus, metallis, &c. item de lapidibus, gemmis, magnete, aliisque, de terræ motibus, montibus ignivomis, stratis, quæ in terra reperiuntur, & quæ sunt plurima hujusmodi, agit, quæ singula enumerare, operæ pretium non est. 3) Hydrographiam, hoc est, sensu Autoris, Philosophiam aquæ, quæ continet leges fluidorum hydrostaticas & hydraulicas, item originem fontium, & quæ alia sunt minoris momenti. 4) Phytographiam, h. e. Philosophiam Vegetabilium, quæ varia experimenta exhibet, quibus vegetatio in arboribus plantisque illustratur, plantasque omnes in semine suo jam contineri adstruitur; explicatur structura radicum, earumque usus quoad præcipuas partes, quæ nutritioni plantæ inserviunt. 5) Zoographiam, sive Philosophiam animalium, quæ descriptionem partium, tam fluidarum, quam solidarum, ex quibus corpora animalium organica componuntur, sistit, eorumque usus paucissimis exponit, ac illarum quoque accidentia, morbos, mortem, &c. attingit. Et sic quidem brevem *Grammaticæ philosophicæ* conspectum exhibuimus. Ceterum Autor φιλότεχνος Cicestræ degit, & variis Matheseos, practicæ præsertim, partibus docendis operam impendit.

NOVA LITERARIA.

Venetiis sub prelo *Modesti Fensi* sudant *Jo. Chrysostomi Scarfo*, Doctoris Theologi Basiliani, & ingenii & animi dotibus pulcherrime præditi, per universam Italiam ob incomparabilem doctrinam clarissimi, Oratoris, Poetæ, Philosophi, Mathematici, Historici, Antiquarii, Diplomatici, ac Theologi prorsus egregii, *Opuscula poetica*, in *tres Partes* distributa. Sunt Opuscula *primæ Partis Tragœdiæ decem*, nempe *Ele-*

ctra, *Bacchæ*, *Hyppolitus*, *Medea*, *Cyclops*, *Phœnissa*, *Prometheus*, *Jesus Christus*, *Plutus*, *Nubes*; *Odyssea*, in 12 Libros distributa; *Argonautica*; *Ranarum, Murumque, certamen*. *Secunda* continentur *Lusus varii*; *Lusus sacri*; *Animæ Deum amantis vota*; *Poetica in mundi amorem Parænesis*; *Seraphici affectus S. Francisci Assisinatis erga Jesu Christi crucem, ejusque crucifixionem*; *Canticum Canticorum Salomonis versibus jambicis dimetris expressum*; & *Elegiæ variæ*. *Tertia* exhibet *Carmina pro nuptiis Priami Legii cum Cornelia ex augusta Corneliorum Romana familia*; *Lusus Poeticos*; *Epigrammata sacra*; *Odas Mysticas*; & *Lusus Pastorales*. In hisce sane Opusculis imitatione Autor assequitur *Anacreonticam* venustatem, & *Catulli* os tenerum, & *Propertianos* affectus, & *Ovidiana* lumina, & *Martialeos* sales, & *Virgilianum* splendorem, ac gravitatem. Mens Poetæ est, & sui, & lectoris, animum aliquando a mœrore relevare, ad graviora reparare, piis aliquando affectibus, atque innoxiis deliciis, oblectare. Stili haud una forma, sed multiplex, apparet, juxta & argumentorum, & Carminum, distinctionem, atque varietatem. Idem Vir doctissimus jam olim plura conscripsit, & evulgavit, terso, limato, & gravi stilo, tum Latino, tum Italico. Evulgavit Italice *Epistolam Theologico-Mysticam*, Neapoli, anno 1703; *Theophilangelam*, Venetiis, A 1710; *Epistolas Criticas*, *Apologeticam*, *Sophalotologicam*, *Pandocriticam*, *Aletologicam*, & *Dicheologicam*, *Variorum Elogiorum* Tomos duos, Neapoli, primum A. 1715, secundum vero A. 1716; *Variorum Opusculorum* Tomos tres, primum Neapoli A. 1722, secundum Panormi A. 1724, tertium denuo Neapoli A. 1727; *Dissertationem*, novis rerum naturalium experimentis, ac rationibus mathematicis, illustratam, in qua & de *natura*, & de *creatione* agitur *mundi*, Messanæ, A. 1730; in *Galleriæ Minervæ*, Venetiis prelo paratæ, *Tomo VII* plura novi argumenti Opuscula, quæ a doctis ac eruditis viris cum voluptate leguntur. Evulgavit Latine *Speculum Marianum Mathemetricum*, Neapoli, A. 1700; *Propositiones Philosophicas*, Messanæ, A. 1700; *Conclusiones Physicales ad mentem Divi Basilii Magni*, Neapoli, A. 1705; *Lectiones neophysicas*, Venetiis, A. 1705; *Speculum verum*, *osten-*

ostendens juxta modernorum disputantium Philosophica Principia, Venetiis, A. 1706; *Scoti Logices Breviloquium; Sacra Philosemata; Ideam Theologicam; Analysin & Philosophicam, & Theologicam, ad mentem Damasceni; Sacra Stromata Theologico-Dogmatica, Scholastica, & moralia*, Romæ, A. 1709; *Sermones* demum *Geographicos*, nuper demum Venetiis *Tomo XIV Opusculorum scientificorum & philologicorum*, quæ colliguntur, & Italico partim, partim Latino, sermone vulgantur a Cl. *Calogiera*, adjectis.

Qui suis olim sumtibus publicavit magnum illum ac præstabilem *Juris Romani Thesaurum*, *Joannes van der Linden*, nobilis Lugdunensium Typographus, jam novum, ejusdem fere instituti, nec elegantioris Jurisprudentiæ studiosis minus utile futurum, Opus parat, daturum nobis Jurisprudentiæ, non Romanæ tantum, sed Atticæ etiam, Commentatores quosdam præcipuos ita in unum corpus collectos, ut *tribus* majoris formæ *Voluminibus* selectam quandam optimorum JCtorum velut Bibliothecam habituri sint Lectores. En titulum Operis: *Jurisprudentia Romana & Attica: continens varios Commentatores, qui Jus. Romanum & Atticum, item classicos aliosque Autores veteres, emendarunt, explicarunt, illustrarunt*. Continebit autem *Tomus I* Franc. Balduini, *JCti, Opuscula omnia minora*, quæ quidem hæc sunt: *Præfata de Jure Civili; Catechesis Juris Civilis; Justinianus; Constantinus M.; Notæ ad Lib. I & II Digestorum; ad LL. Voconiam, Falcidiam, Juliam, Papiam Poppæam, Rhodiam, & Aquiliam; ad LL. Romuli; ad LL. XII Tabularum; Rusticæ Justiniani Leges; ad LL. Majestatis, sive Perduellionis; Jurisprudentia Muciana; Disputationes duæ de Jure Civili ex Papiniano; de Quæstione in auditorio Papiniani; de Famosis libellis; de Pignoribus & hypothecis; de Conditionibus: de Divisione stipulationum: de Cautione lecta: de Evictionibus: ad Regulam Catonianam; Explicatio L. 14 C. de Pactis; in Novellas, & ad Ædilitium Edictum; Scholia ad Novellam I; Commentarius in Novell. I, IV, XVIII, & CXVIII; ad Edicta veterum Imperatorum de Christianis; Historiæ universæ cum Jure conjunctio; Relatio ad Henricum Andium, Ducem magnum; Latini Pacati*

Panegyricus ad Theodosium A.; Eumenii Oratio de Scholis, cum Balduini *annotationibus in utramque Orationem*; *de Legatione Polonica Oratio ad Sarium Zamoscium. Tomus II* dabit Bart. Chesii, *JCti*, *Interpretationum Juris Libros II*; ejusdem *Librum de differentiis Juris*; Guid. Panciroli, *JCti*, *Thesaurum Variarum Lectionum utriusque Juris*, *in III Libros distinctum. Tomum III* implebit Sam. Petitus *ad Leges Atticas, Commentario illustratus*: *cum Observationibus quibusdam ineditis* Jacobi Palmerii; sed cujus Operis editionem, fortassis elegantiorem, nunc parari a doctissimo *Trotzio*, JCto Ultrajectino, nuper diximus. Omnia hæc recens recognita, & Legum numeris, Historicorum & Poetarum Libris, Capitibus, ac Versibus, aucta, prodibunt. Sumtus excudendo Operi suppeditabit, ut diximus, *Jo. van der Linden*, sed adornandi vendendique ejus curam susceperunt *Joannes* & *Hermannus Verbeek*, & *Abrahamus Kallewier*, æque nobiles Lugdunensium typographi, in quorum officinis specimen Operis cuilibet inspiciendum permittitur. Et charta & literarum typi elegantissimi adhibebuntur, quod ipsum Operis specimen testatur, prorsus nitide impressum. Non amplius quam sexcenta exemplaria hac forma, & viginti quinque charta majori, prodibunt. Opus integrum constabit plus minus sexcentis foliis, ac tribus rubricis titulis. Subscribentibus vero pro singulis foliis septem chalci cum dimidio ($7\frac{1}{2}$ *duiten*) imputantur: & ita pro integro Opere persolvent viginti octo florenos cum quinque assibus, idque hoc pacto: quando quis nomen dabit, flor. 7; ubi *primum Tomum* accipiet, 7; absoluto *altero*, 7; cum ultimus prelo descriptus erit, 7:5. Pretium autem exemplarium charta majori descriptorum erit quadraginta duorum florenorum, ita divisim solvendorum: Dato nomine, 10; ubi *prius Volumen* publicabitur, 10; perfecto *altero* 10; cum ultimum edetur, 11. Si Opus vel majus aliquot foliis, vel minus, futurum sit, decrescet vel accrescet pro singulis foliis pretium, secundum dictam computationem. Inscribentium nomina *Tomo I* præfigentur. Subscriptio hoc ipso tempore admittetur, & continuabitur usque ad anni hujus finem. Si vero post illud elapsum, & subscriptioni destinatum, tem-

tempus quædam e fexcentis hac forma, aut e viginti quinque charta majori, exemplaribus fuperabunt, nullum minori pretio vendetur, quam triginta octo florenorum hac forma, & quinquaginta fex florenorum charta majori. Vertente anno *Volumen I* prodibit: alterum infequentis anni fpatio: & exeunte Majo 1740 poftremum. Colligendi fymbolas cura ubicunque locorum demandata eft præcipuis Typographis, quorum nomina fatis vulgo funt cognita.

De præclaro eruditiffimi *Trotzii*, conjunctim edendi *Guil. Marani Opera juridica*, confilio dicere nos duobus tantum verbis fub finem *Menfis Maji* præfentis *Anni* meminimus. Jam, cum ipfum *Brædeletii*, Typographi Ultrajectini, eo nomine editum Programma ad nos venerit, potiora inde, quæ fcire intereft Lectorum, ut eo certius ipfius Operis ratio conftet, excerpta hic dabimus. In fronte Operis hæc leges: *Guil. Marani, Antecefforis Tolofani, Opera omnia, feu Paratitla Digeftorum, & varii Tractatus Juris Civilis, cum Autoris vita,* Bernardo Medonio *fcriptore, ab infinitis mendis correcta, novaque Præfatione aucta.* Opufcula *Marani*, quæ conjuncta in hoc Volumine prodibunt, hæc funt: Guilielmi Marani *de Æquitate, five Juftitia, Commentarii duo; de recta Juris docendi ratione, deque antecefforum delectu, Oratio; Paratitla in XLII priores Dig. Libros; de Jurisdictione in genere; ad Tit. D. de Rebus cred. & de Condict. fi cert. pet.; Ad l. 38 D. de Condict. ind.; Ad l. 31 D. Depofiti; Ad l. 91 D. ad Leg. Falcid. & l. 24 C. Fam. erc.; Ad Tit. D. de Acq. vel omitt. poffeff.; Ad l. 77 D. de Reg. Juris; Ad tit. Cod. de Judiciis; Ad tit. Cod. de Jure emphyteut.; De transmiffionibus, five ad tit. C. de his, qui ante apert. tab. hered. transm.; Ad tit. C. de Sentent. quæ pro eo, quod intereft, prof.; Ad tit. C. de Pignor. & Hyp.; Ad tit. C. in quib. cauf. pign. tac. contr.; Ad tit. C. Si rei alien. pign.; Ad tit Inftit. de Actionibus.* Prior horum Opufculorum editio diu privatos intra Bibliothecarum cancellos, omni eruditorum commercio exemta, latuit, ita raro obvia ut diu fruftra quæfita fuerit *Brædeletio*, donec Vir quidam doctus, cujus libraria fupellex pretiofiffimis, iisque rariffimis, Operibus fuperbit, omnium horum Operum copiam

piam humanissime ipse fecerit. Ne itaque diutius hoc civilis prudentiæ Thesauro carerent Jurisprudentiæ studiosi, ocyus animum ad novam horum Opusculorum editionem adjecit, præstantissimo *Trotzio* in consilium vocato, qui scriptis variis, Jurisprudentiam illustrantibus, literatis jam innotuit. Emendabit hic ipsum textum a maculis, quæ incuria editoris & typothetarum olim ei adhæserunt, obscuriora vel verbo declarabit, librorum, capitum, & numerorum, distinctiones addet, novamque Præfationem, Operum præstantiam, scopum Autoris, eaque, quæ observatione digna ipsi videbuntur, explicantem, his dabit comitem. Quod ad chartarum & typographiæ elegantiam attinet, sedulo curabit Librarius, ne quid Operi desit, utque omnia statuto tempore, ac bona fide, in publicum emittantur. Exemplorum numerus valde exiguus triplici chartarum genere prodibit; viginti quinque exempla charta, ut vocant, regia, centum & quinquaginta charta, quam vulgo dicunt, media, in gratiam eorum, qui pro Supplemento *Thesauri Juris Rom.* Operibus his uti gestient, & tandem pauca exempla, charta minori, typis novis, illisque similibus, quibus *Voetium* ad Pandectas excusum constat. Totum Opus continebit ducenta folia, excepta Præfatione Editoris, & imagine Autoris, affabre & a celeberrimo Iconum sculptore efficta, aliisque tituli ornamentis, in ipso Operis limine præmittendis. Pro exemplo charta solita impresso subscribentes solvent in ipso statim principio, cum subscribitur, Florenos 4:10, post absolutum & traditum Opus 4; pro exemplo, in charta, ut vocant, media 8, & absoluto Opere 3; pro exemplo in charta majori seu regia 10:10, & post traditionem 7. Initium subscriptionis sub hoc ipsum tempus statutum est, finis vero dies ultimus mensis Octobris anni 1737, si numerus subscribentium exemplaribus imprimendis responderit. Nomina subscribentium, eorumque dignitates, prima Operis pagina exhibebit, addito asterisco nominibus illorum, qui exemplar charta regia & media impressum stipulati fuerint. Ceterum ipsi Operi jam accinxit se typographus, & folia quædam, lectoris curiosi oculis apud librarium subjicienda, feliciter jam absolvit. Sic procedet tractu temporis, intra spatium XII mensium post absolutam subscriptionem, & forsan citius, integrum Opus exhibiturum se spondens, latiore termino sibi sumto, ut omnia ordine & cum cura in publicum prodirent. Post finitam subscriptionem, si quid restet exemplarium, charta minori impressorum, (de iis enim, quæ charta regia & media prodibunt, nihil definire datur, cum numerum eorum fere excedant subscribentes,) singula exemplaria non minoris quam 10 florenis totidemque assibus vendentur.

Nomina daturis operam suam nobilissimi quique urbis cujusque typographi accommodabunt.

* * *

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCXXXVII.

C. JULII CÆSARIS DE BELLIS GALLICO & Civili Pompejano, nec non A. HIRTII, aliorumque de bellis Alexandrino, Africano, & Hispaniensi, Commentarii, ad MStorum fidem expressi, cum integris Notis DIONYSII VOSSII, JOANNIS DAVISII, & SAMUELIS CLARKII. Cura & studio FRANCISCI OUDENDORPII, qui suas Animadversiones, ac varias Lectiones, adjecit.

Partes II.

Lugduni Batav. apud Samuelem Luchtmans, 1737, 4 maj. Alph. 5 plag. 20½, cum Mappis Geogr. 3, & aliis Fig. æn. 12.

Dignus est Autor tam illustris eruditissimo isthoc atque accuratissimo Editore, qui mirificis, quæ præstitit, studiis non parum sibi laudis ac gloriæ comparavit, & longinquo alios post se spatio reliquit. Exemplorum loco sibi proposuerat laudatus ille *Oudendorpius* maximos in Musarum castris heroes, quos præceptores simul veneratur, *Jac. Perizonium, Jac. Gronovium, Petrum Burmannum.* Horum vestigia tam feliciter premit, ut etiam de palma cum iisdem certare videatur. Ita vero præcipuam in eo curam collocavit, ut tex-

tum nobis quam emendatiſſimum traderet, cujus inſtituti tenax, optimos præſertim antiquiſſimosque Codices, manu exaratos, oculis ipſe ſuis luſtravit. Hos inter principem omnino locum merentur nongentorum circiter annorum membranæ, a *Jac. Bongarſio* quondam poſſeſſæ, & octo belli Gallici libros complexæ. Proximum ab his locum occupant ſex illi Codices, quos Academica Lugdunenſium Bibliotheca cuſtodit, recentiores quidem, ſed mira integritate, atque inſigni accuratione, commendabiles. Adjecit præterea membranaceum *Jac. Philippi Dorvillii*, chartaceumque *Caroli Andreæ Dukeri*, exemplum. Omnibus ejusmodi literarum cimeliis ad *Jo. Daviſii* editionem diligenter exactis, alias etiam hominum doctiſſimorum ſuppetias, inſigni munificentia oblatas, non ſine grata mente ſuſcepit. *Joſephus* nimirum *Waſſe*, Vir egregius, variantes lectiones, e MSto Merton. Collegii Oxonienſis, ante quingentos annos conſignato, & cum Andinis membranis plerumque conſentiente, collectas, ſponte ſua tranſmiſit. Acceſſit *Abrab. Gronovius*, qui ipſius Codicis Andini excerpta benevole communicavit. Nec Lugdunenſium exhauſta fuit liberalitas, verum collationes etiam, præſertim *Gruterianas*, conceſſit. In iſtis tamen adhibendis caute admodum verſatus eſt Noſter, cum notulas inprimis *Jani Gruteri*, a Cl. *Dorvillio* impetratas, audaciſſimas eſſe ſentiret. Sapuit etiam ex aliis Codicibus, quos quidem non proxime uſurpabat, Vir diligentiſſimus. Huc pertinent Lovanienſis, annorum ad minimum ſexcentorum, Codex, Egmondanus, A. 1345 conſcriptus, & Gottorpienſis, utroque recentior. Nec parum profecit ex Codice, cujus deſideratiſſimus noſter *Fabricius*, pro eximia, qua literas propagavit, contentione, copiam ipſi fecerat, itemque ex emendationibus, a *Paulo Aicardo* editioni *Manutianæ* calamo adjectis. Græcum præterea belli Gallici Metaphraſtem & Pſeudo-*Celſum* evolvit; quemadmodum ex Codicibus impreſſis ad partes præ ceteris vocavit editionem Romanam A. 1469, & incerti loci A. 1473, quam tamen poſteriorem corruptiſſimam eſſe ſenſit, & a reliquis ejusdem ætatis, nominatim Mediolanenſi A. 1477, & Veneta A. 1494, maxime diverſam, a qui-

quibus etiam voluminibus, Codices suos, vel ingenium forte, secutus, haud exiguam secessionem fecit *Philippus Beroaldus*, una cum *Aldo*, &, qui ejus vestigiis insistit, *Sebastiano Gryphio.* Accesserunt *Vascosanus*, *Robertus Stephanus*, *Paulus Manutius*, *J. Rossetus Aurimontanus*, *Fulvius Ursinus*, *Justus Lipsius*, *Josephus Scaliger*, atque alii, qui egregiam quidem istis Commentariis operam navarunt, neque tamen ingenio semper, ac levioribus conjecturis, temperaverunt. Consultis Editoribus, interpretes etiam adjecit Vir indefessus; neque tamen integras eorundem animadversiones transscribere voluit, arbitratus scilicet, hac ratione eadem, sæpe fusius, repeti, atque adeo in verbosas passim Codicem istum nugas abire. Solas vero *Dionysii Vossii*, *Jo. Davisii*, & *Samuelis Clarkii*, lucubrationes dignas judicavit, quas omnes exhiberet, perpaucis tantummodo resectis, quæ ex prioribus hauserat postremus. *Vossii* quidem notas suppeditavit, quales *J. G. Grævius* Amstelædami A. 1697 excudendas curavit; *Davisianas*, non ex priore tantum editione, verum etiam ex posteriore, anni 1727, ubi auctæ comparuerunt atque emendatæ, transscripsit; *Clarkianam* denique editionem, Londini A. 1720 impressam, adhibuit. Ita vero instructus atque exercitatus, eximii non parum ipse etiam subministrare potuit, de quo licet demisse sentiat Vir admodum modestus, ejusmodi tamen judicium feret eruditissimus quisque, quod ad immortalem illius gloriam pertinebit. Ipsam ante omnia Præfationem, ubi rationem rerum istarum reddidit, nonnullis animadversionibus auxit, ubi, præter alia, contra *Bern. Monetam* evincit, *Cæsarianam* vitam, a Pseudo-*Celso* conscriptam, *Francisco Petrarchæ* temere fuisse tributam, cum & barbaries stili repugnet, atque antiquiores etiam *Petrarcha* scriptores, nominatim *Vinc. Bellovacensis* & *Gualterus Burleus*, hujus scripti faciant mentionem. Finita Præfatione, post compendiorum in scriptura notas, *Davisii* utramque, & unam *Clarkii*, Præfationes subjunxit. His autem expeditis, ad ipsius *Cæsaris* Commentarios progreditur, ubi argumenta singulis Libris *Lipsiana* præmisit, si quidem unum belli Hispanensis excipias, ubi *Clarkianis*

prærogativam concessit. Varias lectiones, doctissimasque animadversiones, singulis paginis adscripsit, in quibus quid ipse præstiterit, (alienas enim hoc loco celebrare, crambem esset bis coctam apponere,) tota earundem series ostendit, ita quidem, ut difficillimus omnino videatur exemplorum delectus. Solenne tamen servaturi, ex illis ipsis, quæ passim offeruntur, speciminibus vel paucissima decerpemus. Ita vero præ ceteris erit demonstrandum, quanta cum cautione in *Cæsaris* sui scriptura versetur, quam non ipse solum sanctissime tractavit, sed adversus temerarios etiam Criticos strenue vindicavit. Prius illud confirmat, quando e. g. ad *Lib. I Cap. 6 B. G.* licet pronior sit in eorum sententiam, qui *in populo Romano*, pro *in populum Romanum*, collocant, ordinariam tamen lectionem retinuit, quod & ibidem *Cap. 8* fecit *pag. 17 num. 1*, item *Lib. II Cap. 2*, ubi quidem non absurde probarat, *ulteriorem* potius, quam *interiorem*, *Galliam* esse appellandam, quæ citeriori opponeretur. Quemadmodum etiam *Lib. I Cap. 1 B. C. pag. 520 not. 1* pro *literis a Fabio C. Cæsaris Consulibus redditis*, multiplici quidem de causa, cum legendum esse putaret *a Cajo Cæsare*, nihil tamen novare ausus est. Et, si vel maxime, gravissimis rationibus permotus, extrudi quædam voluit, servat hæc nihilo minus, uncis tantummodo inclusa, e. g. *pag. 88 lin. 2*. Omnia vero probatissimis, iisdemque non paucis, gravissimorum Autorum confirmat exemplis, ut facere solet, quando duplicem præpositionis *in* repetitionem ad *Lib. II B. G. Cap. 10* adstruendam laborat. Neque vero in adstruendo solum veritatem, sed etiam in destruendo *Ciacconii*, *Ursini*, *Hotomanni*, *Gruteri*, atque aliorum, temeritatem, versatur. Ita e. g. *Hotomannum*, qui *opinionis* vocabulum *Lib. VI Cap. 1 B. G.* ex imperiti glossa intrusum esse arbitratur, vituperavit. Ita etiam ad *Lib. III Cap. 1 B. C.* phrasin, *ei Consulem fieri liceret*, contra Cel. *Heinsium*, qui, tertio in casu, *Consuli* legebat, MStis atque aliis Autorum locis innixus, gravissime defendit. Nec minorem, quam *Cæsari* suo, dexteritatem laudatissimis, quorum verba recitavit, Interpretibus exhibet, dum sententias eorum, si fieri potest, roborat mirifice atque confirmat. Ita,

cum

cum *Vossio* faciens, contra *Ursinum*, ex Inscriptionibus *Gruterianis*, ac *Gudianis*, Atriorum haud incelebre quondam nomen exstitisse, demonstrat *pag. 220 not. 3*, cujus etiam sententiam, quando *Lib. I Cap. 87 B. C.* pro, *intus adierunt*, *Janum Guilielmium* secutus, legerat: *in jus adierunt*, rationibus cumulatis, defendit. Quodsi vero ad dissensionem cogatur, modestiam tamen, rarissimam apud Criticos virtutem, in oculis semper positam, retinet. Hac ratione *Davisium* refellit *pag. 212 not. 7*, dum *Vossii* conjecturæ tribuebat, quæ tamen ex Codicibus hauserat vetustis, & sequenti statim pagina, quando *transmissum* putabat *esse interpretamentum vulgarissimæ vocis trajectus*; quemadmodum etiam interdum contra eundem cum *Clarkio* facere solet, alibi tamen ab utroque diversus, e.g. ad *B. C. Lib. II Cap. 15 pag. 628 not. 1.* Sed non Criticum tantum atque Grammaticum agit *Oudendorpius*; verum etiam Historiam subinde, cum Antiquitatibus, illustrat, ita tamen, quod ad laudem ejus pertinebit, ut tribus potius verbis indicasse, quam fusissima oratione demonstrasse, videatur. E g. *Lib. III Cap. 1 B. G.* præclare observat, *Sergium* gentis esse nomen, *Servium* autem prænomen, idemque *Sulpiciis* gentile. *Lib. IV B. G. Cap. 10 pag. 179 not. 3* veterem patriæ Geographiam haud mediocriter illustrat. Sub initium *Lib. VIII B.G.* de illius Autore disserit, quem *A. Hirtium* esse confirmat, cum ab aliis *Julius Celsus*, *Suetonius Tranquillus*, *C. Pansa*, vel etiam *Oppius* quidam, appelletur. Huc etiam pertinent, quæ de *Brocho* regulo notavit ad *Cap. 25 de B. Afric.* Bellum denique Hispaniense qui describit, Librum, *pag. 940*, non justum esse *Commentarium*, arbitratur, sed *ephemeridem* potius, ab homine Romano, qui istis expeditionibus interfuerit, temere consignatam, & corruptissimum præterea vulgo circumferri; unde in illius emendatione haud proletariam operam collocavit. Tot laboribus exantlatis, *Julii Cæsaris* Fragmenta, cum honorifico antiquitatis judicio, notisque ad calcem paginarum subjectis, exhibentur. Quibus succedunt *Henr. Dodwelli* Dissertatio de Libro octavo Belli Gallici, & Alexandrini, Africani, atque Hispanensis, bellorum autore, ex Annalibus ejusdem Vellejanis

descripta; Geographici nomenclatores, *Ortelii*, *Scaligeri*, & *Sam. Clarkii*, cum *Jos. Justi Scaligeri* ad *Paulum Merulam* Epistola, ejusdem, cujus est præmissa Diatriba de Galliarum notitia, argumenti. Accommodati tandem Indices splendidissimo Volumini finem imponunt.

EMANUELIS SWEDENBORGII, SACRÆ Regiæ Majestatis Regnique Sueciæ Collegii Metallici Assessoris, Principia rerum naturalium, sive novorum tentaminum, phænomena mundi elementaris philosophice explicandi.

Dresdæ & Lipsiæ, sumtibus Friderici Hekelii, 1734. fol.

Tomus I Alph. 5, Tabb. æn. 28, Tomus II Alph. 4 plag. 4, Tabb. æn. 36, Tomus III Alph. 5 plag. 19, Tabb. æn. 89.

In *Tomo* hujus Operis *primo* id agit Cl. Autor, ut peculiare, quod sibi formavit, de mundo elementari philosophice explicando Systema amplissime exponeret. Constitutum ipsi est, principia philosophica a primo simplici ad ultimum in mundo nostro compositum, a minimo invisibili ad primum visibile, & pariter ad ipsum Paradisum Telluris, condere: idque, ut autumat, ab uno fine per media ad alterum, cum nexu. Veretur autem, ne in ipso statim limine Philosophiæ suæ deterreantur Lectores, cum viderint, peregrina quasi, & a præcepto judicio aliena, pariter ac ipsa nomina, *Finitum*, *Activum*, & *Elementare*, nondum in philosophicis ita nota, hoc est, Mechanismo, Geometriæ, & mundo elementari, aptata, occurrere; qua causa adductus est, ut ejus summam & clavem Præfaminis loco traderet, &, finito Opere, in Appendice repeteret. Cum scilicet eam sibi legem natura dixerit, ut viam sequatur brevissimam, nec ab uno transiliat ad aliud, absque transitu per intermedia omnia; necesse est, ut ex uno simplici, ceu causa primitiva, omnia, quæ in mundo sunt, originem duxerint suam, ita quidem, ut entia derivativa, ex simplici oriunda, adhuc in se con-

continuerint causam istam primitivam, in se derivatam, & sic nulla detur causa, quin ex primitiva illa, per continuum quasi traducem, propagata fuerit. Et, quia mundus natales & incrementa ducit per seriem quandam, a primo vel ab uno fine per media ad alterum connexam & contiguam, & quia causa aderit, (utimur ipsis Autoris verbis,) antequam aliquid in serie producitur, & quidem causa efficiens & agens, erit ideo *Passivum*, erit *Activum*, erit, quod producitur ab utroque, *Compositum*, sive *Elementare*, ergo, si compositum quid, erit ex binis principiis, activo & passivo, &c. Credit igitur Cl. Autor, cum in derivativis entibus eadem lateant, quæ in primitivis, principia, nos ab effectibus naturæ visibilibus a posteriori ad effectus ejus invisibiles & priores, & ad ipsa entia, tam patientia, quam agentia, ut & ad ipsam in omnibus latentem causam, ex Mechanismo noto, duce Geometria, per ratiocinium vere analyticum tuto concludere posse. Ubi vero nos ideam quandam Philosophiæ hujus exhibere Lectori volumus, non melius forsân ea re defungemur, quam premendo, quoad licet, vestigia Autoris, qui ipsemet, uti jam diximus, sui systematis dedit synopsin. Incipiendo itaque a primo simplici, ait: 1) in simplici esse statum internum, consequenter & conatum in motum spiralem; 2) in finito primo inde orto esse partium motum spiralem, adeoque similem in omnibus finitis elementaribus; 3) exinde oriri in quovis finito partium motum progressivum, totius vero axilarem, (h. e. secundum vel circa axem,) &, si nihil obstet, localem; 4) si localis, oriri activum, unum simile alteri, ut modo gradu & dimensione differant. Finita igitur, & activa, inter se invicem esse simillima, statuit, ut, qui novit indolem unius finiti, cognoscat eo ipso indolem omnium; par est ratio activorum. Motus in quolibet finito, progressivum, axilarem, localem, ex unico partium motu spirali derivat; negatque, dari quidquam simplicius, naturæve explicandæ accommodatius. Paucis, in simplici, in quo nihil est substantiale, quod inibi moveatur, nec ullum medium, in quo motus fiat, loco motus mechanici & geometrici concipiendus est per simile quasi motus totus & purus,

purus, (verba sunt Autoris,) hoc est, status, & inde oriundus conatus, ex simili & in similem quasi motum, in quo sic unica caussa & vis primitiva rerum dein existentium omnium latet. At vero ipsam rerum seriem, qualis in Opere ipso exponitur, propius, si placet, inspiciamus, carptimque recenseamus. Distribuitur *Tomus* hicce *primus* in *tres Partes* principes. In *priori* agitur 1) de mediis ad veram Philosophiam perveniendi *pag. 1 – 27*, quæ statuuntur experientia, Geometria, ratiocinandi facultas. Per verum Philosophum Autor intelligit illum, *qui per dicta media ad ipsas causas & cognitionem rerum in mundo mechanico invisibilium & a sensibus remotarum pervenire potuerat; ut dein ex priori, a principiis, seu a causis, de mundo, & ejus phænomenis, tam physicis, chimicis, quam metallurgicis, & aliis rebus, imperio mechanismi subjectis, ratiocinari possit, & sic ex centro totum ambitum mundi, mechanismi, & Philosophiæ suæ, permetiri*, &c. Post interjecta quædam, ita concludit: *Si tandem in lucem sic produci posset natura elementaris, dein metallica, tum vegetativa, & tandem animalis; ah! qualem non inde fructum ferret orbis!* Ad veram autem Philosophiam, qualem describit, neminem mortalium pervenire posse arbitratur, præter illum, qui integerrimus fuisse dicitur, sive primus, hoc est, ante vitiorum existentiam, & secundum omnem Philosophiæ & mundi artem, imaginem, & nexum, factus. De statu non corrupto hominis primi ex systemate suo quædam differit. Ejus delicias secundum omnem rationem in eo constitisse, ait, *ut finis deliciarum ejus, quas ex mundi tam perfecti & lætabilis, sibique & posteris in hæreditatem relicti, contemplatione, & ex motuum, in omnibus elementis existentium, per sensus & organa jucunda perceptione, omnino conciperet, fuerit amor Numinis.* Primum hominem porro ita formatum concipit, ut fuerit perfectissimum ens materiale & agens, *in quo omnes partes conspirarent, ut motus omnium elementorum reciperentur, & recepti per contiguum successive ad subtilissimum activum ferrentur, in quo scilicet continuus nexus finium & mediorum esset*, &c. Ex quo infert, hominem primum omnem Philoso-

losophiam, sibi naturalem, & scientiam experimentalem, intra exiguum tempus, per nudos sensus acquisitam habuisse, &c. At vero in statu perverso & imperfecto, in quo hodie nascuntur homines, nil pervestigari sine mediis, sine experimentis, sine Geometria, sine facultate ratiocinandi, posse. Sed nobis est pergendum. Traditur itaque 2) Ratiocinatio philosophica de primo simplici mundi & rerum ejus naturalium, h. e. de puncto primo naturali, deque ejus ab infinito existentia, *pag.* 27—41. Definitionem ejus hanc suppeditat Autor *pag.* 29, quod sit ***ens simplex & primum, ab infinito per motum existens, & sic, qua existentiam, veluti medium inter infinitum & finitum.*** Mox essentiam ejus ulterius explicat, dicendo, punctum hocce naturale esse idem cum puncto mathematico, vel puncto Zenonico. Videamus, quomodo Autor Cl. id probare satagat. ***Mundus enim***, inquit, ***est geometricus, sive mechanicus; natura per mechanismum, seu per suas regulas, se modificat; ergo idem principium statuendum est mundi, quod Geometriæ; idem punctum est primum mundi, quia Geometriæ; sive primum est Geometriæ, quia est primum mundi. Geometria est lex & ipsum attributum cujusvis individui in mundo, seu totius mundi; et mechanismus est modus, per quem agit, sive agitur, mundus; hinc punctum est utrique commune, quia utrumque ab eadem origine profluit. Utrumque sic agnoscit aliquod ens ante & extra se, & tanquam semen quoddam sui, ex quo conceptum sit, & per quod dein existat & subsistat: ergo, quia utrumque, tam mundus, quam Geometria, ab eadem origine, semine, & parente est, ideo ab eodem puncto utrumque provenire statuendum est; differentia est, quod punctum hoc, sive mundi, vocetur*** punctum naturale, ***alterum vero, sive Geometriæ***, punctum mathematicum. Quid de hac probatione statuendum sit, judicent alii, absque partium studio. Multus deinceps est in exponendis simplicis proprietatibus, statu interno, conatu in motum spiralem, &c. de quibus jam diximus. Punctum hoc immediate ab infinito productum asserit *pag.* 31. Nihil ei tribui posse, quod compositis, nisi per analogiam, *pag.* 35. In motu ejus

puro & perfectissimo inesse omnia illa tam activa, quam passiva, quæ finiunt finita, & quibus finiuntur per omnes series finita, *pag. 35.* Motum spiralem fusius explicat *pag. 36 – 39.* Ubi de puncto naturali, & sensuum vim effugiente, agitur, nihil experimentale produci posse, quo fides principiorum confirmata sit, quam quod natura, quæ vis motrix est, (verba sunt Autoris) in nullam aliam motus figuram libentius fluere velit & possit, quam in spiralem, per quam etiam omnis celeritas trans omnes suos gradus liberrime & facillime peragitur, cui & omnem vim & potentiam suam mechanicam applicuisse videtur, &c. Transit deinceps ad generationem & originem finitorum, quæ motu & fluxione generata statuit, qualem concipiunt Geometræ. Id vero asserere necessum sane habet, cum elementum faciat punctum mathematicum. At vero citato gressu sequamur Autorem, qui hanc ob causam 3) proponit ratiocinationem philosophicam de primo finito, sive de simplici finito, deque ejus ortu a punctis, *pag. 41 – 54.* Simplex finitum, & primum substantiale, Autori synonyma sunt. Finitum aliquod oriri non potest, nisi per motum inter puncta, si Nostrum audias. Motus punctorum inter se, illorumque status, non potest esse nisi similis motui puro, sive statui interno, qui est in puncto, adeoque etiam est spiralis. Dat igitur hanc finiti simplicis definitionem, quod sit ens primum, seu simplex finitum, ex motu punctorum inter se existens, & sic primum substantiale omnium finitorum. Ulterius deinceps exponit, quod sit geometricum, & limitatum; quod spatium impleat, quovis dato minus; quod figura præditum sit, sed in terminis minimis, &c. porro, quod hoc finitum in se possideat eandem vim activam, quam punctum, ut producere possit finita magis composita; quod motu interno pariter gaudeat, ac punctum, & quæ sunt plura hujusmodi. Deinceps ratiocinium, ut vocat, geometricum, de figura & motu punctorum, finitum primum & minimum generantium, instituere conatur. 4) Comparet inquisitio philosophica de altero finito, & quomodo hoc ortum suum successive a finito simplicis traxisse videatur. Generaliter etiam de ejus coexistente, quod

quod activum primi appellat Autor, & quomodo etiam hoc ortum suum geometrice ab eadem origine, sive a primo simplici finito, traxerit, exponit *pag. 55 – 69*. En definitionem finiti hujusce: *Est ens alterum finitum, ex motu simplicium finitorum inter se existens; & sic est alterum substantiale omnium finitorum.* Exinde complures Autor derivat conclusiones, ut in Paragraphis præcedentibus. In hoc autem contendit suam de spiralibus per motum genitis Geometriam specialius & copiosius pertractare; quam Lector curiosus inspicere integram debet. 5) Disquisitio legitur specialis de activo primi finiti, deque ejus ortu a primo simplici finito, motu, figura, statu, aliisque ejus tam attributis, quam modificationibus. Atque, hoc activum unum esse, quod solem nostrum constituit, quod particulas elementares format, contendit Autor *pag. 69 – 80*. Activum primi substantialis nihil est, nisi motus unius substantialis, in circulos excurrens, per quos formatur superficies. Reliqua, & quæ plura alia sunt, apud Autorem ipsum, si placet, lege. Tam abstrusa enim omnia sunt, tamque operosa subtilitate confecta, ut eorum compendium vix dari posse judicemus, quin tædiosa lectores obscuritate offenderentur. Sub finem Paragraphi nonnulla de activo puncti dicuntur, quod per analogiam cum activo substantialis concipitur; quo facto, transitum Autor facit ad mechanica sua, & ipsum mundum, ideoque 6) agit de primo & universalissimo mundi elemento, sive de particula prima elementari, ex finitis atque activis composita; deque ejus motu, figura, attributis, & modis, nec non de ejus ortu & compositione ex secundo finito & activo primi: quodque hoc elementum constituat vortices solares & stellares, *pag. 80 – 98*. Inserit Transactionem geometricam de figura, & mechanicam de situ & motu partium compositi tam in finitis, quam in activis & elementaribus, *pag. 98 – 102*. Agit 7) de activis secundi & tertii *pag. 103 – 110*. Activum secundi, scilicet substantialis, nil aliud Autori est, quam finitum secundum, in libertatem missum, & sic activum factum; activum tertii idem est ac finitum tertium, in libertatem missum. Hinc 8) de finito, sive substantiali tertio, *pag. 111 – 114* disputat. Est autem illud, qua ortum,

tum, partium figuram, situm, motum, &c. substantialibus præcedentibus, ut & puncto, simillimum; constat pure finitis secundis; ortum duxit a particula prima elementari, maxime compressa, & quidem prope spatium activum magnum, sive solare; & ex finitis hisce, quæ diximus, novas oriri posse particulas elementares. Itaque transit 9) ad alterum mundi elementum, sive ad elementum magneticum, hoc est, ad particulam alteram elementarem, ex finitis tertiis, & activis secundi & primi, compositam, agitque de ejus motu, figura, attributis, modis; & monstrare conatur, elementum hoc una cum priori vorticem solarem constituere, & ad phænomena circa magnetem apparentia præcipue contribuere, *pag. 114 – 118.* His subjecta est 10) doctrina de existentia solis, ac de verticis solaris formatione, *pag. 119 – 122. Pars* principiorum *secunda* in magnete, & ejus viribus explicandis, tota occupatur. Demonstrare Autor annititur, vim ejus venire a motu elementi primi & secundi, sive magnetici, ex quibus ipsi vortices solares, & pariter planetarum, formati sint. Ipsum magnetismum ejus consistere in effluviis, quæ illius naturæ sunt, ut circum axem suum moveri debeant, & mota in gyrum aut spiram agant elementum illud subtile; & per consequens ex his gyrationibus oriri vorticulos, & illorum ligationes ab uno polo magnetis, aut sphæræ ejus, ad alterum, & sic creari magnetismum, & vim conjunctivam, cum similia effluvia, corpus quoddam stipantia, admoveantur. Ipsum magnetem, quoad interiorem texturam, in situ rectilineo vel regulari talium partium ab uno latere polari ad alterum constare, & inde extrinsecus sphæram utrinque cum axibus ligatam per necessitatem mechanicam formari. Effluvia, seu partes memoratas, esse pure ferreas, & ferrum reddi magneticum, modo intus partes illæ a magnete fricante in situm rectilineum, aliumve regularem, agantur. Declinationem vero magneticam oriri a situ earundem particularum elementi primi & secundi, sive ejusdem, ex quo vortices circum solem & tellurem formati sunt: inque eundem situm dirigi magnetem cum sphæra sua, in quo sint ipsæmet particulæ dicti elementi: quæ particulæ elementares, quia vorticem simul

cir-

cum tellurem formant, non poſſint non in ſitum aliquem ſpiralem flecti, ab uno polo eclipticæ ad alterum, & inde anomalias oriri. Ceterum hic videre eſt inſignem experimentorum magneticorum apparatum, a Cl. Autore tam captorum, quam ex Autoribus optimis congeſtorum; itemque Tabulam declinationis magneticæ, per calculum conſtructam, ad varios annos, Londini, & Pariſiis, *pag. 318—356*, nec non ad Promontorium, Caput bonæ ſpei dictum, item Romæ, & alibi, *pag. 360—372*. Inſerendam quoque curavit Autor Mappam illam, ſive Tabulam magneticam *Hallejanam*, ad A. 1700 compoſitam, & ſimul cum inclinationibus, a *Poundio* obſervatis. Hanc ipſam quoque Tabulam exhibet Cl. *Muſſchenbrækius*, tam in ſua de magnete Diſſertatione, quam in Elementis Phyſicis. *Pars* denique principiorum *tertia* ante oculos ponit 1) comparationem cœli ſtelliferi cum ſphæra magnetica, *pag. 375—380*; 2) diverſitatem mundorum, *pag. 381—385*; 3) ratiocinium de quarto finito, ejusque ortu ex particula ſecunda elementari; 4) de chao univerſali ſolis & planetarum, deque ſeparatione ejus in planetas & ſatellites, *pag. 387—396*; 5) de æthere, ſive de tertio mundi elemento. *pag. 397—411*; 6) de quinto finito, *pag. 412*; 7) de aere, ſive quarto mundi elemento, *pag. 413—417*; 8) de igne, ſive de activis quarti, quinti, & ſequentibus, *pag. 418—428*; 9) de aqua, ſive de finito pure materiali, *pag. 429—432*; 10) de vapore aqueo, ſive de quinto mundi elemento, *pag. 433—437*; 11) de vortice circum tellurem, deque progreſſione telluris a ſole ad circulum orbitæ ſuæ, *pag. 438—444*; 12) de Paradiſo telluris, deque homine primo, *pag. 445—449*. Delibemus exinde pauciſſima, pro ratione inſtituti noſtri, & intellectu ceteris faciliora. Ait Autor *pag. 379*, verticem noſtrum ſolarem non eſſe in axe ſphæræ, ſed prope axem, ubi inſignis incurvatio, vel inflexio, fit. Porro, axem communem ſphæræ, ſive ſtelliferi cœli, eſſe galaxiam, ubi maxima ſtellarum eſt congeries: ſecundum galaxiam omnes vortices in ſitu & ſerie rectilinea, & qua polos, cohærere: hos pariter eſſe ſpiris arctioribus, & intimius ligatos; reliquos vortices ſolares aut

 ſtella-

ſtellares ab axe dein prodire, & ſe varie inflectere, ſed tamen omnes ad axem illum referri. Et *pag. 380* dicit, hujusmodi ſphæras, cœlosve ſtelliferos innumeros, in univerſo finito dari, illosque inter ſe ligari poſſe, prout ſphæræ binorum magnetum; totumque cœlum adſpectabile eſſe fortaſſis punctum in reſpectu ad totum univerſum. Finitum quintum, (vid. *pag. 412*,) præcedentibus ſimillimum, oriri ſtatuit, ubi copia finitorum quarti generis ſit, & in loco, ubi quarta finita ſe poſſint aliquatenus explicare, & mutuo finire; hinc ea oriri juxta ſuperficiem telluris in aliqua a ſole diſtantia, ubi non tanta preſſio elementi vorticalis ſit, quanta in viciniа ſolis. Aerem, *pag. 413* dicit, conſtare ſuperficietenus finitis quartis, & intus incluſas tenere elementares primas, pariterque ſecundas, & ſic ſimillimum eſſe ætheri, a quo tantummodo gradibus ac dimenſione differat. *Pag. 419 ſeq.* demonſtrare conatur, activa quarti ignem ſubtilem elementarem, & activa quinti, ſive finita quinta, activa facta, ignem communem aut atmoſphæricum, creare. Particulam aquæ *pag. 429* dicit ſimilem aereæ compreſſæ, in qua nihil elementare, cedens, aut elaſticum, reſiduum ſit, ſed durum conſiſtensque contiguis ſphærulis, intra majorem quandam formatis; quodque particula aquæ non ſit tale finitum, quale ullum ex præcedentibus, quod ſe actuare poſſit, ſed quod ſit finitum pure materiale; conſequenter, quod aqua non ſit particula elementaris, &c. De vaporibus *pag. 434* docet, quod formentur in ſuperficie aquarum, & quidem ex motu particularum ætherearum interfluentium, & quod vapor formatus intus includat voluminulum ætheris, extra vero ab æthere, nec non ab aere, prematur; quodque ſuperficies ſic a viribus extra & intra fluentibus æquilibretur, & in quocunque compreſſionis gradu figuram ſphæricam conſervet, &c. Tellus innumeras mutationes ſubiit, antequam ad ſtatum præſentem pervenit, juxta mentem Autoris. Primo enim, cum a ſole diſcedere inciperet, rotationem circa axem, & curſum in gyris ſuis, celerius, ac poſtea, confecit, cum ad majorem ſemper a ſole diſtantiam receſſerit; tot itaque vices paſſa eſt, quot fuerunt circuli, ſive ſpiræ, quas permenſa eſt, &

quot

quot diversi gradus celeritatis, tam in annua, quam diurna, ejus circumvolutione, dum a sole ad orbitæ suæ circulum pervenerit. In illo igitur statu, cum citius circum axem suum solemque gyraret, adeoque breviores dies & annos perageret tellus, eam perpetuo aliquo vere gavisam, concludit Cl. Autor, sine quo nec semina nasci, nec omnis generis vegetata & animata prodire, potuissent. Quod tellus olim breviores dies annosque habuerit, id ipsam primorum hominum ætatem testari putat, utpote ultra octo & novem Secula exporrectam. Miraturos homines antediluvianos, si in nostra tempora inciderent, tam breve ver, sed tam longas hiemes & autumnos, & spatiosum increpaturos annum, & se ipsos, quod ante annos senescerent, &c. Non autem vacat, nec instituti nostri permittit ratio, plura exinde huc transferre. Suffecerit igitur, ideam aliquam systematis hujusce dedisse, ut de eo ipse judicare queat Lector. Verba Autoris, quantum licuit, secuti sumus. Quodsi tamen quædam deprehenderit ipse hiulca, cogitatisve suis ex asse haud conformia, veniam nobis daturum facile speramus, cum ipse forsan noverit, primam, eamque cursoriam, Philosophiæ suæ lectionem vix suffecturam omnibus, quibus refertissima est, subtilitatibus percipiendis, nedum in epitomen cogendis. Properemus igitur, age, ad reliqua, eaque breviter expediamus.

*Tomi secundus tertius*que Cl. Autoris opera mineralia exhibent. En titulum secundi integrum: *Regnum subterraneum, sive minerale, de ferro, deque modis liquationum ferri, per Europam passim in usum receptis; deque conversione ferri crudi in chalybem; de vena ferri, & probatione ejus; pariter de chymicis præparatis, & cum ferro & vitriolo ejus factis experimentis*, &c. Ex ipso itaque titulo constare potest, quidnam hac in *Parte* Autor pertractandum sibi sumserit; circa ferrum enim unice hic versatur. Animus autem ipsi est, ordine reliqua metalla eodem modo tradere, nec non salia & lapidum genera, sicque totum regnum minerale, percurrere. Quodlibet metallum, ferrum sit, sive aliud, dispertitur in classes tres, ex quibus primam constituunt processus & modi liquatorii, per varias Europæ partes usu recepti; secundam

dam processus liquationum minores, sive probatorii, qualiter scilicet vena aut metallum in foco minori, sive in furnis probatoriis, examini subjicitur; tertiam denique recensio processuum chymicorum, experimentaque de metallo per solutiones, chrystallisationes, praecipitationes, &c. capta. In ipso Opere circa classem primam ita versatur Autor, ut celebriores liquationis modos, in Europa usitatos, enarret, eos vero copiosissime describat, qui in regno Sueciae vigent, utpote quorum penitiorem habet & uberiorem notitiam. Sistit itaque *Paragrapho I* modum adurendi, liquandi, coquendique venam ferri, pluribus in locis Sueciae usitatum, adjuncta descriptione amplissima fornacis liquatoriae, omniumque, quibus constat, partium. Processus liquatorius fusoriusque tanta cura traditur, & ad vivum adeo omnia resecantur, ut vix ullam superesse circumstantiam aut observationem, quae Autorem effugerit, arbitremur. Haec a *pag. 1* ad *62.* Deinceps singulatim enumerat fornaces Sueciae fusorias, & officinas ferrarias, quarum numerum hic dare, non ingratum Lectori fore, existimamus, ut constet, quantas ferri divitias in sinu suo Suecia alat. In Provincia scilicet Cuprimontana sunt fornaces ferri liquatoriae 79, & officinae ferrariae 47; in Westmannia fornaces fusoriae 57, officinae ferrariae 78; in Provincia Orebroensi fornaces fusoriae 157, officinae ferrariae 165; in Uplandia & Roslagia fornaces fusoriae 24, officinae ferrariae 18; in Gestricia & Helsingia fornaces fusoriae praecipuae 6, cum pluribus aliis, & officinae ferrariae 54; in Sudermannia fornaces fusoriae praecipuae 2, & officinae 23; in Ostrogothia fornaces 17, officinae 24. Ex his officinis plures sunt, quae 3–10 focos ferrarios habent. *Pag. 67–71* mentio fit argenti nativi, in fodina pure ferrea Noormarkiensi, in provincia Wermlandiae, A. 1726 inventi. *Paragrapho II* agit de officinis & focis ferrariis, deque ferri crudi liquatione & recoctione, pariterque de extensione ejus sub malleo. Duplex potissimum in Regno Sueciae mos est, ferrum crudum fundendi, & malleabile, purumque, reddendi; quorum alter vocatur Germanicus, Gallicus alter. Hosce processus eadem omnino cura, & cum omnibus eo spectan-

ctantibus machinamentis, pertractat; *Paragr. III* de vena ferri paluſtri, ejusque coctione & præparatione, in Suecia, præſertim in Angermannia & Dalekarlia; *Paragr. IV* de vena lacuſtri, ſive fluviatili, ferri in Suecia, deque ejus coctione in ferrum; *Paragr. V* de ferro Suecano, *Oſmund* vocato, deque ejus præparatione; *Paragr. VI* de modo adurendi, liquandi, coquendique venam ferri Danmorienſem in Roslagia Sueciæ; *Paragr. VII* de officinis & focis ferrariis Roslagiæ, deque ferri crudi liquatione & recoctione, nec non de extenſione ejus ſub malleo. *Paragr. VIII – XIV* modos liquationum coctionumque ferri in provinciis variis, Gallia, Italia, Anglia, Ruſſia, Siberienſibus præcipue terris, uſitatos recenſet. Quin etiam Mappam Geographicam addit, quæ exhibet fodinas & opera ferri & cupri Siberienſia. *Paragr. XV* ſiſtit fornaces & officinas Norwegianas. *Paragr. XVI – XX* agit de modis ferrum coquendi, per varias Germaniæ terras, Sileſiam, Stiriam, Carinthiam, &c. vigentibus; *Paragr. XXI* de tractatione venæ ferri ſecundum *Agricolam*; *Paragr. XXII* de tentamine aliquo venam ferream lignis ſectis, nec non terra combuſtibili, cum carbone mixtis, fundendi; *Paragr. XXIII – XXVI* de modo convertendi ferrum crudum ſtatim in duritiem chalybeam, per recoctionem ejus in foco ferrario, qualis diverſis in locis in uſu eſt, deque arte ferrum emolliendi. Quomodo autem ferrum jamjam cuſum in chalybem ſit convertendum, hic loci non explicat, cum eam rem occupaverit & præclare tradiderit Cel. *de Reaumur* in Tractatu, qui inſcribitur: *l'Art de convertir le fer forgé en acier.* Sequuntur Tentamina quædam & experimenta miſcellanea, circa emollitiones, liquationes, ferruminationes, &c. ferri. Tandem *Paragr XXVII* exhibentur aliquot modi, dividendi ſecandique ferrum in contos & virgas tenuiores, dilatandique inter cylindros. Et ſic *prima Claſſis* ad finem perducta eſt. *Secunda*, uti jam diximus, varias venam ac lapidem ferri probandi methodos continet, veluti per magnetem, in tigillo, &c. modos explorandi qualitatem ferri crudi pariter ac malleati, ubi quædam adducuntur ex *Reaumurio*; ſigna mutatio-

Yy nis

nis ferri in chalybem; differentiam characterum chalybis & ferri, &c. De lapide hæmatite & schisto separatim agitur *pag. 295 – 298. Classis* denique *tertia*, quæ præparata chymica recenset, uti diximus, agit 1) de limatura Martis, aut chalybis, 2) de croco Martis, vel chalybis, aperiente, 3) adstringente, 4) de croco ad vitriarium usum parando, 5) de croco Martis vitriolato, ut & saccharino, 6) antimoniato, 7) Marte diaphoretico, 8) regulo martiali, vel chalybeo, 8) tinctura Martis aperiente, 10) Ludoviciana, & cydoniata, & quæ plura sunt alia, ex optimæ notæ scriptoribus Chymicis depromta, quos fideliter nominat Noster. Et hæc quidem de *Tomo secundo*. *Tertii* ita habet titulus integer: *Regnum subterraneum, sive minerale, de Cupro & Orichalco, deque modis liquationum cupri, per Europam passim in usum receptis, de secretione ejus ab argento, de conversione in orichalcum, inque metalla diversi generis, de lapide calaminari, de zinco, de vena cupri, & probatione ejus, pariter de chymicis præparatis, & cum cupro factis experimentis*, &c. Hunc itaque eadem prorsus ratione, ac priorem, dispositum esse, absque ulteriori liquet examine. In *Classe prima Paragrapho I* fuse exponitur modus torrendi, fundendi, purificandique, venam cupri Fhalunensem, totius Sueciæ celeberrimam & antiquissimam, in cujus natales inquirere, frustraneum putat Autor, cum plurium Seculorum, & mille fortassis annorum, ætatem exsuperet. Recensentur *pag. 42 – 48* tentamina quorundam, artem liquatoriam Cuprimontanam emendandi renovandique, quos inter cumprimis eminet *Kunkelius*. At vero conatus plerique inauspicato fuere suscepti; neque potuit *Kunkelius* mereri præmium 50000 thalerorum Imperialium, a *Carolo XI* Rege oblatum, si promissis staret. *Paragr. III – VIII* agitur de præcipitatione cupri per ferrum, deque præcipitationis hujus documentis, tam in Suecia, quam alibi, notis, item de modis torrendi liquandique venam cupream in diversis Sueciæ locis, quibus X adduntur processus liquatorii Norwegiani, XI enarrantur venæ cupreæ Siberienses, XII — XXXII processus in omnibus fere Europæ provinciis, ubi cuprum eruitur, recepti, quibus jun-

junguntur tentamina cupri liquatoria, variis ex Autoribus desumta; quo facto, transitus fit ad secretionem argenti ex cupro, variis in provinciis, & ex variis Autoribus, *Paragr. XXXII – XLIII* exhibitam. De Orichalco, & præparatione ejus, copiose differitur *Paragr. XLIII – LIII*, agiturque de lapide calaminari Aquisgrani, Angliæ, Goslariæ, aliarum terrarum; de modo convertendi cuprum in orichalcum, in Suecia, Anglia, &c. usitato, nec non de fusione statuarum, typorum, campanarum, tormentorum bellicorum, ac de mixtura metallorum pro speculis, de auro sophistico & metallo *Roberti* Principis, additurque Appendix de Zinco, de metallo albo, seu coloris argentei, ejusque præparatione, de modis cuprum vel argentandi, vel colore argenteo fucandi. Et hæc quidem in *Classe prima* videre est. *Classis secunda* sistit varios venæ & lapidis cupri probandi modos, ubi agitur *Paragr. I* de diversis generibus venæ cupreæ, quas secundum omnes orbis noti partes percurrit; *Paragr. II* de probationibus mineræ cupreæ, ubi de crucibulis & fornaculis, de menstruis, probationibus cupri inservientibus, de modo probandi mineras cupri liquatu faciliores & difficiliores, egenas, &c. *Paragr. III* de probatione cupri per lapidem Lydium; *Paragr. IV* de probatione cupri seu mineræ ejus in argentum, item metalli in puri, arsenicalis, antimonialis, campanarum, &c. de præparatione acuum probatoriarum, & quæ plura sunt hujusmodi, nobis haud enumeranda. *Classis* denique *tertia* exhibet varia cum cupro & orichalco chymica præparata, & facta experimenta, scilicet 1) de præparatione æruginis, seu æris viridis, 2) de variis modis præparandi ultramarinum seu cæruleum, 3) de ære usto, 4) de præparatione croci Veneris, 5) de vitriolo & chrystallis Veneris, 6) de tincturis Veneris, 7) de spiritibus Veneris, 8) de oleo Veneris, 9) de sulphure Veneris, 10) de floribus Veneris, 11) de diversis aliis præparationibus chymicis ex cupro, veluti Mercurio cupri, regulo Veneris, Alcahesto *Zwelferi*, quinta essentia Veneris, &c. 12) Observationes varias, passim collectas, de cupro, quæ spectant ad pondus specificum cupri, augmento ponderis cupri per flam-

mam, ſolutiones per diverſa acida, &c. Et ſic *tertia* quoque *Claſſis* ad umbilicum perducta eſt. Notamus adhuc ex Præfatione hujus *Tomi*, quod Autor refert, in regionibus Lapponicis, maxime Borealibus, ſub latitudine 66 – 70 graduum, hinc inde patere venas tam cupri, quam argenti, admodum potentes ac divites. De fodinis quoque Kongsbergenſibus in Norwegia, ubi argentum nativum & aurum quandoque effoditur, ſcitu non injucunda in dicta Præfatione reperias.

ADAMI ADAMI, EPISCOPI HIERAPOlitani, & ad Tractatus Pacis Weſtphalicæ quondam Legati, Relatio hiſtorica de Pacificatione Oſnabrugo-Monaſterienſi, ex avtographo Autoris reſtituta, atque Actorum Pacis Weſtphalicæ teſtimoniis aucta & corroborata, accurante JO. GODOFREDO DE MEIERN, Regiæ Majeſt. Brit. & Elect. Brunſu. Luneb. a Conſiliis Aulæ, & Archivi Præpoſito.

Lipſiæ, ſumtibus Mich. Turpii, 1737, 4.
Alph. 4 plag. 9.

Qui Germanis ipſis adhuc incognitus fuit, Germanus Germaniæ Hiſtoricus, isque præſtantiſſimus, *Adamus Adami*, nunc debitum ſuo nomini ſplendorem accipit ab Illuſtri Viro, cui inſigne Opus *Actorum Pacis Weſtphalicæ* gratus debet debebitque orbis literatus. Is namque intelligens, Operi iſti ſuo adjungendum eſſe Breviarium hiſtoricum, in quo breviter, ſed accurate, exhibeatur Pacificationis hiſtoria, denuo recudendum duxit *Adami* illius ſcriptum, & fide digniſſimum, & potiora hujus hiſtoriæ juſto continens ordine. Prodierat id primum A. 1698 in publicum ex officina *Knochii* Francofurtana, inſcriptum *Arcana Pacis Weſtphalicæ, Autore A. A.* poſteaque A. 1707 eidem editioni (cave enim, credas, novam hanc eſſe editionem,) præfixus fuerat hic titulus: *Adam Adami Relatio hiſtorica*, cetera. Qui illam adornarat editionem, nihil de Autore cognitum habuit, quam quod fuerit Epiſcopus religio-

gionis Catholicæ: ac præterea crediderat, Episcopum eum fuisse Italiæ. Alii judicabant, fictitium esse Autoris nomen, sub eaque larva latere scriptorem Protestantium sacris addictum. Nunc vero ex Illustri *Meiero* discimus, qualis quantusque vir fuerit hujus libri conditor. Equidem recordamur, eum jam in Præfatione ad *primum Tomum Actorum P. W. pag. 34 seq.* luculentam fecisse hujus *Adami* mentionem; sed nunc uberius pleniusque Vitam ejus exhibet, quam nos more nostro redigimus in compendium. Natus fuit hic *Adamus* humili & obscuro loco, sed duce ingenio virtuteque, comite fortuna, enisus ad summa est: & natus quidem Mulhemii, oppido Coloniæ Ubiorum proximo: quanquam, quem annum, quemque diem, habuerit natalem, nullo loco memoriæ proditum reperitur. Ex eo tamen, quod A. 1663 decessit, annos tres & quinquaginta vivendo emensus, jure colligimus, in dias luminis auras ipsum processisse anno superioris Seculi decimo. Credibile facit vicinia, eum Coloniæ pueritiam adolescentiamque transegisse per omnium honestarum artium cultum. Certe ibi præfuit aliquot annos Seminario, quod vocant, & quidem tam juvenis, ut inter discipulos ipsius essent nonnulli ætate ipso majores. Postea in monasterio Brauweilerano factus est Benedictini Ordinis monachus, ubi in animum induxit, Historiam componere celebratissimæ Congregationis Bursfeldensis, & privilegia vetusta ex ipsis exhibere protographis. Verum, cum alia negotia ipsum a tam nobili proposito revocarent, præstitit id postea summus ille Vir, *Mabillonius.* Cognoscimus tamen hinc, magna cura incubuisse *Adamum* in literarum studia. Ac sane tantum ex Romana eloquentia, tantum e Philosophia, tantum ex Historia Germaniæ vicinarumque gentium, tantum denique ex Theologia, hauserat, ut magnum esset sui monasterii, in quo lætissime florebant literæ, decus & lumen. Verum non capiebat solitudo hæc tam activum, vel, ut Græci loquuntur, πραγματικὸν, virum. Ante tamen, quam in lucem reipublicæ emergeret, & Sacerdos creatus est, & Rector Seminarii Benedictini Coloniensis, & Doctor Theologiæ, & Prior

Moguntini Benedictinorum Cœnobii. Hinc in bello illo tricennali, cum ab Imperatore adhiberetur ad monasteria Wurtembergiæ, illo tempore ditioni Cæsaris subjecta, Catholicis restituenda, ob spectatam virtutem & solertiam jussus est ire in urbem Monasterium, atque interesse Pacificationi illi illustrissimæ tanquam Legatus Prælatorum & Monasteriorum Wurtembergicorum. Cum vero Dux Wurtembergiæ, quo minus *Adamus* personam hanc sibi impositam sustineret, impediret, aliunde ei affulsit fortuna. Abbas enim Corbejensis, Germaniæ Princeps, eum illic esse jubebat Legatum suum. Quo facto, tantam sibi circumdedit autoritatem pro ea, qua pollebat, ingenii politici exsuperantia, ut vulgo dictitaretur, *si pacis compositio non nisi a suffragiorum numero penderet, Adamum solum atque unicum fore pacis arbitrum, quippe qui tanta copia & multitudine suffragiorum instructus accedat Senatum Imperii, ut ceteros Legatos omnes & numero & pondere vincat superetque.* Magna igitur pars hujus Pacificationis fuit *Adamus* noster, omnibusque consultationibus interfuit usque ad negotii hujus pacificatorii conclusionem, quam A. 1648 factam esse constat. Non ita multo post Romam ab Archiepiscopo, eodemque Electore, Coloniensi ablegatus fuit ad pallium Archiepiscopale accipiendum ab *Innocentio X*, qui Pontifex, commendante *Fabio Chisio*, Nuntio in conventu Monasteriensi Apostolico, ac ibi *Adami* amico & familiari, *Adamum* ornatum dimisit titulo atque dignitate *Episcopi Hierapolitani*. Hinc reducem Elector ille, quem diximus, creabat *Vicarium* suum *in Pontificalibus per Diœcesin Hildesiensem*, sive *Suffraganeum*, simulque *Consiliarium intimum*. Tum vero immensa Actorum Pacificationis volumina, quæ collegerat, constituit contrahere in epitomen historicam, non quo omnium hanc exponeret conspectui, sed ut ipse haberet justam eorum, quæ de pace acta fuerant se præsente, seriem, jucunde subinde memoria repetendam. Nec tamen theoreticus in totum hic labor erat, sed vel maxime practicus. Cum namque brevi post conventus Imperii Ratisbonensis indiceretur, hanc suam narrationem, sua manu elegantissimis litera-

rum

rum ductibus descriptam, Principi dabat suo, Electori Coloniensi, quippe complectentem ea, quæ veluti fundamentum essent & norma rerum in istis Comitiis tractandarum. A. 1663 d. 19 Febr. exstinctus est Hildesiæ: ubi & Epitaphium ejus adhuc visitur in Sacello *S. Laurentii*, & effigies, insigni artificio metallo fusa. Utrumque Generosissimus *Meierus* suis hic exhibet lectoribus: imo & originalia quædam documenta, quæ vocant, ad Vitam *Adami* pertinentia, subjunxit Præfationi. Post multos annos Codicem hunc dono dedit Elector Cancellario suo, *Petro Buschmanno*, qui & ipse Pacificationi Westphalicæ interfuerat Domini sui nomine. Jure hæreditatis tam nobilis Codex pervenit ad generum ejus, *Zimmermannum*, Cancellarium item Coloniensem, in cujus Bibliotheca, quæ nunc est Hildesiæ, hodieque asservatur instar cimelii. Atque hunc ipsum Codicem in manibus habere contigit Editori nostro, qui ex eo *Relationem* illam *historicam* nunc edit, pluribus locis diversam ab editione *Knochiana*. *Integras*, inquit, *sæpius paginas in Francofurtensi editione omissas deprehendi, multa etiam diversa plane oratione, aliisque ac diversis verbis exposita: ut in eam suspicionem deveniam omnino, mutilatum aliquod in editoris manus exemplar venisse, eundemque lacunas & hiatus, qui occurrebant, ex ingenio supplevisse.* Idem Editor omiserat Epistolam ad Electorem Coloniensem dedicatoriam, utriusque item urbis, Monasterii & Osnabrugæ, descriptionem *Adamianam*: imo titulum novum procuderat, *Arcana Pacis*. Omnia hæc nunc sunt restituta, fideliterque correcta: ut nunc demum verum sincerumque habeamus hunc tanti Viri librum. Quin & charta hujus editionis ac literæ sunt nitidissimæ, grata quoque varietate notabiles, ut alia majusculis excusa sint, alia minoribus, quædam ordinariis, nonnulla cursivis. Numeri quoque sui sunt præfixi Paragraphis, atque omnia ita comparata, ut nunc orbis pro editione lateritia, si modo ita loqui liceat, acceperit marmoream. Unicum in pulchro hocce corpore nævum deprehendimus, quem facile emendabit lector quisque, pro *Bohemico*, quod *pag. 14 lin. 3* e priori editione remansit, rescribens *Polonico*. Quod enim

in

in ultimi Capitis §. ultimo pro *immunia* ſcriptum eſt *immunita*, & *pag. 622 §. 6 lin. 15 epiſtolo* pro *epiſtolio*, vix animadverſione dignum eſt. Ceterum idem *Adamo* præſtitit officium laudatiſſimus Editor noſter, quod *Sleidano* quondam *Seckendorfius*. Quemadmodum enim hic tabulariis Principum Saxoniæ produxit monumenta, quibus fides *Sleidani* redditur omni exceptione major; ſic Noſter, adſcriptis ad ſingulas hujus Operis ſectiones paginis illis *Actorum Pacis Weſtphalicæ*, in quibus de ſingulis rebus monumenta exhibentur originalia, quæ vocant, docet liquido, *Adamum* candidiſſimum fuiſſe ac veraciſſimum Hiſtoricum, dignumque eſſe ejus Opus, quod conſecretur ad immortalitatem. Nec profecto vel unum locum Editor noſter obſervavit, quo quidem violarit hiſtoriam *Adamus*: ut ex hoc colligamus, hanc fuiſſe ei cauſam non edendæ in publicum hujus ſuæ Hiſtoriæ, ut effugeret eorum ſive odia, ſive querimonias, quibus diſplicitura videbatur tanta ſtudii ſuarum partium fuga, ut dubitatum ſit, Pontificium hic liber, an Proteſtantem hominem, habeat autorem. Illud vero etiam nobis monendum, in editione hac nova eam ob cauſam omiſſum eſſe utrumque *Pacis Inſtrumentum*, quod ejus luculentiſſimum & ſinceriſſimum exemplar exſpectare jam juſſi ſumus in *Tomo ſeptimo Actorum Pacis Weſtphalicæ*, quem brevi prodíturum, habemus exploratum.

Defuncti jam videri poſſemus munere noſtro, niſi duo adhuc proferenda eſſent, Lectoribus noſtris ſine dubio futura gratiſſima. Scilicet exhibetur hic etiam Germanico ſermone conſcripta totius Weſtphalicæ Pacificationis deſcriptio, quam accepit Noſter haud ita pridem e tabulario (*archivum* ſolent Politici noſtri vocare,) Regni Sueciæ. Autor ejus eſt ignotus, homo tamen Suecus, & Lutheranæ religionis cultor, ut adeo eodem in volumine habeamus & Catholicum & Evangelicum ejusdem Hiſtoriæ ſcriptorem, quorum alter firmet alterius fidem veritatisque ſtudium. Deinde & hoc ſcias, quisquis es Lector noſter, Illuſtrem hunc *Meierum* in eo eſſe, ut duo brevi emittat Volumina, *Acta Comitiorum Ratisbonenſium anni 1653 & 1654* inſcribenda. Ac *prior* quidem *Tomus* complectetur

tur omnes & singulas, ad statum Germaniæ, & ad Jus publicum Imperii, pertinentes, materias, quæ pertractatæ fuerunt in illis Comitiis ab initio ad finem usque. Posterior exhibebit *Recessum* novissimum de administranda justitia. At, cum *Recessus* hic multis locis sit obscurior, nisi rarissima illa, & in paucis Germaniæ Archivis obvia, *Acta Deputationis Francofurtensis annorum 1643 & 1644* adhibeantur in consilium, Acta hæc simul exhibebuntur integra. *In isto Operis secundo Tomo* (utimur nunc ipsius Autoris verbis,) *Commentarii exhibebuntur exquisitissimi ad* Augustissimorum Imperii Judiciorum *Ordinationes, iidemque non privati cujusdam hominis arbitrio vel ausu compositi, sed ex ipsorummet Imperii Statuum monitis atque observationibus prudentissimis adornati: quibus sane haud quisquam facile carere poterit, qui prudentiæ Germanici Juris operam dat, vel cui in supremis Imperii tribunalibus causæ sunt ventilandæ.* Jure vero miratur Ill. *Meierus, thesaurum Juris Germanici tam insignem tot annos absconditum delituisse in pluteis.* Quo majores ei agentur gratiæ a Juris publici Germanæque justitiæ civilis cultoribus.

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ CHRIstianæ, in usum Collegii Systematici anniversarii ALBERTI VOGET, S. Theol. Doct. & Prof. Ordin. in Acad. Ultraject.

Groningæ, typis Jacobi Sipkes, 1736, 4.
Alph. 1 plag. 12.

Qui Groningæ in scholis domesticis *Jo. Melchioris* Compendium exposuerat, & ipse Systema Theologiæ delineaverat, quatuor mensium spatio explicatum, nunc Synopsin edit Theologiæ theticæ & polemicæ, in auditorio plenius tractandæ. Solertissimus Autor contendit, ut omnes artus doctrinæ divinioris apti inter se connexique contineantur, eclectica usus methodo, quæ proxime abest a *Coccejana*. Tangit fere omnia, quæ hoc seculum de rebus divinis disputare

Pag.141.149. solet. Approbat Syſtema *Copernici*; *Beckeri* perverſitatem,
216. & *Gerhardi*, *Peterſenium* ſectantis, credulitatem, rejicit. Ne-
7. que fert *Thomaſium*, qui Theologiam naturalem inna-
163. tam negat, neque *Gundlingium*, qui *Hobbeſium* defendit. Magnum etiam Virum, *C. M. Pfaffium*, non omni ex parte im-
39. munem ſententia Socinianorum videri arbitratur, quod, a Deo ſuggeſtas res, verba a ſanctis viris addita eſſe, ſcripſiſſet. De-
198. ſcenſum Chriſti ad inferos autumat innuere ſtatum mortui,
12. qui in judicio Patris verſabatur. *Zwinglium*, qui *Herculi*, *Theſeo*, *Socrati*, aliis, æternam vitam non denegaverat, excuſat parallelismo judicii Lutherani. Lutheranos leni-
123. ter corrigit, dum, electionem factam eſſe ex fide prævisa,
241. fideles deficere poſſe totaliter, etſi non finaliter, Baptiſmum
266. habere neceſſitatem medii ad ſalutem, ſeſſionem Chriſti ad dextram Dei eſſe omnipræſentiam corporis quoque Chriſti, minus accurate tradant. De ſacra Cœna Lutheranos ne ap-
268. pellavit quidem, & panem eucharisticum interpretatur corpus Chriſti per metonymiam ſacramentalem. Generoſam Vi-
129. ri ſummi, *C. M. Pfaffii*, confeſſionem de prædeſtinatione re-
12. petiit, & collaudavit. Nempe Lutheranos fratres ſemel & iterum compellat, qui in fundamento fidei non diſcreparent
68. a Calvinianis: quare cum iis communio eccleſiaſtica quæ-
213 ſeq. renda videtur. Sed idem multus eſt in eo labore, qui verſatur in Chriſti ſatisfactione, cujus objectum ſtatuit eſſe ſolos electos, excluſis in Chriſti intentione, uti in effectu & fructu, omnibus aliis. Quæ cum ita ſint, viderint Theologi, liceatne cum eo fraternitatis nomen uſurpare. Utcunque vero iſtud exiſtimabitur, Venerandi Autoris perpetuum ordinem, & apparatum graviſſimorum argumentorum, maxime in cauſis Pontificiis & Socinianis, denique rotunde ſcribendi ſtudium, permagni faciendum eſſe, minime dubitamus.

ELEMENTA JURIS GERMANICI, TUM veteris, tum hodierni. Ex genuinis principiis eruit, & commoda Auditoribus methodo adornavit, JO. GOTTL. HEI-

HEINECCIUS, Potent. Pruff. Reg. a Confil Sanctior. & Jur. ac Philofoph. in Illuftr. Frideric. Profeff. Publ. Ordin. Accedunt Indices locupletiffimi.

Tomus II.

Halæ, impenfis Orphanotrophei, 1737, 8 maj. Alph. 2 plag. 6.

Nunc igitur, quod diu fruftra defideravit, & cujus unquam obtinendi fpem fere omnem depofuerat, ex manu tandem præftantiffimi Civis fui, abfolutum perfectumque omni ex parte Jurisprudentiæ patriæ Syftema, gaudens accipiat Germania, & merenti illi capiti, cujus curæ omnes cum infigni gentis noftræ gloria funt conjunctæ, nexas laureolis coronas, magnarum præmia frontium, imponat. Nihil enim aut ab ingenio conatibusque vulgi magis remotum, aut gloriofius ætati noftræ, aut ad omnem pofteritatem illuftrius, fufcipere, fufceptumve perficere, potuit magnum illud Seculi noftri decus, *Heineccius*, quam fi nobiles illas, omnique ævo digniffimas, veteris Germanorum Juris reliquias, præter meritum neglectas ad hunc diem, & indigniffimis tenebris fepultas, ex fuis velut urnulis colligeret, doceretque gentes exteras admirandam majorum noftrorum in legibus ferendis fapientiam agnofcere. Quo ipfo aufpicatum fane ad bene fperandum de noftris facultatibus, & habitantis intra pomœria noftra Jurisprudentiæ futuro aliquo certiffimoque fplendore, fignum fuftulit, efficitque adeo, ut jam excutere Germania peregrinarum legum turpe illud ac moleftum jugum, & ex fe ipfa fapere, fi modo velit, poffit. Habes in Opere præfenti, cujus præftantiam nunquam ita commendabimus Lectoribus, quin femper commendari magis mereatur, domefticorum Jurium tam largum, tamque copiofum, apparatum, ut vix oriri poffe in judiciis noftris controverfia videatur, cui non dirimendæ aut veteres illæ, aut recens conditæ, Germanorum leges fufficiant. Intelligunt id fine dubio, quicunque in *Volumi-*

nis prioris lectione diligenter satis sunt versati, quo tantum conspecto, in omnium Lectorum animis videndi *alterius* magna cupiditas accendebatur. Eam vero Ill. Autor, pro suo optime de re patria merendi studio, exspectatione nostra citius restinxit; quæque de delictis & criminibus, deque re judiciaria, & jure actionum, ad ordinem Institutionum Juris Romani, dicenda supererant, hoc, quem manibus tenemus, eruditissimo libello complexus est. Itaque a *Libri II Parte II*, eas juris ad rem species, quæ descendunt ex delictis, persequente, initium dicendi facit, addens huic *Librum tertium*, rem omnem judiciariam, & jura actionum, explicantem. Quam his præmisit elegantissimam Præfationem, legendam iis maxime suademus, qui Germaniam nostram, quod attinet ad leges veteres, inopiæ cujusdam accusant, nec facile scriptorem suppetere, unde majorum nostrorum consuetudines judiciariæ cognosci possint, nimis sibi temere persuadent. Quos, ut de rebus nostris præclarius sentire discant, inspicere Ill. Autor libellos duos, antiquitatis pretio commendatissimos, jubet, alterum *der Richtsteig* dictum, quicquid ad communem & feudalem litigandi modum, ipsamque crimina vindicandi rationem, pertinet, ita luculente describentem, ut eo nomine omnium tribunalium, vel protribunalium, liber vocari non inepte possit; ex quo scilicet fonte Ill. Autor *pag. 491 seq.* actionum forensium, quibus usi sunt Germani veteres, rationem explicat, attingens simul *pag. 490* ipsius libelli historiam, notansque lepidum errorem *Jac. Frid. Ludovici*, qui, nomen Autoris in ipsa fronte libri vocari *Sylvanum Othmer Bükbrenther*, sibi persuaserat, cum nec leviter gnari linguæ patriæ, vocabulo *Bükbrenther* denotari typographum, ignorent; alterum, sub nomine vulpeculæ *Reinicke* ipsi vulgo, quam eruditis, notiorem, quo, inter ludicra multa, plurima contineri forensium negotiorum gravissima momenta, non ita aliunde petenda, selectis Noster nonnullis speciminibus ostendit. Utriusque horum Opusculorum, rerum scitu utiliorum plenissimi, sed nunc rarius obvii, cum insignem in Germanicarum legum cognitione usum, vix quisquam eruditissimo Autore

tore exploratum magis habeat; forſan ipſe etiam intelligit, quam ſit rem gratam iis omnibus, quos cura ſtudiumque tenet rei patriæ, facturus, ſi præſtantiſſimum hoc libellorum par editione nova, eaque ita inſtructa, ut, quæ maxime ad rem noſtram faciant, præ ceteris digito indicentur, in manus civium ſuorum tradere, domeſticasque Germanorum divitias hoc ipſo auctiores efficere, in animum induxerit. Jam, quo ordine præcipua Juris Germanici argumenta ab Ill. Autore ſint expoſita, vel breviſſimis dicemus, tunc ex magna illa Obſervationum minime vulgarium copia ſingulares nonnullas ac præ ceteris notabiles exhibituri. *Libri II Parte II* primum de delictis & criminibus generatim, tum ſpeciatim de furtis, rapinis, damno injuria dato, injuriis, crimine majeſtatis, adulterio, ſtupro, lenocinio, inceſtu, vi publica & privata, ſicariis, veneficis, incendiariis, parricidio, & aliis homicidiis atrocioribus, deque reliquis criminibus, Germanorum lege notatis, denique de variis delictorum pœnis, *Capitulis XIII* agit. *Liber tertius* Jus Germanorum forenſe tradit, ita quidem, ut, explicata Jurisdictionis & Judiciorum noſtrorum indole, de actore, reo, advocatis, procuratoribus, de in jus vocatione, feriis, & dilationibus, de actionibus, earumque in judiciis editione, de exceptionibus, & litis conteſtatione, de probationibus, & purgationibus, de ſententiis, & re judicata, de appellatione, aliisque ſententiam inpugnandi modis, denique de criminalibus judiciis, *Titulis novem* diſtincte diligenterque diſſeratur. Quæ ſingula ut ex variis Germanorum monumentis eruere, & in ſyſtema quoddam redigere, magni res laboris, nec minoris ingenii, fuit; ita in eo inprimis, noſtro judicio, ſingulare aliquid & laude dignum præſtitit Ill. Autor, quod temporum ubique rationem habüit, & a novis vetera diſtinxit, juriumque præterea inter ipſas Germanorum gentes inſignem diverſitatem indicavit. Sed jam fruſtula quædam delibabimus ex inſtructiſſimis his dapibus, non levem voluptatem ex eorum, quæ ſunt propria nobis ac domeſtica, cognitione percepturi. Rigidiſſimi fuerunt in vindicandis delictis antiquiſſimi Germani, ut ne ca- Pag. 2 ſeq. 73.

 ſum

sum quidem, qualis in moderamine inculpatæ tutelæ accidit,
Pag. 4 seq. ab omni pœna immunem esse voluerint. Iidem tamen, si
leges inspicias alias aliis severiores, non videntur omne in-
ter dolosa & culposa delicta discrimen neglexisse. Quæ Ro-
manis capitalia dicuntur delicta, Germanis vocantur *die an*
11. *Hals und Hand gehen;* quæ illis non capitalia, his *die an*
Haut und Habre gehen. Similiter judicium capitale Germa-
nis est *das hohe Ungericht*, non capitale *das schlechte Unge-*
richt. Cur legem Saxonum crudelissimam vocaverit *Wippo*
13. in vita *Conradi*, rationem hanc reddit Ill. Autor, quod illa cri-
men homicidii, a Lito quodam commissi, non in ipso tantum
Lito, sed in septem quoque ejus cognatis, vindicandum sanxe-
14 – 20. rit. In atrocioribus delictis moris olim fuit, *fredum*, seu
pœnam pecuniariam, fisco, *faidam*, seu, quod cum ea con-
venit quodammodo, *Widregildum*, aut *Weregeldum*, læso,
ejusve agnatis, exsolvere. A *fredo delaturam*, vocabulum
21. corrupte scriptum pro *dilatura*, differre, nec ea quidquam
aliud, quam, quas hodie vocamus, impensas protractæ litis,
denotari, contra *Jo. Ge. Eccardum* erudite disputat Ill. Autor.
25. Vox illa *Zetter*, in judiciis capitalibus solennis, qua nihil vul-
go dirius funestiusque putant, idem est ac *Waffen*, arma, sce-
lera ferro & armata manu vindicari debere significans. In
35 seq. puniendo furto mire inter se dissentiunt antiquiora Germa-
manorum jura; mire etiam ab his ipsis leges Germanorum
hodiernæ dissentiunt. Varietatem hanc ex ipso Autore co-
gnoscere, jucundum fuerit Lectori. Singulare etiam illud
39. videtur, quod Francorum lege servus, in furto denariorum
plus quam quadraginta deprehensus, castrationis pœnam sub-
45. iit. Tam severe olim in fures animadvertit *Bertolphus*, Pa-
latinus *de Wittlenbach*, ut unius tantum oboli furtum pœna
capitis vindicaverit; quem rigorem nunc etiam imitari Ger-
maniæ nostræ Principes nonnullos, paucis ignotum putamus.
In legibus Francorum, raptores persequentibus, vocabulum
superventus occurrit, quod invasionem violentam denotat,
& *viam* vel *viæ lucinam facere*, quod idem est ac homini in
itinere publico constituto moras objicere. Ibidem legitur
basto-

bastonicum, quod, origine vocis a Germanico *batten*, flagellum, ducta, ergastulum interpretatur Ill. Autor, secus ac *Fresnæus* & *Lindenbrogius*, qui pro arctissima custodia acceperant. Vocabulum *Dolg*, quod habet lex Saxonica, non solum sicæ, qua infliguntur vulnera, sed ipsi etiam vulneri, est proprium, unde *tholigen* idem est ac occidere. Jure Provinciali Saxonico vulnera dividuntur in *Fleischwunden*, profunda, sed non lata, nec difficile sananda, in *offene Wunden*, lata, sed non profunda, neque ideo funesta, & in *Kampfer-Wunden*, alia omnia vulnera, cum periculo mortis, aut magna corporis læsione, conjuncta. Vehementer eos falli existimat Ill. Autor, qui, nostra ætate de damno injuria dato agi posse non modo ad resarciendum damnum, sed in tantum etiam, quanti res intra annum, vel mensem proximum, plurimi fuerit, sibi persuadent. Nunquam enim legem Romanorum Aquiliam in foris Germaniæ receptam, manifestissimum facit. Ad injurias verbales, antiquioribus Germanis maxime usitatas, pertinent inprimis nomina *cinniti*, *meretricis*, *vulpeculæ*, *leporis*, *concacati*, & *cherburgii*, lege Salica notata; sicut & apud Longobardos ignominiosum inprimis *argæ* nomen fuit, quod, rejectis aliorum conjecturis, nihil differre Cel. Autor noster a vulgari illo Germanorum *arg* contendit. Eadem lege Salica mulcta, qua injuriæ reales redimuntur, vocatur *Obrepus* & *Andrepus*. Quarum vocum alteram plane spuriam, alteram ex *ander*, alius, & *possen*, vel *pussen*, ponere, formatam, somniaverat verius, quam existimaverat, *Eccardus*. Ostendit enim Cel. *Heineccius*, nullis hic opus esse argutiis, nec cuiquam obscurum esse posse, *obrepus* esse quasi *die obere buss*, hoc est, pœnam majorem, *andrepus* vero *die untere buss*, minorem pœnam. Regicidio nihil fuisse apud veteres Gothos frequentius, allata ab Ill. Autore exempla numero multa testantur. Pœna præcisionis narium maxime olim penes Constantinopolitanos in usu fuit; unde deinde ad gentes Occidentales, Francos, Wisigothos, aliosque, transiit. *Carmulum*, quod est in lege Bajuvariorum, interpretatur Noster indignationem supplicio ferali

Marginal page references: Pag. 82. (beside "solum sicæ…"); 83. (beside "Provinciali Saxonico…"); 85. (beside "magna corporis…"); 94. 100. (beside "retricis, vulpeculæ…"); 95. (beside "dimuntur, vocatur…"); 112. (beside "Autore exempla…"); 114 seq. (beside "fuit; unde deinde…"); 118. (beside "variorum, interpretatur…").

rali dignam adverſus Principem vel Rempublicam, a *kar*, vel
char, feralia, & *mulen*, ſeu *ſmollen*, iraſci. De pœna* quam
κυνοφορίαν dixere veteres Germani, notat Ill. Autor, non
eam fuiſſe pœnæ capitalis loco, ſed huic præmiſſam ſaltem,
Pag. 127. in maximæ ſignum infamiæ, quam incurrerat reus. Voca-
151. bulum *druchte*, quod habet lex Salica, ſponſam, quaſi *getraue-
te*, denotat. Quo ſanctiores moribus fuerunt veteres Ger-
mani, ut vix audita inter eos adulterii & nefandæ veneris
nomina fuerint, hoc magis a virtute illa deſciviſſe poſteros
eorum, Romani luxus contagione corruptos, vel una *Ludo-
152. vici Pii* lege, quæ inter Capitularia Francorum legitur, tur-
piſſimæque libidinis, adulterii, ſtupri, ſodomiæ, mentionem
facit, ſatis cognoſci poteſt. *Gadalis* quid ſit in Capitularibus *Ca-
roli M.* nemo ſcriptorum accurate ſatis definivit; at feliciſſi-
154. ma Ill. Autoris conjectura eſt, mulierem quæſtuariam inter-
pretantis, a voce *gaden*, quod lupanar eſſe Germanis, antiqua
Gloſſaria nos docent. Honorificum ex parte vetuſtiſſimis Sa-
158. xonibus *Salviani* elogium putatur, crudelitate efferos, ſed
caſtitate mirandos, appellantis. Jure Provinciali Suevico a
pœna adulterii fœmina, rem tractans cauponariam, eximi-
tur. Sed deſumta hæc a compilatore ex *l. 29 C. ad L.
Jul. de Adulteriis*, quæque ibi de ancilla, tanquam vilioris
165. conditionis perſona, dicta ſint, inepte ad ipſam dominam
tranſlata, prorſus erudite oſtendit Autor. Nusquam major
in adulteros rigor, quam in Holſatia & Saxonia, ubi crimi-
nis hujus, ſive ſimplicis, ſive duplicati, reus capite punitur.
177. Unde Ill. Autor non ſine ſale: *Certe, ſi legibus ex animis
hominum evelli poſſet libido, nusquam terrarum, quam ibi,* (in
Saxonia) *caſtius viveretur, & jam pridem mos & lex macu-
loſum edomuiſſet nefas.* Quæ ſane tum maxime vera putes,
ſi, quam pauca inter nos adulterorum capite punitorum ex-
empla obveniant, memineris. Et tamen

Iliacos intra muros peccatur & extra.

Quotidianum fere inter antiquiſſimos Germanos crimen ra-
ptus fuit, ut nec a Regum filiabus audax civium libido ab-
197. ſtinuerit, id quod variis vetuſtiorum temporum exemplis
con-

conſtat. *Contubernium* in lege Salica coadunationem hominum, ad mutuum auxilium conſpirantium, ſignificare, Ill. Autore annotante diſcimus. Pag. 189.
Nihil durius eſt lege Wiſigothorum, medicum, cui tam male ceſſerat venæ ſectio, ut hominem occideret, continuo tradi jubente propinquis, ut in eum pro arbitrio ſententiam ferendi haberent poteſtatem; quam de chirurgis potius, iisque ſervilis conditionis, quam de veri nominis medicis, accipiendam Noſter putat. 222.
In homicidas, non culpoſos tantum, ſed doloſos etiam, ut veneficos, pecuarios, incendiarios, indulgentiſſimæ fuerunt pleræque Germanorum gentes, nec facile horum quemquam niſi pœna pecuniaria affecerunt. 220 – 250.
At inde a Seculo XII capitalia eſſe cœperunt hæc delicta, fueruntque ad noſtra uſque tempora. Quæ in legibus Langobardorum obveniunt, vocabula *theclaturæ* & *ſinaidæ*, ſive *ſnaidæ*, quod a Germanico *ſchneiden*, incidere, deſcendit, inciſiones arborum, finium indicandorum cauſa factas, ſignificant. 300 ſeq.
Crimen illud, quod a deſertoribus & transfugis committitur, veteres Franci vocabant *heresliz*, ab *heer*, exercitus, & *ſlizen*, ſcindere. 316.
Capillum facere ſervo, in lege Burgundionum nihil aliud denotat, quam ſervum fugitivum tam diu celare, donec capilli renati fuerint, ut homo coma promiſſa ingenuum mentiri poſſet. 320.
Certiſſimum enim nobilitatis apud Germanos indicium fuit cæſaries, ſervitutis caput detonſum. Rariora in veteri Germanorum republica pœnarum capitalium exempla; nota tamen inter eos vivicomburium, ſuſpendium ex patibulo vel arbore, capitis amputatio, rota, vel crurifragium, lapidatio, ſuffocatio in aquis, & addictio ejus, qui deliquerat, in arbitrium læſi. 329 ſeq.
Ad non capitales pertinet effoſſio oculorum, auris abſciſſio, naſi ſcalpellatio, manus amputatio, caſtratio, talionis pœna, fuſtigatio & flagellatio, addictio in ſervitutem, carcer perpetuus, exilium, infamia, bonorum privatio, & pœna pecuniaria. 332 ſeq.
De Juriſdictione & Judiciis Germanorum ampliſſimum eſt & attente legi præ ceteris digniſſimum Caput, ubi, quæ ſeorſim olim de argumento hoc *Conringius*, *Hertius*, & *Thomaſius*, dixerunt, in concinnum ordinem redacta, propriisque Ill. Autoris annotationibus pulcherrime ornata, comparent. 353 – 430.
In

 legi-

legibus Francorum Advocati sæpius vocantur *clamatores*,
Pag. 440. non ab eo, quod clamore suo judici & partibus molesti sint,
sed quod *clamare* Francis idem fuerit ac postulare, unde locutiones illæ, *clamare pro caussis*, hoc est, agere, *proclamare*, in jus vocare, *proclamatio*, actio, *clamantes*, actores, *reclamatores*, advocati, & *clamodicus*, in judicio accusatus. Jure
443. Germanorum veteri nemo ad agendum compelli potuit, ne iis quidem in casibus, quorum in Jure Romano habetur ratio. Actiones omnes olim vel civiles, *borgelikke*, vel criminales, *pynlicke*, vel mixtas, *vormengede*, fuisse, Autor libri,
491 seq. *der Richtsteig* dicti, nos docet, rem Germanorum judiciariam plenissime describens. Formularum æque amantes veteres Germani, ac Romani, fuerunt, exstantque variæ in le-
507. gibus Alemannorum, Bajuvariorum, & aliis, formulæ solennes, ad id adhibitæ, ut actor actionem suam coram judice brevissimis enuntiaret. Præterea multum illi abhorrebant inutiles omnes litium ambages, quas, magno nostro damno, peregrina Romanorum Pontificumque Jura invexerunt. Vo-
508. cabulum *Here* in formula illa solenni, *Here her Richter*, qua actor olim in caussis sive civilibus, sive criminalibus, judicem
509. compellabat, Ill. Autori a Celtica voce *hior*, gladius, derivatur, tanquam publicum quoddam ad justitiam administrandam signum datum. Lex *Ludovici Pii* Clericos a testimonio adversus laicum in curia dicendo prohibet. Sed lepi-
540. dam rationem audi: *Quoniam omnis curia a cruore dicitur, & immolatione sacrorum. Et, si quis clericus, clericum accusans, in curiam introierit, anathema sit.* Egregia origines nominum investigandi ratio, vix ridenda satis doctioribus ingeniis. Et mirifice nobis placent, quæ his subjecit Ill. Autor noster: *Non tam a cruore abhorruerunt clerici, quam a curia, quia ibi homines laici, ceu vocant, rerum potiebantur, ad quorum tribunalia venire, facinus erat indignum clericorum*
547. *majestate.* Quæ de ritu jurandi per arma, nec non dextra pectori imposita, vetustioribus Germanorum populis usitato, profert Ill. Autor, selectissima sunt, & integri libelli materiam habent. Nunquam dicendi finem faceremus, si, quæ partim

partim nova, partim ſcitu utilia, Opere hoc *Heinecciano* continentur, eorum hic tacendum nihil eſſet. Reſtant enim præclara & ſelecta multa, quæ ſponte ſua obvenient Lectori diligenti, venturo ita in partem voluptatis illius, quam Operis tam eruditi, nec aliunde niſi ab ingenio *Heinecciano* exſpectandi, nobis attulit attenta lectio. Nihil igitur, præter hoc unum, addimus, acceſſiſſe præſtabili huic Juris Germanici, tam veteris, quam hodierni, theſauro ampliſſimos & rerum, & Autorum, Indices, quorum alter graviſſima Juris noſtri argumenta conjunctim ſpectanda exhibet, alter inſtructiſſimam Scriptorum, unde leges Germanorum aut peti aut illuſtrari poſſunt, Bibliothecam, magno Themidos domeſticæ ſtudioſis commodo futuram, continet.

JO. FRIDERICI WEIDLERI NARRATIO de Mercurio die 11 Novembris A. MDCCXXXVI Vitembergæ Saxonum ſub Sole viſo.

Die 9 Novembris, cum Sol aliquoties, etiam in ipſo meridie, clare luceret, horologium oſcillatorium, quod, continuato per octiduum motu, minuta tam prima, quam ſecunda, monſtrat, cujus bonitatem plurium annorum experimentis perſpectam habeo, ad tempus ſolare verum diligenter revocavi. Die vero ejusdem menſis undecimo in cameram ſub tecto ædium mearum obſcuratam, unde in meridiem liber proſpectus patet, præter duplex horologium portatile, (oſcillatorium enim loco movere, conſultum non eſt,) tria quoque teleſcopia melioris notæ Aſtronomica, ex quibus majus novem, duo reliqua quatuor, pedes longa ſunt, attuli. Alteri ex minoribus camera obſcura adhæret, idemque fulcro idoneo innixum helioſcopii uſum præſtat, cujus fabricam peculiari Diſſertatione, de Helioſcopia emendata & illuſtrata, latius deſcripſi. Sed, cum idem exiguam tantum Solis picturam, cujus quippe diameter tres cum dimidio pollices capit,

exhibeat, tubum novem pedum, machina helioſcopica *Scheineri*, quam *Hevelius* utiliorem reddidit, inſtruxi, per quem imago Solis in candidam tabulam transmiſſa, diametro integri propemodum pedis Lipſienſis ſiſtitur. Etſi autem mane diei 11 Novembris cœlum nubibus tectum eſſet, tamen, cum, poſt horam decimam antemeridianam, ſubinde nubes zephyri impetu diſpellerentur, vidi ſepties Mercurium ſub Sole,

TAB. VI
Fig. 1.

		H.	M.	S.
in	1.	10.	49.	20
	2.	11.	36.	0
	3.	11.	52.	20
	4.	12.	2.	30
	5.	—	4.	30
	6.	—	44.	20
	7.	—	52.	45


Poſt ultimam obſervationem Sol latuit poſt nubes, nec ante horam 2 m. 37 apparuit, quo tempore jam diu planeta ex ejus orbe exceſſerat. Maculas vero novem, quæ ſimul Solis diſco inſidebant, quarum ſitum & magnitudinem ſchematiſmus luculenter ob oculos ponit, paulo poſt horam 11 m. 36, ſingulas, cum nubeculis, quæ maculis *f* & *i* circumponebantur, annotavi. Sed, quoniam ingreſſus & egreſſus Mercurii conſpectum cœlum nubiloſum negabat, aliis, quæ Aſtronomorum ſolertia proditæ ſunt, methodis, pro inveſtigandis hiſce momentis, utendum mihi fuit. Primum quidem ſcalæ ſubtiliter diviſæ profuerunt, inprimis circa locum ultimum 7, qui a margine Solis perparum diſtabat, atque ita, ex proportione intervallorum & temporum reliquorum, tempus lineæ 7 M reſpondens, una cum ſcrupulo egreſſus, innotuit. Sed tum pro hujus examine, tum pro tempore ingreſſus in lucem protrahendo, ſequentes inii rationes. Aſſumſi, præter apparentem Solis ſemidiametrum 16 m. 15 ſ. motum horarium Mercurii a Sole in longitudinem 5 m. 52 ſ. item inclinationem orbitæ viſam 8 gr. 15 m. ex tabulis *Ludovicianis*, elegique præ ceteris locum primum *P*, claro cœlo, qua

Fig. 2.

potui, cura ſignatum. Verum hora 10 m. 49 ſ. 20, quo tempore

pore

TAB. VI ad Nov. Acta Erudit. A.1



tempore Mercurium in 1 conſpexi, locus Solis verus eſt 7 S. 19 gr. 21 m. huic reſpondent adſcenſio recta 226 gr. 54 m. punctum æquatoris culminans 210 gr. 10 m. 13 ſ. adſcenſio obliqua puncti eclipticæ orientis 300 gr. 10 m. 13 ſ. punctum eclipticæ oriens 27 gr. Sagittarii, angulus puncti orientis Vitembergæ 32 gr. 15 m. nec non angulus verticalis & eclipticæ *ZCL* 64 gr. 55 m. His, ſecundum Aſtronomiæ ſphæricæ præcepta, rite repertis, deprehenditur ſitus circuli verticalis *ZC* ad eclipticam *ECL*. Ducta ſemidiametro Solis *CPD* per locum planetæ viſum *P*, & alia *ZC* ad punctum verticale directa, organo goniometrico reperio angulum *DCZ*, ſive arcum diſtantiæ centri Mercurii, a circulo verticali *ZD*, 49 gradibus æqualem. Quapropter, additis *ZD* & *ZL*, erit angulus *DCL* 113 gr. 55 m. detracto quadrante *RCL*, ſupereſt angulus *DCR* 23 gr. 55 m. Hinc demitur *FCR*, par viſæ inclinationi orbitæ Mercurii ad eclipticam 8 gr. 15 m. & fiet *DCF* 15 gr. 40 m. Jam, ſi ex *P* in lineam *FC* ducatur perpendicularis *PN*, componitur triangulum *PNC*, in quo, ex angulis & hypothenuſa *PC* notis, perpendiculum utrumque *PN* & *NC*, vel calculo trigonometrico, vel ſcala partium æqualium, quod poſtremum, in diductiore ſchemate, abſque errore notabili licet, manifeſtatur. In præſenti exemplo *PN* eſt 4 m. 20 ſ. *NC* 13 m. 52 ſ. Aſſumto igitur motu horario Mercurii a Sole 5 m. 52 ſ. regula aurea pro linea *PN* dabit tempus 44 m. 11 ſ. Eſt autem linea *NC* diſtantia minima Mercurii a centro Solis, & *N* denotat medium ſemitæ ejus ſub Sole. *Euclid. Lib. III Propoſ.* 3. Ideoque additis 44 m. 11 ſ. ad hor. 10 m. 49 ſ. 20 *medium tranſitus* Mercurii per Solem, 11 h. 33 m. 31 ſ. innoteſcit. Porro quæritur dimidia via Mercurii *ON*, vel ſcala, vel reſolutione trigoni orthogonii *ONC*, cujus latus *NC*, cum hypotenuſa *OC*, ſemidiametro nempe Solis, datur; hoc loco *ON* eſt 8 m. 15 ſ. cui competit *tempus dimidiæ moræ* hor. 1 m. 24 ſ. 22, quo ablato ex 11 h. 33 m. 31 ſ. quo tempore planeta hæſit in medio ſemitæ ſuæ *N*, reſiduum aperit *momentum ingreſſus* 10 h. 9 m. 9 ſ. Denique dimidia mora addi-

ta medio, docet, *egressum* in *M* contigisse h. 12 m. 57 s. 53. *Tota duratio* spectaculi fuit 2 h. 48 m. 44 s. Praeterea, descripto radio *RC* normali ad eclipticam *ECL*, repraesentat ille portionem circuli latitudinis, & lineae *Oy*, *Nx*, *xM*, eclipticae parallelae, *latitudinem Mercurii* in principio, medio, & fine, sive lineas *yC*, *xC*, *sC*, definiunt. Hae latitudines ut cognoscantur, solvenda sunt triangula rectangula *OEy*, *NCx*, *MCs*, in quibus per problemata modo laudata semper anguli cum latere aliquo, vel duo latera, innotuerunt, atque ita *latitudo septentrionalis* patescit,

sub ingressum	*yC*	12′.	45″.
in medio	*xC*	13.	50.
sub egressum	*sC*	14.	50.

Crescebat enim latitudo, dum planeta, a nodo adscendente digressus, altius sensim supra eclipticam assurgebat. Discus Mercurii sub Sole ovalem vel ellipticam figuram referebat, cujus diameter oblique ad ejus semitam posita, & sub finem arcui verticali vere parallela erat. Proportio diametri utriusque planetae ad diametrum apparentem Solis, manifestavit magnitudinem diametri apparentis Mercurii majoris 19 s. 30 tert. minoris 15 s. 32 tert. aequalem. Mercurius sub Sole nigricabat paulo plus quam maculae, atmosphaerae autem, eundem ambientis, nullum indicium apparuit. Margini planetae occidentali colores iridis insidebant, qui maculis quoque solaribus adhaerere solent. Ceterum ea, quae de ingressu, medio, & egressu, dicta sunt, ex mea quidem observatione consequuntur. De quibus tamen illi certius statuent, qui planetam, in extremis semitae suae sub Sole punctis positum, spectarunt. Interim tamen aliquam hic commemorare emendationem libet, quam observationes superioris Seculi subministrant. Docuit enim Celeberrimus *Hallejus* in *Transact. Philos. Angl. num. 193 pag. 511*, qualia semidurationum transitus Mercurii sub Sole intervalla, cum notatis antea planetae distantiis a Sole visis, copulata fuerint, nec dubitat, numeros illos in posterum quoque ita sese habituros. Tribuit autem 14 minutis latitudinis visae semidurationem 1 hor.

hor. 24 m. Quamobrem latitudo a me observata 13 m. 50 s. postulat semidurationem 1 h. 23 m. &, assumto medio tempore, quod calculus observationum fide patefecit, 11 h. 33 m. 31 s. erit *correctum tempus ingressus* 10 h. 10 m. 31 s. *egressus* 12 h. 56 m. 31 s. Plura de hac observatione peculiari Programmate, d. 6 Januarii hujus anni vulgato, explicata sunt.

JOANNIS MATTHIÆ FLORINI, HIST. & Eloqu. in Acad. Nassavica Prof. Publ. Opuscula varia, & quidem maximam partem historici, politici, & publici Juris, argumenti, fide optimorum, medii inprimis recentiorisque ævi, Scriptorum, concinnata.

Tomus I.

Herbornæ, typis B. Joannis Nicolai Andreæ viduæ, 1735, 4. Alph. 2.

Opusculorum *Tomus primus* complectitur Dissertationes quatuor, *primam* de Germaniæ Vulpibus Academicis, *secundam* de *Fl. Jul. Crispi* Cæsareæ dignitatis decennalibus, & votis ejusdem vicennalibus, *tertiam* de Titulo Electoris, ejusque in curiis usu pragmatico, aurea Bulla longe adhuc recentiore, & *quartam* de Campo Francorum Madio, dedicatus Serenissimo Principi ac Domino *Guilielmo Carolo Henrico* Frisoni, Principi Arausionensi, & Nassavio Comiti. Quæ nunc Dissertationum formam susceperunt Opuscula, Orationum antea nomen sustinuerunt. In prima afferuntur Dissertatione de fatis morum ac rei literariæ penes Germanos haud tralatitia. Mirabitur lector, de origine Christianæ religionis, Christianarum Scholarum & Academiarum, ac trium vel quatuor Facultatum Academicarum, in Germania, hic copiose disseri. De novitiorum Academiæ discipulorum absurda divisione in vulpes, asinos, pennales, & candidatos, deinde agitur. Originem convicii *Schulfuchs* Autor non deducit cum vulgo a *Casparis Arnuri*, Thuringi, E-

thi-

thices Logicesque in Academia Jenensi quondam Professo-
ris, veste, quæ vulpina pelle erat suffulta. Convicii causa
deducitur ex novitiorum timido ingenio, cum ignavia con-
juncto. *Ludovicus* ipsi idem est, ac marte clarus, ex Franci-
Pag. 16. ca voce *blutho*, i. e. inclytus, & *wicgh*, marte. Tolbiacum,
20. victoria *Clodovæi* nobilitatum, per oppidum *Zulch*, prope Co-
loniam Agrippinam positum, pro more plerisque probato ex-
22. ponit. *Bonifacius*, Germanorum Apostolus, notatur, eo
quod politicis negotiis ac Regibus deponendis sese immi-
24 seq. scuerit. De Diis commentitiis veterum Germanorum obiter
quædam, limam exigentia, afferuntur. *Pusterum* certe eo-
rum numero eximendum esse, credere liceat. De *Joduta*
conferri potuissent *Mastrichtii* ac *Theodori Hasæi* Exercita-
28. tiones. Annalistam Saxonem cur Autor vocet *ineditum*,
causam non videmus, cum ipsum *J. G. Eccardus* in Corpore
Historicorum ævi medii typis publicis describendum curave-
35 seq. rit. De trivio, quadrivio, & scholis trivialibus, ea, quæ alias
satis sunt trita, solide repetuntur. *Augustinus*, sive primus,
sive inter primos, omnes artes liberales septenario inclusisse
videtur numero. *Boethius* paulo post jam meminit quadri-
vii. Locus Scriptoris vitæ *Meinwerci pag. 546 Tom. I
Leibnit.* est instar omnium, quem vel vicies legimus in hoc
49. argumento afferri solitum. Seculo superiori illi, qui recen-
tes a scholis in Academias accedebant, primis sex hebdoma-
dibus *vulpes*, 24 sequentibus *asini*, ac reliquis ad primi anni
54. Academici finem *pennales*, vocabantur. Ab *Arnuro vulpes*
57 seq. dici, negat Noster. Pennalismus circa annum 1610 fuit exor-
tus. Auditum eadem ætate convicium a *vulpe* ad studiosos
translatum, quod quidem nobis exinde videtur exortum,
quod recentes de scholis discipuli scortis callide, timide, &
clanculum, indulgerent in Academiis, qualem scortandi spe-
ciem vocarunt exinde *fuchsen*. Seniores enim solebant li-
73. berius rem facere veneream. In Legibus Francorum Salicis
jam convicium *vulpeculæ* animadversione dignum censetur.
Dissertatione *altera* illustratur æneum moduli minoris nu-
misma, in cujus antica *Constantini* simulacrum cubitale emi-
net

net cum epigraphe: *Constantinus Aug.* in postica eminet ara, cui inscriptum: *Votis XX.* Perigraphe est hæc: *Beata Tranquillitas.* Multa in ejus decursu habentur, quæ alibi poterant invenire locum, e. g. de *Augusti* titulo, de voce Σεβαςὸς, de *semper Augustis*, de *Cæsaris* encomio. Indicatur parte Dissertationis posteriori, numo commemorato designatum esse monumentum augustæ vicennalium *Constantini M.* majestatis, & Cæsareæ *Crispi* inprimis dignitatis, editorum Decennalium, conceptorumque votorum vicennalium. Quinquennalia & decennalia ab *Augusti* temporibus deducuntur. Discrimen inter decennalia & vota decennalia additur. De habitu capitis, in adversa numi expresso, afferuntur lectu jucunda. Tribuitur primus Pag. 143.
diadematis usus *Aureliano*, Imperatori, post quem *Constantinus M.* habitum regium gemmis, & caput diademate, exornaverit. De antiquitate *cassidis* quis non legeret libenter ea, quæ manu haud avara promuntur? Subscriptio numi habet compendium hoc scripturæ PTRO, quo ipso indicatur, eum *percussum* esse in *TRevirorum oppido*, quod *Crispi* erat sedes. Seculi quarti annus sextus fuit is, quo *Constantius Chlorus* obiit, & quo *Constantinus* filius sese Imperatorem & *Au-* 139.
gustum appellavit, *Josepho Scaligero* & ipso *Eusebio* autoribus. Decennio *Constantini* exacto, ad clavum sedentis, *Crispus*, 141.
teste eodem *Eusebio*, *Cæsar* fuit denominatus. Quare filius edidit vota decennalia, cum pater vicennalia celebraret, id est, anno 436. Caput *Constantini* in numo, cujus mentionem fecimus, non est nudum, neque laurea cinctum, sed vel diademate, vel casside, ornatum. *Constantius Chlorus* Tre- 149.
viris collocavit palatium suum, ac *Constantinus*, filius, cum in hoc Belgicæ primæ capite per sex annos aulam fixisset, *Crispo Cæsari* hunc terrarum tractum cum urbe ad defendendum Galliæ limitem reliquit. Conf. *Schurzfleischii Oper. histor. polit. Diss. XI §. 6.* Ipse Autor compendium scripturæ PTRO legit *pecuniam Treviris obsignatam*, cum *Jo-* 151.
berto ac *du Fresnio*, aliisque. Votorum summam *Plinius Lib. X Epist. 60* breviter expressit. In Dissertatione III Autor osten- 156.

 dit,

dit, Septemviros Principes medio demum Seculo XV usum tituli Electorum pragmaticum in curiis adhibuisse, id quod
Pag. 210. facile e Diplomatibus comprobari potest. Qui, Septemviros eligentes statim post auream Bullam sese in Diplomatibus suis appellasse Electores, credunt, ii, a certis monumentis derelicti ac destituti, perhibent ea, quæ adhuc fide Diplomatum evinci haud potuerunt.
237. In Dissertatione IV, *de Campo Madio*, describitur mensis Maji celebritas, inprimis ejus Calendarum: campum olim pro duello, seu certamine singulari, sumtum, ostenditur: locum fuisse comitiorum & generalium & particularium, additur:
256. tempus coeundi primo Calendis Martii adstrictum, unde *Campi Martii* appellatio: judicia sub dio habita: locum non semper electum eundem. Ut *Tomum II* Dissertationum consimilium Autor Cl. nobiscum communicare ne dedignetur, id vero est, quod ex animo vovemus.

CALENDARIUM FESTORUM DIERUMque mobilium atque immobilium perpetuum, in usum Chronologiæ historicæ & rei Diplomaticæ ita adornatum, ut dati quilibet mensium dies, medii ævi more notati, sine mora cum nostro computandi modo componi possint. Præmissa Præfatione, usum ejus edocente, a JO. JACOBO RABE, V. D. M.

Onoldi, typis & sumtibus Jo. Val. Lüders, 1735. 4. Alph. 1.

Cum alia multa obscura & impedita vetus habet Calendarium, tum etiam, qui Seculo XII, maxime apud Belgas, Germanos, & Gallos, accessit, ille mensium dies nominibus festorum, tam mobilium, quam fixorum, indicandi modus, vix uni aut alteri adhuc fuit cognitus. Astronomicum subducere calculum, & hujus ope ad hodiernum morem computare dies, paucissimis datum est eorum, qui historias amant, reique Diplomaticæ studium. Laudem suam

ſuam fert a poſteritate magni Corporis Diplomatici Collector, *Jo. du Mont*, quod primus Chronologiæ hac etiam in re lucem affundere conatus eſt: qui non tantum Diplomata ſerie temporum digeſta compoſuit, ſingulisque menſem ac diem hodierni Calendarii annotavit, ſed etiam tabulas inſerere promiſit, quarum ductu difficillima quæque tempora data ſine negotio ad æram vulgarem redigi poſſent. Jam, cum Autoris morte vix hic ſperandus ſit labor, difficultatem tollere ſtuduit Vir Rev. *Jo Jac. Rabe*, B. *Jo. Phil. Schneideri*, Conſil. Aul. & Archivarii Onoldini, *Calendarium feſtorum immobilium*, quod in uſum tabularii confecerat, evulgando. Quod quidem Calendarium cum, clave amiſſa, quaſi foret obſeratum, uſui ſuo illud reſtituit Vir Rev. & diligenter Latine Pag. 6 ſeq.
pariter atque Germanice per regulas & exempla demonſtra- 15 ſeq.
vit, quo pacto quilibet dies immobilis evolvendus ſit. Addi- 17 ſeq.
tus quoque Index, qui ordine alphabetico frequentiora Sanctorum Sanctarumque nomina, & menſium dies, qui illis ſacri ſunt, magno lectorum commodo, proponit. Deinde, ad exemplum Calendarii *Schneideriani*, feſta quoque mobilia diſponere aggreſſus eſt, & aperte ſimul clariſſimeque indica- 7. 107 ſeq.
vit rationem, pari facilitate dies menſis, in quem dato quolibet anno incidant, reperiendi. Subnectitur fertile ſpicile- 178 ſeq.
gium obſervationum de datis Diplomatum, quibus dies menſium indicantur, quarum præſtantiſſimas hic repetere viſum eſt: I) *Nullam inveni Bullam papalem, cujus datum Sancti nomine, vel die feſto, fuerit notatum: in omnibus contra uſi fuerunt faſtis Romanis.* II) *In omni Codice Diplomatico Italiæ Lunigii vix ſingula exempla, eaque ſola inter Diplomata Ducum Sabaudiæ, circa finem Sec. XIII, inveneris, ubi talis ſubſcriptionis forma fuerit uſurpata.* III) *In vaſto Opere* Rymeriano *pauciora etiam inveni exempla: ut modus iſte ſubſcribendi adeo etiam in Anglia parum fuerit uſitatus.* IV) *Verſiones Diplomatum Germanicæ ſæpe data Latinorum ſecundum faſtos Romanos exprimunt per feſta.* V) *Antiquiſſima mentio dierum feſtorum ſanctorumque in Diplomatibus Belgicis occurrit apud* Miræum *de A. 1026*, &c. VI) *Recentiſſima, quam reperi,*

eſt anni 1575, &c. Inde ſequuntur aliquot ſubſcriptiones, quarum errores ad ſuum Calendarium expendit & feliciter corrigit Autor. Nemo non agnoſcit doctiſſimi Viri peritiam diligentemque induſtriam, qui, inter ſacri miniſterii labores, id, quod hiſtoriarum ac rei Diplomaticæ ſtudioſis hac in parte deeſſe adhuc videbatur, pro virili docuit ac demonſtravit. Sane nunc habet Lector prope conſummata ſtudii Diplomatico-Chronologici adjumenta: 1) *Mabillonii* doctrinam de notis Chronologicis, ſive datis, Diplomatum, *ſex* ultimis *Libri II Capitibus* comprehenſam; 2) Rev. Abbatis Gottwicenſis operam, qui per ſeriem Imperatorum, qua quisque ratione tempora notaverit in Diplomatibus, oſtendit; 3) *Kœleri* Directorium *Freherianum* de annis indictionum Romanarum, itemque de annis regni & imperii Regum & Imperatorum; 4) *Haltauſii* Calendarium medii ævi de obſcurioribus dierum feſtorumque nominibus Germanicis; denique 5) hoc, quod commendamus, Calendarium.

Coronidis loco emendamus Feſtum S. *Martini*, quod ex *Ludewigii* Reliquiis MSt. *Oſartini* allegatur. Simul explicare tentabimus binas Diplomatum Gallicorum ſubſcriptiones, quas & *Jo. du Mont*, & Cl. *Rabe*, intactas reliquerunt. Eſt autem prior: *Le maicredy aprés la quinzaine des Bordes* h. e. *dies Mercurii poſt dominicam Invocavit*. Altera: *Le Lundi aprés les bures li vingt ſeptieme jour du mois de Feburier*, i. e. *die Lunæ poſt Dominicam Invocavit*. Nam *Bohourt*, *Behourt*, & contracte *Bord*, *Bure*, Latine *Bohordicum*, fuit olim haſtiludii genus, quod inde a die Jovis ante Dominicam Eſto mihi, ſive prima & ſecunda Dominica Quadrageſimæ, ante jejunium rigidum, in Galliæ provinciis celebrabatur. Vid. *Cangii* Gloſſarium ſub *Bohordicum*. Qualia ludicra certamina etiam inter Germanos circa idem tempus agitata vocabantur *Rinne Tage* æque a ludis equeſtribus.

FRIDERICI OTTONIS MENCKENII Carmina.

Lipſiæ,

Lipsiæ, in officina Gleditschiana, 1737, 8 maj.
Plag. 14½.

In tanta Poetarum Latinorum paucitate, quam ætas nostra videt, qui carmen Musis & Apolline dextro deducit, eum necesse est agitante calescere genio, & mentis viribus excitari, &, quod de *Archia* Poeta dixit *Cicero*, *quasi divino quodam spiritu inflari.* Nec id possumus non agnoscere in *Menckenio* nostro, quem post patris obitum hæc *Acta* habent & ἐργοδιώκτην & *σύνεργον* non indiligentem. Is enim, ingenium sortitus poeticum, inde a puero severioribus studiis adjunxit artem hanc Palladiam, naturæ suæ secutus semina. Recte vero naturam judicavit adjuvandam studio, & nobilissimorum prisci ævi Poetarum crebra lectione. Quod igitur insurgere valet cothurno heroico, hunc esse fructum fatetur suæ cum *Virgilio* familiaritatis. Quod elegiam non sine lepore, nec sine facilitate, fundit, ejus laudis partem aliquam pertinere concedit ad *Ovidium*, quem quippe sibi proposuit imitandum. Illud denique, quod modo Sapphicum, modo Phalæcium, haud invita Minerva pangit carmen, *Horatio* & *Catullo* se debere agnoscit, similibusque Phœbi sacerdotibus. Apparet & inde ejus naturæ impetus ad fundendum carmen, quod, ubi semel canere cœpit, non stillat versus, sed magno veluti flumine, fluctu fluctum trudente, ejicit animi sui cogitata. Cujus rei ut vel unum proferamus exemplum, *pag. 33 seq.* Carmen exhibetur gratulatorium, centum quadraginta quinque constans versibus, & tamen quinque duntaxat periodis.

Ne autem idem suis poematibus accidat, quod scriptis similibus accidere sæpissime videmus, providendum duxit editione hac conjuncte repetita plerorumque ab se conditorum Carminum. Ac *duos* ea redegit in *Libros*, quorum *priorem Librum miscellaneorum* inscripsit, *posteriorem Librum hendecasyllaborum.* Frustra autem quæres hic, Lector, versus stimulante Cupidine effusos. Odit enim Poeta noster hos præclarissimæ artis abortus. *Nam qui fieri possit*, inquit in Præfatione, *ut, quæ alios scriptores omnes valde dedecere judicantur, eorum venia uni præ ceteris*

detur carminum ſcriptori? In *Libro* igitur *priore* ſiſtuntur gratulationes heroicæ ad Reges Poloniæ; Odæ Sapphicæ lugubres in obitum Reginæ Poloniæ, *Buddei*, & *Wachtleri*; heroica Carmina in principum Saxoniæ virorum nuptias & novas dignitates; in mortes item magnorum utriusque ſexus hominum; gratulatio elegiaca ad Cl. *Hebenſtreitium*, iter parantem in Africam: ut cetera hujus libelli Carmina prætereamus ſilentio. Illud vero minime illaudatum dimittere debemus, quo *pag. 57 — 109* laudes canit Lipſiæ ſuæ: e quo ſpecimen proferimus hoc, quo mentionem facit Academiæ *pag. 99:*

Nunc quoque ſit noſtro celebrata Academia cantu.
Dic, licet, excelſam Philyren ſub mœnibus altis
Laudis habere nihil, nihil eſſe, quod urbibus olim
Non dederit fortuna ſuis, ſit pauper, & omni
Nuda nimis lauro, ſit turpi ſordida cultu,
Et nullis dilecta Diis; te, Lipſia, celſæ
Efferet ad Superos doctrinæ ſplendor & artis.
Stat ſenior meritis, cano & venerabilis ævo,
Ter ſtetit alta ſuis rediens Academia ſeclis,
Ter longum perrupit iter, nec firma lacertos
Deſtituit virtus, validos nec robora nervos.

Paucis interjectis, ita pergit *pag. 100:*

Mens mihi ſæpe ſtupet, mecum dum cogito ſummos,
Quos habuit Philurea, viros, quos ampla nitensque
Non patitur doctrina mori. Quem nomina docti
Meureri Crocique *latent, celebrisque* Moſellæ?
Emicuit priſco magnus Camerarius *ævo,*
Piſtorius*que ingens: at proxima tempora noſtris*
Dant Rechenbergos *altos,* Oleas*que virentes,*
Nunc Ettmulleros *medicos,* Rivos*que fluentes,*
Quosque tacere nefas, magnum par Carpzoviorum.

Adjicimus & ex *altero Libro* felicis venæ documentum, nihil præter gratulationes, ad amicos, honoribus novis vel novo fulgentes munere, ſcriptas, complexo, ultimo excepto Carmine, Satyra in nummularium quendam, abitum Lipſia pa-

parantem. De hoc igitur hunc in modum inter cetera ludit *pag. 214:*

Est, est, ingenium tuum profecto
Arti, quam sequeris, favens & aptum.
Est, inquam, varium, parumque constans,
Partes se facile movens in omnes,
Nunc has, nunc alias, amans figuras,
Nunc hos, nunc alios, probans Penates:
Est mutabilius chamæleonte,
Est versatilius rota molari,
Cauda mobilius canis tenelli;
Nil diu tibi, nil solet placere,
Quantumvis nitidum sit & venustum,
Delectetque alios, statim sed omne
Elabi manibus sinis, fugisque;
Quæ laudas hodie, colis, probasque,
Cras damnas eadem, tibique sordent.

Recordamur hac occasione longæ in rabulas Satyræ, quam immiscuit gratulationi, ad novum Jurium Doctorem exaratæ, *pag. 176 — 186;* quam cum reprehendissent nonnulli, quibus ea visa fuit in sacratum Themidi ordinem injuria, obtestatur hic in Præfatione quosvis, ut credant, se odisse quidem caninam istam & vulturinam facundiam, at veros Juris justitiæque cultores cultu se prosequi & serio & maximo.

HENRICI STEPHANI DE ABUSU LINGUÆ Græcæ in quibusdam vocibus, quas Latina usurpat, admonitio. JO. HENR. KROMAYERI, Prof. Jen. Annotationibus nondum editis instructam, denuo publicavit FRID. GUIL. ROLOFFIUS, Berolinas.

Berolini, sumtibus Christoph. Gottl. Nicolai, 1736, 8.
Plag. 13.

Ut quam citissime initium scribendi, edendique aut sui, aut alieni, partus ingenii, faceret doctissimus, & a laudabili rem literariam juvandi ardore nobis commendatissimus, *Roloffius*, hunc *Stephani* libellum, de quo mira prædicat, denuo vulgandum

dum ſtatuit, *Kromayerum* aliquid animadverſionum rogavit, ipſe tres paginas annotando implevit, Ill. *Heineccio* fœtum inſcripſit. *Kromayerus* doctorum aliorum ſimiles *Stephani* argumento diſputationes paſſim indicavit; ipſe, quantum ætas, ingenium, doctrina, tulit, in eum conjecit. Ipſum *Stephani* libellum, ut reliqua ejus, optimum poſſis exiſtimare; acceſſiones has novas, quia copia non laboratur, modeſtas; Praefationem denique, quia plurimi viri docti ingentibus ad favorem benevolentiamque laudibus ſollicitantur, officioſiſſimam.

HENRICI STEPHANI PSEUDOCICERO; EJUSdem Diſſertatio de Plauti latinitate; Epiſtola de ſtatu ſuæ typographiæ, & artis typographicæ querimonia. Præmittitur HENR. STEPHANI vita, Autore THEOD. JANSS. AB ALMELOVEEN. Collegit, & editionem curavit, FRID. GUIL. ROLOFFIUS, Berolinas.

Halæ, ſumtibus Orphanotrophei, 1737, 8.

Alph. 1 plag. 9.

Alterum hoc ſpecimen eſt induſtriæ *Roloffianæ*, in edendis aliorum ſcriptis conſumtæ. Quæcunque hic legis, *Stephani* ſunt & *Almeloveenii;* quod *Roloffio* acceptum referas, præter Præfatiunculam, nihil eſt. De eo enim, ut ad *Ciceronis* locos, quibus in diſputando utitur *Stephanus*, repeteret, aut indicaret ſaltem, quæ eruditiſſimi viri, *Ciceronis* editores, diſſeruiſſent poſtea, adeo fuit ſecurus, ut, nihil uſquam de ſuo addendo, dubium relinquere lectoribus videatur voluiſſe, plusne libello ornamenti de ſuo nomine, an vero ſibi ex libello, acceſſerit. Cumque adeo hic novi nihil, nec, quod non alius quisque, quam *Roloffius*, dare potuiſſet, quidquam, reperiatur, nihil quoque eſt, quod Lectores amplius moremur, niſi ſcire velint, eum in Præfatione affirmaſſe, *ſibi, edito ſimili trium chartarum libello, autores extitiſſe, ut in raris Opuſculis edendis pergeret: has Diſſertationes raras eſſe: etiam de utilitate* Stephani *nomen dubium nullum facere: hunc Pſeudociceronem vero adeo egregium eſſe, ut, licet omnia ejus præclara in Lexica jam translata ſint, præſtet tamen ipſa Autoris verba rationesque cognoſcere: de reliquis idem eſſe judicium debere; ſupereſſe, ut lectores ſua hac opera fruantur; ſe itinere impediri, quo minus plura præſtetur.*

* * *

No. IX.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXXXVII.

CODEX THEODOSIANUS, CUM PERPEtuis Commentariis JACOBI GOTHOFREDI, Viri Senatorii, & JCti superioris Seculi eximii. Præmittuntur Chronologia accuratior, Chronicon historicum, & Prolegomena. Subjiciuntur Notitia Dignitatum, Prosopographia, Topographia, Index rerum, & Glossarium nomicum. Opus posthumum, diu in foro & schola desideratum, recognitum, & ordinatum ad usum Codicis Justinianei, opera & studio ANTON. MARVILLII, Antecessoris primicerii in Universitate Valentina. Editio nova, in sex Tomos digesta, collata cum Codicibus MStis, antiquissimo Wurceburgensi, Gothano, & libris editis, iterum recognita, emendata, variorumque observationibus aucta, quibus adjecit suas JO. DAN. RITTER, P. P.

Tomus II.

Lipsiæ, apud. Maurit Georg. Weidmannum, 1737. fol.
Alph. 8. plag. 4.

Annus elapsus est, ex quo Operis præstantissimi *Tomus I* lucem vidit; tumque in Præfatione addita Cl. Editor exposuit instituti rationem. Et, quamuis sperandum esset, absoluto *Tomo I* laborem reliquum tot tantasque difficultates non mo-

turas esse, spes tamen omnis concidit, postquam diligentissima inspectione tantum lacunarum numerum in reliquis *Tomis* Cl Editor deprehendit, atque tot loca depravata observavit, ut, iis restituendis, corrigendis, supplendisque, haud exiguum temporis spatium dari posse, mox ad animum adverteret. Cum vero multi sint, quibus omnia levissima primo videntur intuitu, atque etiam pauci soleant, quamvis ii sint magni *Gothofredi* maximi admiratores, opus posthumum accuratius inspicere, sed famam sequentes vulgatissimam, nihil in eo, nisi quod perfectissimum sit ab omni parte, inveniri judicent, Cl. Editor in Præfatione, huic *Tomo* addita, exempla iis nonnulla in oculis posuit locorum, partim male se habentium, partim etiam lacunarum, quas porro in insigni libro noluit superesse. Loca autem, quæ depravata sunt mirifice, a primo Operis editore, Cl. *Marvillio*, male intellecta esse, & alibi collocata, quam quidem fieri debebat, facile licet conjicere; cujus rei exemplum habes *leg. 13 de re militar* ubi *not. h* ad verba, *commune poculum*, *Gothofredus* notat, *commune poculum flumen eleganter vocatur*, &, sententia ex *Virgilio, Apulejo, Lampridio, Solino*, probata, claudit, *quomodo & infinitis locis apud Marcellum Empiricum.* Sed cum his conjunxit *Marvillius* sequentia: *Donatus Adelph. Act. 4 Sc. 6 de valde significat. Item Hecyr. Act. 5 Sc. 2, dejerat, si producte valde jurat*, & plura alia, quæ omnia retrahenda sunt ad *not. l*, ubi de voce *deproperus*, *Gothofredus* differere constituit. Ita Commentarius *leg. 25 de Curs. publ.* male cohærebat cum *not.* *, qui erat separandus, & in *leg. 11 d. t. not b* de *Helpidio* legebatur, *Meminit & Libanius Oratione adversus Polyclem*, & *Ammianus Marcellinus in gest. an. 360 vel 361 Lib. 21 pag. 200, qui ubique eum proscribit, quia Christianus est*, quæ ultima verba ad *Libanii* locum retrahenda sunt. Et, cum in Commentario *leg. 35 de Curs. publ.* legis hujus emendationem *Gothofredus* tentat, sequentia scribens: *Ne supra assium numero reda moveatur: quæ procul dubio corrupta sunt: ubi putet quis reponendum supra assignatum, vel supra adscriptum numerum. MStus habet supra assium*,

ſium, forte ita ſcriptum oportuit ſupra aſſium, nihil plane emendatum obſervabis, cum tamen ex mente *Gothofredi* reponendum eſſet *ſuprAſſgn.* qua de re Cl. Editor in adjecta quoque nota paucis dixit. Sed & quædam *Gothofredus* ipſe in ſchedas ſcripſerat ſuperficiaria opera, ob ſpem, quam habebat, opus ſuum relegendi, dum ederetur, quæ hominem licet aſſiduum in laboribus & pertinaciſſimum, plurimum vexare poſſunt, quorſum referenda illa loca, quæ aliis plane Autoribus adſcripta ſunt; cujus rei habes exemplum inſigne in Commentario ad *leg. 5 ne quid publ. lætit. pag. 636*, ubi ex Homilia *Chryſoſtomi* εἰς τίμιον ςαυρὸν, verba quædam recitata vides, quæ dum Cl. Editor, multis perlectis S. Patris *in ſanctam crucem Orationibus*, invenire non poſſet, in adjecta nota alia dedit exſtantiſſima ſcriptorum verba, ſed, impreſſis jam plagulis, quod in Addendis videbis, locum, falſo *Chryſoſtomo* tributum, invenit apud *S. Damaſcenum Orat. 3 de Imagin. ex Orat. 4 Severiani Gabalorum* εἰς τὸν τίμιον ςαυρόν. Atque idem non raro in hoc ipſo *Tomo* accidit. De lacunis, quas ſuppletas videbunt Lectores, ita olim jam *Marvillius* in *Præfat. fin. Altera accuſatio erit, quod lacunæ remanſerint in quibusdam allegationibus, quæ ſuppleri poterant; verum condonabis, ſi certior factus ſis, Manuſcriptum Autoris ſæpe ita conciſum, mutilatum, ne dicam imperfectum, fuiſſe, ut non unius menſis vel anni opera in plurimis ad ſuum ſenſum vel ordinem revocandis ſuffecerit: cujus rei teſtis eſt Vir Clariſſimus in Epiſtola ad Commentarium hujus Autoris de regulis juris antiqui.* Sed ex tot lacunis, in hoc *Tomo* obvenientibus, nulla omnino in nova editione relicta eſt, quas Cl. Editor ſuppleviſſe ſe dicit, non ſuperficiario ſtudio, ſed diuturno inſtituto examine, &, ut de iis judicium quoque ferre poſſent lectores, & ex membris quaſi detruncatis totum æſtimare corpus, ex ultimis plagellis exempla quædam lacunarum adjecit. In *Comment. leg. 22 de C. P.* illa*: nempe Parhippus, qui præter veredum ....* & *ſarcina ....* ex *Gothofredi* mente ex *Gloſſario nomico* ita legi voluit: *Nempe Parhippus erat equus avertarius, qui ſarcinæ ſive avertæ ferendæ aſſu-*

aſſumebatur. In *leg. 11 de Cohortalib.* in *Commentar.* illa: *Hic idem Feſtus poſt adminiſtratam Syriam Magiſter memoriæ fuit, ut idem Marcellinus docet, & Suidas in voce Φῆϛος, ex Eunapii hiſtoria ibi: τὴν δὲ βασιλικὴν γλῶσσαν ἐπεπίϛευτο: quæ alioquin verba non cepit interpres ejus, imo & mutare inſtituit. Sic de Nimphodiano .... Epiſtolam Græcam, ὁ αὐτοκράτωρ αὐτῷ καὶ τὴν βασιλικὴν γλῶσσαν ἐπέτρεψε,* ita diſpoſuit: *Hic idem Feſtus poſt adminiſtratam Syriam Magiſter memoriæ fuit, ut idem Ammianus Marcellinus docet, & Suidas in voce Φῆϛος, ex Eunapii hiſtoria ibi: τὴν δὲ βασιλικήν γλῶσσαν ἐπεπίϛευτο, quæ alioquin verba non cepit interpres ejus, quando vertit, fiſci regii curator; imo & mutare inſtituit. Sed ſic & de Nymphidiano, qui Juliano etiam ab Epiſtolis Græcis fuit, idem Libanius in Vita Nymphidiani pag. 177 edit. Commelin. ὁ αὐτοκράτωρ Ἰȣλιανὸς αὐτῷ καὶ τὴν βασιλικὴν γλῶτταν ἐπέτρεψε, huic Magiſtri memoriæ munus commiſit Julianus.* Ibidem illa: *Quibus addo, quod ſorex indicio ſuo ſe prodit, cum extra propoſitum ſuum notat, Alexandrum Imp. ſcriniorum Magiſtrum habuiſſe Ulpianum, Juriſconſultorem. Quod extra ..... ab eo notat ..... ta ſeque quoque ....* ita reſtituit: *Quibus addo, quod ſorex indicio ſuo ſe prodit, cum extra propoſitum ſuum Cap. 22 notat, Alexandrum Imp. ſcriniorum Magiſtrum habuiſſe Ulpianum, Juriſconſultum. Quod extra propoſitum ab eo factum notat, ita ſeſe quoque Valenti Auguſto commendare voluiſſe.* Probare enim inſtituit ibidem, *Feſtum* hunc eundem eſſe, cujus *Breviarium* exſtat ad *Valentem* Imperatorem, putatque citato *Cap. 22,* ſoricem ideo indicio ſuo ſe prodidiſſe, cum idem officium ſub *Valente Feſtus* adminiſtraret, quod *Ulpianus* ſub *Alexandro.* Vexatiſſimum autem fuiſſe locum ſcribit Cl. Editor, qui occurrit in Commentario *leg. 6 de diverſ. Off.* de Pædagogianis: *Erant ſcilicet ſcita forma & egregio cultu ſive Adulti. Adultus (inquit Ammianus Marcellinus Lib. 29) quidam ex his, quos Pædagogianos appellant; ſive pueri. Inſcriptio vetus 585 7. T. Flav. Aug. Lib Ganymedi, Pædagogo puerorum. Et exinde .... torum principum,* quæ vel

vel omni divinationis genere adhibito ex mente *Gothofredi* restitui & suppleri potuisse, vix sperandum erat, nisi observatum fuisset cito, omnia de *Pædagogis* exscripsisse *Gothofredum* ex *Gutherio*, & inter alia etiam illa, *& exinde in deliciis perditorum Principum*, quæ jam nemo dubitabit hoc loco inserenda esse. Alia adjecit exempla, ex innumerabilibus, ut scribit, quo haberent lectores, de quo possent ferre pro arbitrio judicium. Addit, omnium ut satisfieret desideriis, non tantum indicasse Autores atque loca illa, ex quibus *Gothofredus* profecerat, sed & aliquando integra addidisse, atque, quæ confuse exstabant, ordinasse, ut paucissima sint reliqua, quæ medica manu sanari non potuerint, quorum loco tamen in notis adjectis ex antiquis probatissimisque Autoribus alia addita videbunt Lectores. Contulit præterea Doctiss. Editor MStum Codicem *Legis Romanæ*, quem ex Bibliotheca Ducali Gothana secum communicatum prædicat. Variantes lectiones, in eo occurrentes, atque ad *Tomum I* pertinentes, addidit ad calcem hujus *Voluminis*, & quidem plerasque, paucissimis neglectis, eo fine, ut videant lectores, eo Seculo, quo conscriptus liber videtur, Juris Romani cultoribus glossas fere magis placuisse, quam quidem genuina & antiqua illa legum verba. Sed sunt tamen inter has lectiones quædam, magno omnino in pretio habendæ. Ex eo Codice publicavit *Chronicon* breve *Longobardicum*, a gentis primordiis usque ad *Pipini* Regis tempora continuatum, in quo nonnulla leguntur, quæ ad illustrandas res Longobardicas faciunt. Et partim ex fine Chronici, partim ex ipso charactere, cujus exempla in æs incisa videre possunt Lectores, de ætate Codicis pronuntiavit, eumque Seculo IX scriptum aut dictatum a Longobardo, & quidem Clerico, statuit Cl. Editor. In ipsa autem Præfatione, servato temporis ordine, disseruit de Jure, quo in Italia usi sunt, inde ab Herulorum irruptione in eam provinciam, ad illa usque tempora, quibus Jus Justinianeum denuo quasi resuscitatum est. Sub Herulis *Theodosianum Codicem* simul cum Novellis Principum Constitutionibus, qui tum pro lege erat, Italis non fuisse ereptum, probat Editor partim ex Pa-

triciatus dignitate, quæ, referente *Malcho*, Rhetore Philadelphensi, *Odoacro* Herulo a *Zenone*, Augusto Orientis, collata fuerat, & vi cujus quasi imperii adjutor Herulorum Rex agebat, docente *Paulo Forojuliano* de gestis Longobardorum: partim etiam ex Præfatione Edicti *Theodorici*, Ostro-Gothorum Regis, id liquere contendit; Herulis autem pulsis ab Ostro-Gothis, *Theodorici* Regis Edicto confecto, supplementum quasi novum accessisse ad *Theodosianum Codicem*, simulque Gothis scriptas leges datas, cum hactenus moribus vixissent. Id autem Edictum cum breve esset, neque omnibus omnino casibus in foro obvenientibus satisfaceret, & *Codicem Theodosianum*, & patrios Gothorum mores, observatos fuisse in litibus dijudicandis, ut patet ex fine Edicti: *quæ comprehendere nos Edicti brevitas, vel curæ publicæ, non siverunt, quoties oborta fuerint, custodito legum tramite terminentur.* Romanis tum Gothisque separata fuisse judicia, docuit Cl. Editor ex *Cassiodori Variis*, ipsum Edictum autem editum An. Dom. D in Decennalibus *Theodorici* Regis, probat partim ex Chronico Alexandrino, partim ex Anonymo *Valesiano*; imo ex occasione, qua datum est, primum tantum caput illustrari debere existimat, quo sancitum, ut judex capite puniatur, qui acceperit pecuniam, & contra leges jurisque publici cauta judicaverit. Edictum enim *Theodoricus*, motus judicum inprimis Romanorum iniquitate, qui per multos annos maximo cum litigantium damno lites trahebant, promulgaverat, docente *Chron. Alexandrin. pag. 757 edit. Rader.* Mortuo *Theodorico*, sub imperio nepotis, *Athalarici*, atque *Amalasventhæ*, matris, Senatui populoque Romano omnibusque Italis eadem jura non tantum conservata fuisse, sed & Principum Romanorum Constitutiones, quæ in desuetudinem abierant, iterum revocatas in usum, atque commendatas judicibus, multis atque indubitatis exemplis probatum a Cl. Editore ex *Cassiodoro*. Et, licet, occisa *Amalasventhæ*, *Justinianus* bellum contra Ostro-Gothos gesserit, imo jam A. D. 536 Romam occupaverit, & forte tum in regia hac urbe Jus, a se conditum, publicaverit, docentibus id illis in Pragma-

gmatica Sanctione *Cap. 11: Jura insuper vel leges Codicibus nostris insertas, quas jam sub edictali Programmate in Italiam dudum misimus*, Leges tamen *Justiniani* non prius autoritatem accepisse statuit Cl. Editor, quam A. D. 554, post Cos. *Basilii* XIII, aut XIV. Licet enim *Totilas* jam anno 552 fusus & vita esset spoliatus, remotus etiam esset *Tejas*, aut anno eodem, aut certe sequentis initio, finem tamen bellandi demum factum anno 554, quo Gothorum reliquiæ, ad incitas redactæ, ex Italia deportatæ sunt, quod patet ex *Agathia Lib. II pag. 49, 50, edit. Par.* Et Pragmaticam Sanctionem de statu Italiæ, quam *Julianus* Antecessor servavit, anno etiam 554 ad *Antiochum*, Præfectum Italiæ, datam, expressis verbis fidem facere, hoc anno demum & Italiam post diuturnam avulsionem cum imperio unitam esse, & communes leges habere cœpisse. *Cap. 11: Ut una, volente Deo, facta republica, legum etiam nostrarum ubique prolatetur autoritas.* In annum etiam 554 scribit Cl. Editor incidere *Tricennalia Justiniani* Augusti, in quibus, quæ ad Principis gloriam, atque ad universi imperii bonum, videbantur conducere, facta sunt, cumque in *Quinquennalibus* promulgaverit Codicem suum *Justinianus*, non fuisse tempus publicationi legum in occupata recens provincia magis accommodatum, quam quidem Tricennali sacrum gaudio. Atque ab hoc tempore Jus *Justinianeum*, non vero aliud, valuisse in Italia probat sub Longobardis, usque ad *Caroli M.* tempora, qui, occupata Italia, & domitis Longobardis, *Legem Romanam*, qua utebantur Franci, in fora Italiæ introduxerit. Huic legi addictos fuisse in Francia & homines Ecclesiasticos, & reliquias inprimis Romanorum inter Francos, Compendio hoc *Alaritiano* gavisas, scribit, sed brevibus, cum supervacaneum putaret, multa congerere loca, quod vel unus hac in re satisfecerit omnibus elegantissimi ingenii JCtus, *J. G. Heineccius*, in *Hist. Jur. Lib. II §. 18*, de autoritate legis Romanæ inter Francos differens; quem libellum Cl. Editor molis non magnæ, sed ponderis maximi, pronuntiat. A *Caroli M.* autem ævo cessasse omnino Jus *Justinianeum* in Italia, existimat Doctiss. Edi-

Editor, quia in monumentis publicis, his temporibus conditis, non alius Juris mentio, quam *Legis Romanæ;* 2) quia Franci, Italiæ domini facti, notissimam habebant eam legem, & tanto majoris faciebant, quo majus ejus erat æstimium apud Clerum; 3) quia Judices Franci cum laude didicerant secundum hanc legem in Francia causas controversas inter Romanos decidere; 4) quia sine Codice legum, secundum quas vivendum erat, & causæ decidendæ, Itali, & inprimis Roma, esse non potuerint; sed incognita diu fuisse Digesta, fabulas esse, quas spargunt de Codice Ravennatensi, *Legis* autem *Romanæ* Codices MStos plurimos inveniri in Bibliothecis Italiæ, imo secundum hanc jam invento Jure *Justinianeo*, & denuo introducto in fora, in ipsa civitate Pisana jus dictum fuisse, & in aliis quoque urbibus Italiæ, multis adductis, probat. Jus autem *Justinianeum*, diu latens, casu inventum, privata autoritate discipulis prælectum, fato quasi urgente sensim caput altius extulisse, cumque Principibus placeret, qui etiam Juris publici controversias ex eo Jure decisas magno cum applausu audierint, atque illi, qui in elucidandis recens inventis legibus, pro captu seculi, toti erant, non tantum ambitioni, sed lucri cupiditati, satisfacere potuerint, vix regionem in omni Europa fuisse, scribit, quæ non habuerit amatores atque admiratores Juris *Justinianei*.

HISTOIRE LITERAIRE DE LA FRANCE &c.

h. e.

HISTORIA LITERARIA GALLIÆ, IN qua agitur de origine & progressu, decremento & instauratione, scientiarum in Gallia & Francogallia, de ingenio Gallorum, ac studio, quo in literas quovis Seculo incubuerunt, de priscis scholis, de Academiarum in Gallia institutione, de primariis Collegiis, de societatibus scientiarum, literarumque elegantiorum, de præstantissimis Bibliothecis, veteribus & recentioribus, de typogra-

pographiis celebrioribus, ac de rebus in universum omnibus, quæ ad literas spectant; una cum elogiis Gallorum, Franco-Gallorumque, meritis in eas illustrium, enumeratione Chronologica scriptorum, animadversionibus historicis ac criticis in alicujus momenti Opera, editionumque recensione. Opera Monachorum Ordinis S. Benedicti ex Congregatione S. Mauri.

Tomus II.

Parisiis, apud Osmont, Huart, &c. 1735, 4 maj.
Alph. 4 plag. 6.

Quam ante aliquod tempus cœperunt telam eruditi homines, suæque ornamenta societatis, in hac pertexenda quam elaborent naviter, *secundo* hoc, quem magno cum fructu, nec sine voluptate, perlustravimus, *Tomo* abunde commonstrant. Ante vero, quam ad rem ipsam convertantur, iis quædam regerunt, qui, egregia se multa in *priore Tomo* invenisse, haud contenti, facta, non sine partium studii suspicione, cum *Baliano* Lexico, *Dupinii*, aliisque, longe dissimilis instituti, Operibus, comparatione, nostrum hocce deprimere sunt ausi, nonnulla in eodem requirentes, quæ si adessent, recti rerum existimatoris reprehensionem minime effugerent. Ex ea re, suarum virium, suæque in concinnando libro collocatæ conscii industriæ, haud verecunde præ se ferunt, legibus sanioris Critices ut judicarent convenienter, omnem sese operam navasse. Qui autem non omnino omnium, quos ætas pristina tulit, e quibus haud pauci mediocrem tantum ex literarum studiis famam sunt consecuti, rationem haberi volunt, quin & eorum, qui aliquo inter eruditos scriptoresve loco censentur, delectum institui optarunt, hos cogitare jubent Autores, non selectam se Bibliothecam, sed Historiam literariam, meditari, cujus tam amplus est campus, ut summis, mediis, infimis, cuivis, eo, quem tueri possit, loco consistere liceat. His vero, qui precibus Auto-

 rum

rum adducti, quæ perperam dicta erant, emendarunt, ac, quæ addi merebantur, ſuppeditarunt, obſecuti, ſupplementi loco, pauca adjungunt; id quod tanto quidem magis laudandum eſt, quanto plura hac in re, quæ tota fere lectione atque obſervatione continetur, uti vulgo dici ſolet, dies diem docet. Quo loco non alienum videtur monere cum Autoribus illos, qui novam Bibliothecæ Patrum editionem moliuntur, ut, quod præ manibus habemus, Opus verſent diligenter; qua re fiet, ut menda plurima eluant, quibus Lugdunenſis inquinata eſt. Sed mittamus hæc, atque literarum hoc Seculo faciem propius contemplemur. Habent omnino literæ, non, ſecus, ac humana omnia, viciſſitudines, ſuaſque converſiones, quibus efficitur, ut nunc emergant ſeſe, ac caput veluti extollant, nunc, de gradu dejectæ, jaceant, atque vix ſeſe a ſqualore tueantur. Maxime autem ſub quinti finem Seculi cum adverſa hac ipſis conflictandum fuit fortuna; quæ tamen impedire non potuit, quo minus Gallia eruditos omnino ſolerteſque tulerit homines, numero haud paucos, qui, utut iis literarum luminibus, quæ priora illuſtrarunt tempora, comparari nequeant, nulli tamen pepercerunt operæ, ut impetum minitanti barbariei vallum quaſi objicerent, eamque a finibus ſuis utcunque prohiberent. Videas certe hac non minus, atque ſuperiori, ætate Theologos, Philoſophos, Mathematicos, Hiſtoricos, Oratores, Poetas, uti tunc erant tempora, eximios; videas florentes, quas ſingulæ propemodum urbes habebant, ſcholas, ac tum celebritate doctorum, tum diſcipulorum numero, illuſtres; videas denique plurimos Romam, veluti ad bonarum mercaturam artium, demigrantes, plurimos in Africam, Palæſtinam, Campaniam, moleſtis itineribus contendentes, ut cum *Auguſtino*, *Hieronymo*, *Paulino Nolano*, familiaritatem ac neceſſitudinem contraherent, cujus eum tulerunt fructum, ut, ſi minus imitatione tantam tantorum ingeniorum præſtantiam conſequi poſſent, voluntate certe proxime accederent. Nominandi ſunt hanc in rem *Ruſtici*, *Amandi*, *Sulpicii Severi*, *Proſperi*, *Hilarii*, *Poſthumii*, *Minervii*, *Sancti*, *Dardani*, alii, quos enumerare longum foret.

foret. Latinam etiam linguam sua manebant decora; cultumque dicendi genus, sive prosam spectes orationem, sive vorsam, tantum abest, ut vitium contraxerit, ut potius multa, *Rutilii* inprimis Carmina, veterum elegantiam, si non superare, saltem æquare, a quibusdam censeantur. Quantum eruditio Gallorum ad debellandos Pelagianismum ac Semipelagianismum momentum attulerit, tam ample condocent Autores, ut propterea a proposito discedant tantisper, ac, in quibus speciatim capitibus homines ista labe infecti erraverint, non secus, ac si ecclesiæ, hæresiumve, historiam conscriberent, fusius enarrent, quæ, utcunque proposita, alium sine dubio locum postulant. Quantumvis vero hisce turbis acuebantur ingenia, tantum, imo multo adhuc magis, res literaria barbarorum in Galliam incursionibus affligebatur. Hinc imperium nullum esse, ardor studiorum exstingui, honesta ingeniorum contentio cessare, literæ negligi, homines otio diffluere, ac ignavia torpere, rerum optimarum ignorantia radices agere, vitia denique ac scelera, agmine veluti facto, irrumpere. Sed omittamus alia, quibus literæ urgebantur, mala, atque unicum modo attingamus. Inolescebat hoc Seculo mos perversus, totusque ad eruditionis perniciem comparatus, ut ex antiquorum scriptis compendia facerent homines, gloriolæ cupidi. Quanquam & in his forte non erant nulli, qui hoc facto cavere volebant, ne plures, qui grandiores libros fastidiebant, quorum numerus augebatur quotidie, a lectione penitus abhorrerent. At hi *abbreviatores*, si ita eos dicere fas est, non eadem omnes ratione hoc in opere versabantur. Quidam enim, ipsis Autorum verbis, quantum ejus fieri poterat, servatis, compendium eorum dabant. Quidam ex diversis scriptoribus, quæ notatu digna erant, excerpebant, suoque scribendi genere utebantur. Alii ex pluribus ejusdem argumenti scriptoribus congerebant in unum, quæ conducere lectoribus putabant; quo modo *Tribonianus* Digesta compilavit. Alii in locos, quicquid legerant, referebant communes; qua ratione *Constantinus Porphyrogeneta* Historiam suam concinnavit. Sic veterum quorundam

fragmenta, ut *Polybii*, *Joannis Damasceni*, aliorum, servata sunt. Alii sententias, imagines scienter adumbratas, descriptiones locorum, &, ut verbo dicamus, quicquid maxime placebat, in chartam conjiciebant. Alii eo, quo legebant, ordine suis olim inservitura usibus annotabant: qua re factum est, ut tales laciniæ successu temporis pro integris sæpenumero Autorum operibus haberentur. Jam vero, hæc cum ita sint, de hisce hominibus judicium ferre subdifficile est, nisi in utramque partem offendere velis. Laudantur certe a nonnullis, ut qui solicite caverint, ne optima scripta penitus intercide-rent. Culpantur autem ab aliis, eo, quod in causa fuerint, ut plurima præstantissima scripta jacuerint neglecta, successuque iniquissimi temporis prorsus interierint. Utcunque est, illud dubio caret, antiquitatis ac Critices studium hoc pacto paucissimos habuisse amatores. Ecquid præterea facilius erat, quam homines in rerum propemodum omnium ignoratione versatos, ac præter rationem credulos, quicquid nec opinato acciderat, in miraculis numerare? Hinc inter plurimos, qui quotidie se ostendebant, minutos scriptores obtrectationes & odia. His autem malis, ne latius serperent, ipsum intercedebat Numen. Religio, monasteriis institutis, intemerata servabatur, quo exules literæ, tanquam in asylum se recipiebant, e quibus denique eruditissimi homines, tanquam ex equo Trojano, prodibant. Interim barbaries non vi facta irruebat, sed sensim propagabatur, usque dum versus medium Seculi labi identidem incipiebant literæ, ac ruinam minitari. Collectis tamen viribus sustinere se tentabant, ac inter medios fere Gothos Barbarosque, Lugduni, Viennæ, Arelati, Burdegalæ, scholis servatis, se tuebantur. De Bibliothecis altum quidem hoc Seculo silentium; vix tamen credibile est, tantum eruditorum numerum iis caruisse. Instructissimus sine dubio fuit *Tonantii Ferreol* apparatus, quem domi (erat ea ad ripam Gardoni, Nemausum inter & Claremontium in Alvernia sita,) habebat, a *Sidonio Apollinari* celebratus. Quantus autem literis honos fuerit habitus, nihil clarius docet, quam insignis eruditorum omnis generis numerus. Multi tamen ex iis

iis nihil in literas retulerunt, multorum interciderunt Opera, quorundam, aliis ex conjectura tributorum, Autores ignorantur. Sunt etiam, qui fovendis literis nomen sibi fecerunt. Id certe liquido apparet, fuisse Seculum eruditis multo feracissimum, Galliamque ex omnibus Europæ provinciis solam fuisse, in qua studia artium ac disciplinæ floruerint. Nos jam, pro instituti ratione, nomina hominum, meritis illustrium, afferemus, ut tanto melius sciant Lectores, qua in re Autorum industria inprimis fuerit versata. Sunt vero sequentes: S. *Delphinus*, Burdegalensis Episcopus; *Marcellus*, Medicus, cognomine *Empiricus; Valerianus*, Romæ Præfectus; *Sanctus*, Poeta Christianus; *Vigilantius*, in Aquitania Presbyter; *Vincentius*, Gallorum Præfectus; *Jovius; Lachanius*, Quæstor & Præfectus Prætorio; *Rutilius*, Præfectus Romæ, Poeta; *Anonymus*, Poeta Christianus, poematis de providentia, *Prospero* tributi, Autor; *Aletheus*, Episcopus Divonæ Cadurcorum; *Riparius*, Presbyter Aquitanus; *Didierus*, Presbyter Aquitanus; S. *Proculus*, Massiliensis Episcopus; quo tempore secundum Valentiæ Concilium coactum; S. *Severus Sulpicius*, Presbyter Aquitanus; *Gallus*, S. *Martini* discipulus; *Evagrius*, Presbyter; *Dardanus*, Gallorum Præfectus; *Paulinus*, Biliterrensis Episcopus; *Disarius*, Medicus; *Protadius*, Præfectus Romæ; *Minervius; Florentinus*, Romæ Præfectus; S. *Castor*, Aptæ Episcopus; *Exuperantius*, Gallorum Præfectus; *Minervius* & *Alexander*, solitudinis incolæ; *Anonymus*, Autor Actorum S. *Epipodii* & *Alexandri*; S. *Heros*, Arelatensis, & *Lazarus*, Aquis Sextiis Episcopus; incidit Concilium Gallorum, ob Pelagianismi hæresin habitum; S. *Honoratus*, Arelatensis Episcopus; *Anonymus*, Autor Actorum S. *Saturnini*, primus Tolosæ Episcopus & Martyr; *Cytherius; Leporius*, Presbyter Hipponensis; S. *Amandus*, Burdegalensis Episcopus; S. *Paulinus*, Nolæ Episcopus; *Aper*, Presbyter Aquitanus; *Uranius*, Presbyter Nolanus; *Pacatus*, Poeta Christianus; *Posthumianus*, Presbyter Nolanus; *Hilarius*, *Prosperi* Collega; *Joannes Cassianus*, Presbyter & Abbas Massiliensis; *Anonymus*, Autor Actorum S. *Victoris*,

Massiliensis Martyr; celebrata Concilia, Regii, Arausionense I, Vasionense I, Arelatense III, Vesontinum; *Victor*, Rhetor & Poeta Christianus; *Anonymus*, Poeta; *Consentius I*, Poeta, Orator, Philosophus; S. *Orientius*, Ausciorum Episcopus; S. *Germanus*, Antissiodorensis Episcopus; S. *Hilarius*, Arelatensis Episcopus; S. *Eucherius*, Lugdunensis Episcopus; *Salvius*, sive *Silvius*, Episcopus Octoduranus; *Palladius*, Poeta & Philosophus: *Eusebius*, Gallorum Episcopus; *Anonymus*, Autor Actorum S. *Symphoriani*, Martyris Augustodunensis; *Vincentius Lerinensis*; *Anonymus*, Autor Actorum S. *Vincentii*, Martyris Agennensis; *Gratus*, seu *Graccus*, Diaconus in Provincia; celebratum Gallorum Concilium occasione literarum S. *Leonis* ad *Flavianum*; Andegavense I; Arelatense IV; *Prosper Tyro*, seu *Tyro Prosper*; S. *Valerianus*, Cemelensis Episcopus; *Avitus*, Imperator; *Poeta* ignotus, pro *Marbodo* habitus; *Musæus*, Presbyter Massiliensis; *Arnobius* junior, Presbyter; *Edesius*, Poeta Christianus; *Ravennus*, Episcopus Arelatensis; S. *Maximus*, Episcopus Regiensis; *Valerianus*, Gallorum Præfectus; *Paulinus*, cognomine pœnitens, Poeta Christianus; S. *Rusticus*, Narbonensis Episcopus; Concilium incidit Turonense I; S. *Mamertinus*, Abbas S. *Mariani Antissiodori*; S. *Prosper Aquitanicus*; *Anonymus*, Autor Actorum Sanctorum *Donatiani* & *Rogatiani*, Martyrum Nannetensium; *Livius*, Poeta Christianus; *Vincentius*, in Provincia Presbyter; quo tempore primum Viennæ Concilium coactum; *Lupus*, Bajocis Episcopus; *Victorius*, Poeta; *Anonymus*, Autor Actorum *Juliani* Martyris; *Anonymus*, Autor Actorum S. *Ferreol*, Martyris; *Domitius*, humaniorum literarum Professor; *Victorius*, Autor Cycli paschalis; *Rusticus*, homo literis excultus; *Serranus*, Orator; *Consentius II*, Comes Palatii; S. *Salonius*, Genevensis Episcopus; *Petrus*, Secretarius; *Claudianus Mamertus*, Ecclesiæ Viennensis Presbyter; incidit Concilium Arelatense V; *Lucidus*, Presbyter in Provincia; Lugdunense Concilium VI; *Benedictus*, seu *Paulinus*; S. *Euphronius*, Episcopus Augustodunensis; *Paulinus*, Petrocoriensis,

rienſis, Poeta Chriſtianus; *Eutropius*, Arauſionenſis Epiſcopus; S *Geranius*, Vincii Epiſcopus; S. *Auſpicius*, Tulli Epiſcopus; S. *Mamertus*, Epiſcopus Viennenſis; S. *Lupus*, Tricaſſiorum Epiſcopus; *Lampridius*, Poeta & Orator; *Sapaudus*, humaniorum literarum Profeſſor; *Flavius Nicetius*, Orator; *Secundinus*, Poeta; S. *Patiens*, Lugdunenſis Epiſcopus; *Domnulus*, Quæſtor imperii; *Severianus*, Poeta & Rhetor; *Leontius*, Epiſcopus Arelatenſis; *Polemius*, Gallorum Presbyter; *Salvianus*, Presbyter Maſſilienſis; *Joannes*, humaniorum literarum Profeſſor; *Anthedius*, Poeta; *Proculus*, Poeta; *Tonantius Ferreol*, Presbyter Gallorum; *Conſtantius*, Presbyter Lugdunenſis; *Arbogaſtus*, Epiſcopus Carnutenſis; S. *Apollinaris Sidonius*, Epiſcopus Claremontii; quidam *Sidonii* æquales; *Ecdicius*, Comes; *Pragmacius*; *Petronius*, JCtus; *Lupus*, Poeta & Rhetor; *Fauſtus*, Abbas Lerinenſis; S. *Perpetuus*, Turonenſis Epiſcopus; *Leo*; *Gennadius*, Presbyter Maſſilienſis; S. *Honoratus*, Maſſilienſis Epiſcopus; *Probus*; *Syagrius*; *Conſentius III*, Poeta; *Heſperus*, Poeta; *Felix*, Præfectus Prætorio, Patricius, & demum Monachus; *Verus*, Epiſcopus Arauſionenſis; *Pomerius*, Abbas Arelatenſis; S. *Ruſticus*, Lugdunenſis Epiſcopus; *Firminus*; *Burgundus*, Orator; S. *Porcarius*, Abbas Lerinenſis; *Anonymus*, Autor vitæ *Pauli*, Epiſcopi Narbonenſis; *Anonymus*, Autor vitæ S. *Lupi*, Epiſcopi Tricaſſiorum.

POEME DE PETRONE SUR LA GUERRE civile, avec deux Epitres, &c.

h. e.

CARMEN PETRONII DE BELLO CIVILI inter Cæſarem & Pompejum, una cum duabus Epiſtolis OVIDII, Gallico carmine redditum, & obſervationibus illuſtratum. Accedunt Conjecturæ in Pervigilium Veneris.

Amſtelodami, apud Franciſcum Changuion, 1737, 4 maj. Alph. 1 plag. 12.

Cum

Cum duo hic a nobis jure suo exspectent Lectores, primum quidem ut indicemus, num boni interpretis officio rite functus sit Poeta Gallus, alterum, ut de adjectis observationibus nostram qualemcunque sententiam profiteamur, utriusque negotii jam memores pro virili parte erimus. Mire ergo placet *Arbiter* vates Gallico carmine ita redditus, ut, qua inter Latii cives elegantia cecinit, eadem in media Gallia uti posse videatur. Par fortuna contigit *Nasoni*, cujus Epistola *Leandri* ad *Hero*, & *Elegia I Libri I Tristium*, linguam quidem nativam, non vero pulchritudinem & elegantiam, mutarunt. Unde laudibus optimi interpretis nihil detractum cupimus, si versionem ejus, tam concinnam, nihilo secius & liberrimam vocemus. Libertate enim non parva utuntur, qui in vertendis libris alia Autoris omittunt, alia de suo adjiciunt. Poetarum quidem interpretes hic sibi præ ceteris aliquid licere putant, magnopere tamen cavendum est, ne extra oleas vagemur. Judicent itaque Lectores, quousque hac libertate usus fuerit, qui nobis *Petronii* Carmen de Bello civili, & duas *Ovidii* Epistolas, in versus Gallicos translatas dedit. Alia enim doctissimus Vir, suis motus rationibus, versione non expressit, sed intacta reliquit, alia ipse addidit. Ita v. c. nullo modo Gallice redditus est in Carmine de Bello civili versus *121:*

Ad Stygios Manes laceratus ducitur orbis,

nec versus *134:*

Armorum strepitu cælum furit, & tuba Martem
Sideribus tremefacta ciet;

nec versus *245:*

Ut Fortuna levis Magni quoque terga videret;

nec in descriptione Discordiæ illud, quod in versu *276* dicitur:

Atque intertorto lacerans in pectore vestem.

In translatione Epistolæ *Leandri ad Hero* omissa sunt illa asseverantia in versu *28 Leandri* verba, quibus nihil fortius jurare poterat amator infelix, amasiæ persuasurus, se diu somnum non cepisse:

Si vidi somnum, — — —

— *insa-*

— insani sit mora longa freti.

Ibidem omissus est versus 74, quo *Cynthiam* de pulchritudine *Herus* testem implorans *Leander* adjicit:

Si dubitas, cæcum, Cynthia, lumen habes.

Quæ deinde de nautis, sidera spectantibus, quorum alius Helicen, aut Arcton, alius Andromedam, Coronam, aut Parrhasin Ursam, respiciat, per sex versus a *Nasone* canuntur, ita contraxit Gallus, ut duobus tantum versiculis *Leandrum* inducat dicentem, se non, ut alios nautas, astra cœli spectare, sed suum habere astrum. Atque de hoc astro suo *Leander* fassus, dignum esse cœlo, puellam ipsam alloquitur *v. 171:*

Hic es, & exiguum misero contingis amanti, &c.

Hoc vero Distichon Interpres non minus intactum reliquit, quam descriptionem hiemis *Ovidianam* in *v. 187*, ubi tunc temporis Plias & Arctophylax & pecus Olenium lædere dicuntur æquor, itemque illa *Leandri* verba ad *Hero* in *v. 199:*

— — tactuque meum dignabere corpus,
Et, mortis, dices, huic ego causa fui.

Interdum vero Poetis suis etiam addidisse quædam Interpretem nostrum, certum est. Sic ex ingenio ejus fluxit, virtutem severiorem, cum ad Superos adscendere vellet, solius *Catonis* amore detentam fuisse. Huc referendus etiam character ille generalis trium heroum, *Crassi*, *Cæsaris*, & *Pompeji*, quando pleni fuisse dicuntur moliminum atque audaciæ. Quo loco & illud notamus, videri nobis non parum gratiæ amittere Gallicam hujus loci versionem, eo, quod initio statim tres isti Romanorum fortissimi duces conjunctim nominentur, facta deinde rursus uniuscujusque illorum peculiari commemoratione. Supervacaneum enim videtur prius esse, & lectorum tollere exspectationem, quæ mirum quantum servatur, imo augetur, si tantos viros *Petronio* magistro sensim viritimque noscere discant. In precibus *Plutonis* ad *Fortunam* valde conqueritur infernalis Deus, Romanos bona avita dilapidare; quod verum utique est, sed non ibi a *Petronio* dictum. Semper nobis mirum in modum placuit brevis ille & concinnus Carminis *Petroniani* epilogus:

Factum est in terris, quicquid Discordia jussit.

Sed longe alia mens est doctissimo Viro, qui, nimis abruptam existimans ejusmodi conclusionem, unum adhuc versiculum sequentis, ni fallimur, argumenti adjecit:

Sanguine tincta fuit tellus, & Pluto quievit.

Quando *Leander* in Epistolæ versu 17 dicit, dominam suam epistolæ vincula dentibus, uti dubio procul mos fuit veterum, rupturam, Interpres noster addit, bellos ipsius dentes votis ejus ardentissimis hac ratione ex voto inservituros. Atque hæc lingua sua ita profert, ut existimare videatur, puellam non ex more gentis suæ, sed ex impatientia, soluturam esse epistolæ vinculum. Ejusdem epistolæ supra allegatus versus 74 in Gallica versione *Leandrum* nobis sistit præter *Cynthiam* etiam *Veneris*, quæ tamen Dea pulchris fœminis alias invidet, oculos testes pulchritudinis puellæ suæ invocantem. Deinde, quæ de navigio suo narrat adolescens, nullum abhorrens periculum, & ne mortem quidem, dummodo vel vivus, vel exspirans, feratur ad dominam, ea destruere videtur Interpres, quando istum amatorem, tam intrepidum, & mortem ipsam flocci facientem, ita loquentem inducit: *Nescio, quomodo fiat, ut cor mihi tremat.* Interpretis etiam hæc sunt, quæ infelix *Naso*, præter versum 55 & sequentes *Elegiæ I Libri I Tristium*, clamat, *tribuo*, inquiens, *infortunium meum filiabus Memoriæ.* Sed hæc exempla eorum, quæ vel omissa vel adjecta putamus, sufficiant. Jam liceat nobis quædam ex ipsa translatione considerare. Versus 36 in Carmine *Petroniano* ita incipit:

Ut renovent per damna famem, &c.

Per damna interpretatur Autor *à force d'argent*, hoc est, per pecuniam. At credimus, hac ratione non tantum exprimi, quantum dixit Poeta Latinus, quippe qui non pecuniam in se spectatam, sed pecuniæ profusionem, & præsertim detrimentum, quod res publica ex hac prodigalitate capiebat, indicare voluit. Fœnoris illuviem sub imagine tabis, intra membra furentis, depinxit *Petronius v. 54;* Interpreti e contrario, imagines cumulanti, una periodo & catenis uti dicitur fœnus, & igni lento comparatur, & horrendi monstri nomine compellatur. Furoris Dei umbo si innumerabilibus telis *gravis* fuit, quod

Pe-

Petronius v. 262 affirmat, non sufficit descriptio Interpretis, qua innumeris telis *confossus* tantummodo pingitur. In *Ovidii* Epistola *Leandrina v. 4* in votis habet *Leander*, ut invitis oculis literæ suæ legantur ab amasia, collecturus scilicet exinde, se amari, & puellam malle, ut ipse veniat; at Interpretis nostri *Leander* ipsas puellæ lachrymas optat. Alibi, versu nempe *83*, de lumine in turri *Herus* fatetur juvenis: *Mens ignis in illo lumine est; illa meum litora numen habent;* quod Gallice ita redditum est: *Ibi, ibi, ardet divinus ignis, qui consumit cor meum, & fata mea regit. Utique jam calor ejus undarum pellit frigus.* En ergo ignem, quo non tantum pectus uritur, & frigus undarum depellitur, sed & fata reguntur. Alio loco iter per mare, quod molestum sibi queritur apud *Nasonem v. 135 Leander*, *martyrium* suum apud Interpretem appellat. Reliqua silentio præterimus. Observationes autem, tum cuilibet paginæ Carminis *Petroniani* subjectas, tum alias seorsim a *pag. 91* usque ad *163* annexas, fatemur, doctissimas esse, multumque & ad illustranda varia in hoc, & ad corrigenda in aliis Autoribus, loca omnino facere. Uti enim præstantissimus Autor, quem esse Illustrem Præsidem *Bubierium*, multis indiciis compertum habemus, Carmen illud Latinum ipse passim novo modo correxit, ita in observationibus ejus singularia & prorsus selecta occurrunt. Legat, quem cognoscere hæc juvat, quid de Carenis gravidis *pag. 94*, aut de fluminibus ex Ætna monte in æthera missis *pag. 134*, aut ad defensionem *Julii Cæsaris pag. 139*, aut de Pace Dea, peltata, & crine supposito, Gallis *Perruque*, utente, *pag. 157*, observantur. Restat, ut de conjecturis ejus in *Pervigilium Veneris* brevissimis dicamus. Stili quippe inæqualitas, & alia, occasionem ipsi dederunt totum Carmen dividendi in duo diversa Carmina, quorum primum, elegantissimum, tempore *Caligulæ*, alterum, non accedens ad istam venustatem, multo serius, ætate nimirum Imperatoris *Adriani*, conscriptum sit. Præter hanc divisionem, novo plane, felici tamen, ausu factam, multa in *Pervigilio* immutavit Autor, atque hac ratione partes tuitus est veri Critici, in quem illud

 poetæ

poetæ quadrat: *Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.* Et, quo magis appareat, quid hac in parte præstiterit, bono consilio his omnibus addidit Autor versionem *Pervigilii*, & notas criticas, quas *Sanadonius* concinnavit. Ordinem autem totius Operis Lectores notent sequentem esse. Post Præfationem, duas plagulas implentem, exhibetur Poema *Petronii*, correctum ab Interprete, una cum versione hujus Gallica. Deinde sequitur Epistola *Leandri* ad *Hero.* Excipit hanc imitatio, uti illam vocat Interpres, sive versio, *Elegiæ I Libri I Tristium Ovidii.* Hanc excipit textus Latinus Poematis *Petronii* ex editione *Burmanniana.* Reliquas paginas occupant primo Observationes criticæ in textum Latinum illius Carminis, deinde Animadversiones in *Pervigilium*, tandem idem *Pervigilium* cum versione & annotationibus *Sanadonii.* Universum Opus cum Typographo *Changuiono* communicavit, eidemque publicandum concessit, Vir de elegantiori doctrina multis modis meritissimus, *Jac. Phil. D'Orvillius*, Historiarum in Lyceo Amstelodamensi publicus Professor, cui, pro veteri amicitia, & studiorum cognatione, hoc quicquid est elegantis elemati que Operis, lubenter ab Autore fuerat transmissum.

MEDICAL ESSAYS AND OBSERVATIONS &c.
h. e.
EXPERIMENTA ET OBSERVATA MEdica, revisa & publicata studio Societatis Edimburgensis.
Volumen II & III.

Edimburgi, typis T. & W. Ruddimanns, impensis W. Monro & W. Drummond, 1734 & 1735, 8 maj.
Vol. II Alph. 1 plag. 4, Vol. III Alph. 1 plag. 4.

Habet, de quo sibi gratulari possit, Edimburgensis Medicorum Societas, ex quo rariorum, & theoriam & praxin spectantium, Observationum, antea *primo*, nunc *secundo* & *tertio*, missu communicatarum, selectu non mediocrem nobis omnibusque sui admirationem fecit. Habetur *Volumine secundo*, post

post Meteorologicas descriptiones, morborum, qui anno 1733 Edimburgi grassati fuerant, historia, febrium scilicet, tertianarum æque ac rhevmaticarum, cum choleris, dyspnœis, diarrhæis. Singularis omnino indolis fuit, quæ mense Decembri epidemice urbem & vicina loca invaserat, febris algida, omnibus, maxime tamen senibus & tabidis, periculosa, paucis discrimine vitæ eluctantibus. Horrore, vertigine, & cephalalgia, pectorisque & lumborum dolore, ordiebatur, cum tussi, serique per nares stillicidio, aut frequenti diarrhæa, fecibus sanguine plerumque tinctis. Venæsectiones in principio saluti fuerunt; quibus serius sanguis extrahebatur, hæmoptysi excedebant; pulsus omnibus frequens, & leve delirium. Peculiare quidpiam fuit, qui carcere aut xenodochio detinebantur, cum epidemicum esset malum, nihil passos fuisse. Non Britannis tantum, sed omni Europæ, prout collatæ inter se omnium Medicorum sententiæ rem declararunt, infensum fuit malum; uniuscujusque tamen gentis consuetudine symptomata varia efficiente, Americæ etiam coloni stragem istam experti sunt. De remediorum topicorum penetrandi virtute differitur a *Jo. Armstrong*, qui secretas uniuscujusque partis vias, quibus virtutes medicæ ab impositis extra remediis suscipi, & ad affectum locum deduci possint, statuit. Sicut de poris vasibusque in corporis peripheria absorbentibus nullus dubitat, quæ non circulo saltem sanguinis retrogrado possint ad vasa majora deferri, sed & quorum per ipsa vasa arteriosa transitus negari non possit; ita vasa vasorum existere statuit, quibus id efficiatur, ut totum corpus ad omnem dimensionem perspirabile fiat, prout luculentum transeuntis per media vasa humoris, in bile cystica, qua vicinæ ventriculi & coli regiones luteo tinguntur colore, exemplum habetur. Peculiaris Cl. *Jo. Stedmanni* de tabaci effectibus Tractatus id declarat, qui, Nicotianam aceto aut spiritu vini maceratam & epigastricæ regioni applicatam, vomitum salutarem movere, docet, quo etiam remedio contumaces hypochondriorum tumores discuti soleant. Simile quid observatum fuit de erigero, quod *Casp.*

 Bau-

Bauhino fenecionis fpecies eft, nomine quidem, fed hoc effectu nondum, cognita planta. De aquis martialibus eleganter commentatur Cl. *Alexander Thomfon*, quibus integra fere Scotia fcaturire affirmatur. In quibusdam locis marcafitas, feu pyritem teffellatum, inveniri docet, quos prope hujuscemodi generis aquæ fluunt. Neque vero minera martis opus effe, quo martiales enafcantur aquæ, dicitur, quandoquidem experimentis *Godofredi Lemerii*, aliorumque ex Academia Gallica fcientiarum, omni vegetabili aut minerali martis femina ineffe, declaratum exiftat. Sanguinis analyfis mechanico-phyfica a Cl. *Georgio Martin* artificiofe exhibetur. Cumprimis urgetur, molecularum ruberrimarum, fero fuo pellucido, fecundum obfervationes *Malpighii* & *Leeuwenhœckii*, innatantium, rotunditas, quorum tamen globulorum, ratione magnitudinis, non una fit, fed plurima, diverfitas. In fingulo globulo, quando minorem fe ipfo vafis diametrum tranfit, virtutem ftatuit elafticam, ortam ex violento in priftinum ftatum fefe reftituendi conatu, ad mentem *Bernoullii* & *Keilii*. Contentorum in fanguine, magnitudinumque in fingulo globulorum ordine, feries ingeniofo calculo fubducitur, & omnia ad leges motuum erudite applicantur. Doctiffima eft ejusdem, de nervis ligatura compreffis, & effectu exinde fubfequente, Commentatio, quam omnis antiquitatis teftimoniis perpolitam effecit. Maxime vero nervi recurrentis læfi, aut male affecti, pathemata exponit exemplis eorum, quibus vel vocis defectus, vel fenforiorum vitia, hoc ipfo fubnata fuerint, quæ fententia contra eos, quibus minus ea placuit, mafcule defenditur. Nutritionem fœtus poft plures elegantiffime expofuit magnus in arte fua Vir, cujus Commentarios, hactenus haud femel lectos, laude dignos cenfuimus, *Alexander Monro*. Ejus fententia, quam ex plurimis eruditionis folidæ ratiociniis collegimus, eo redit: humores matris fœtusque inter fe non effe communes, neque maternum fanguinem ad embryonem, multo minus embryonis fanguinem ad fubftantiam uteri, ferri, neque utrinque intercedere anaftomofes, fed abforbendo, prout in vafis lacteis inteftinorum fit,

fit, id, quod ſanguini materno ad nutritionem fœtus optimi ineſt, a placenta ſuſcipi, cujus arterioſus ſanguis ad ſinus uterinos delegetur, ibidemque novas, prout alimenta in inteſtinis, nam hac comparatione utitur, mutationes patiatur. Accedunt plura alia de nutritione fœtus per os, de experimentis mercurio per carotidem gravidi animalis injecto factis, quo declaratum fuit, ad uteri quidem vaſa, non vero ad ipſum fœtum, viam ex maſſa ſanguinis materni eſſe. De oviparorum viviparorumque naſcendi, ſeſeque intra ſecundinas materno ſucco nutriendi, ratione plura alia adducuntur, & ſyſtematis adoptati norma declaratur. Plantarum etiam intra ſemina ſua formatio iisdem legibus declaratur, partim quod generationem vegetabilem attinet, ad mentem non *Godofredi* tantum, quem adducit, ſed *Vaillantii* etiam, *Pontederæ*, *Zanichelli*, aliorumque, utpote qua apices ſtaminum maſculam, ſtili autem vel piſtilli fœmineam, virtutem præſtare dicuntur, partim quod ipſam fœtus vegetabilis in ovulo, id eſt, ſemine ſuo evolutionem ſpectat, quam doctrinam, ex *Malpighio* deſumtam, ſuis acceſſionibus auget. Methodus anevriſmatis curandi aſſeritur a *Jo. Macgill*, Chirurgo, qui experimenti commoditatem in viro habuit, cui a male ſecta vena baſilica arteriæ læſæ tumor obortus fuerat. Increſcente quotidie tumore, & rupturam minitante, ligaturæ injectæ fuerunt, pro coercenda anevriſmatis dilatatione, donec æger, in quo paulo ante amputatio adminiſtrata fuerat, convaleſceret. injecta arteriæ faſcia metuendam hæmorrhagiam coercuit, donec remota ſcalpello integumenta communia tumorem detegerent, qui, quo propior tendini bicipitis erat, eo majorem Chirurgo difficultatem movere videbatur. Apertura tandem facta, ad quatuor tumoris cardines polypoſa ſubſtantia extracta ſex unciis fuit, cum quibusdam nigricantis grumoſæ ſanguineæ materiæ cochlearibus. Acus anevriſmatica, ita quidem adacta, ne vel nervus vel vena quidpiam exinde rudioris attactus pateretur, tumorem præcluſit, quamvis, relaxato ſanguinem ſiſtente vinculo, quædam guttulæ ſanguinis proſilientis animadverterentur. Deprehenſa fuit frigeſcere poſt injectas ligaturas manus;

nus;

nus; verum paulo poſt, relaxatis vinculis, colorem naturali proximum occuparunt, ipſo ægro, facta legitima ſuppuratione, legitime convaleſcente. Pulſus in radii regionibus poſtea nullus cum aliquali extremitatum in digitis ſtupore obſervatus quidem fuit, verum nihil exinde mali æger altero, ex quo generoſam operationem ſubierat, menſe expertus fuit. De anevriſmatum geneſi Cl. *Monro* ex natura & ſtructura tunicarum arteriæ paulo poſt erudite diſſerit. Caſus quipiam clinici morborum chronicorum nervoſi generis, ab eruditiſſimis Autoribus eleganter expoſiti, nobis formulas, quibus major effectus inſit, exponunt. Allegatur decoctum rad. Serpentariæ Virginianæ ſine Meronio inter acriora excitantia. Species quædam ſunt aromatico-ſalinæ, certæ contra febres efficaciæ. Prædicantur vomitoria ex ſinapi & ſale marino, gummata fœtida aſæſætidæ galbani, habentur inter alexipharmaca gummi ammoniacum cum æquo hyſſopi & ſyrupi de ſquilla, efficax eſt medicina. Singularis hæmorrhagiæ hiſtoria, non conſuetis ſaltem viis, ſed & minus ſolennibus, per oris, narium, oculi, auriumque, cava, contingens, & per viginti novem annos continuata, in fœmina, cujus ſanguinem ob frequentiſſimam iſthanc ſanguinis jacturam, accedentibus venæſectionibus, loturæ carnium ſimilis fuerit, animadvertitur a Cl. *Murray*. Duram matrem oſſefactam, ſeu oſſicula potius in proceſſu falciformi reperta, adjecta icone declarat *Jo. Paisley*. Reliqui caſus doctiſſimorum omnium exſpectationi ſatisfaciunt. Agmen Obſervationum claudunt rerum in arte ſalutari factis ſcriptiſve geſtarum enumerationes, librorumque, qui novi A. 1734 comparuerunt, recenſiones, prout id in ſingulo *Tomo* ſolenne fore, Cl. Collectores promiſerunt. Inter nova Anatomica ſunt *Morgagni* de nervo acceſſorio Commentarius, quo ille a pari vago digredi ad medullam potius, quam ab eadem proficiſci, dicitur, itidemque *Valſalvæ* circulus moderator oculorum, qui eſt principium muſculorum oculi factum circa nervum opticum. Nova Chirurgica Chymica,

mica, practica, aliaque, ubere copia ſub finem Operis exſtant.

Volumine tertio, poſt meteorologicas Anni præteriti 1734, morborumque, qui epidemice graſſati fuerunt, expoſitiones, habentur experimenta corticis Coneſſi Indiarum Occidentalium Coromandel arboris, ſpecifici in diarrhæis magnopere laudati, quod in horto Malabarico habetur ſub nomine Cadogapala. Abraſis corticis ſordibus, pulvis cum ſyrupo Aurantiorum ſub forma electuarii propinatur poſt uſum Ipecacuanhæ, referente *Alexandro Monro*, Corticem Peruvianum in gangrænoſis ulceribus a cauſa interna interne uſurpatum prædicat *Samuel Goolden*, Chirurgus. Suffragatur huic *Jo. Paisley*, Chirurgus, qui, eodem remedii genere uſus, ſphacelum a ſe extirpatum perhibet. Novæ aquarum chalybeatarum laudes canuntur & experimentis illuſtrantur, a Cl. *Monro*. Aquarum Montroſenſium principia plurimis experimentis evolvuntur, & ſulphureæ indolis, diverſiſſimæque adeo naturæ a martialibus, eſſe declarantur *Alexandro Thomſon*, cujus uſum peculiari Tractatu exponit idem Autor; neque purgandi ſaltem & evacuandi iisdem inexiſtens virtus, ſed & alterandi remotarum partium, ſanguinis, & ſeri, morbos efficacia, prædicatur, exemplis uberioribus ad iſtius rei veritatem declarandam adductis. De calore animali ex vaſorum menſura & ſanguinis velocitate erudite commentatur *Georgius Martinus*, attritionem liquorum pro caloris cauſa in proportione ad relativam celeritatem corporum agnoſcens. Diameter ſingulæ arteriæ æqualis eſt radici cubicæ cuborum conjunctorum diametri omnium ejusdem ramificationum. Menſuram vaſorum, eorundemque ſymmetrias, adoptavit ex *Euſtachii* Tabulis & *Ruyſchii* figuris, quas pro maxime convenientibus habet; inde, adornatis Tabulis, ingenioſe excogitatis, calculum ducit proportionum ramorum inter ſe & cum aliis, capacitatum in ſingulo trunco, capacitatum omnis ramificationis relatione ad truncum, differentiarum capacitatis in ſingulo ramo, e. g. Subclaviæ arteriæ dextræ, diviſæ in axillarem & carotidem ſecundum *Euſtach. Tab. XVI Fig. 1.*

Prop. omn. Ramorum		Capac. Trunci	Conjunctio Capacitatum in omnibus ramis		Differentia
			ad Theor.	ad Mensur.	
11.	12.	100.	126.	129.	$\frac{1}{42}$ +.

Velocitas sanguinis, & ex attritu ad angulos ramorum calor, ad præstabilitam hancce normam æqualiter sese habet. De motu oculorum *Wilh. Porterfield* ingeniosa affert. Motus oculi alios externos, musculorum ope administratos, alios internos, qui sunt in chrystallino & iride, statuit. Enarrantur oculorum musculi, taxaturque *Columbus*, qui *Fallopium*, elevatorem palpebræ pro septimo oculi habentem, notaverat erroris, quod obliquum superiorem palpebræ adjudicasset. Omnium musculorum aponevroses in sclerotica, innominatam *Columbi*, aliis tunicam tendineam dictam, effingunt. Motus oculorum circa axem, contra *Perraultium*, Academicum Parisiensem, defendit. Adducuntur microscopicæ de insectis, quæ oculis carere dicuntur, observationes, deque visu, colorumque intra oculum effectu, acute plura declarantur. De digastrico musculo differit Cl. *Monro*, musculumque stylohyoideum hypomochlii instar eidem inservire negat, cui tractationi, de placentulis & cotyledonibus vaccarum curiosiores adduntur observationes, pro declarandis, quæ de eodem argumento *Tom. II Art. IX §. 16* attulerat, momentis. Præternaturalem organorum urinariorum & generationis conformationem infantis masculi recens nati delineat *Jacobus Mowat*, Chirurgus. Viarum lachrymalium morbos adjecit industrius *Alexander Monro*, breviter excutiens, an anchylops & ægylops fistulæ lachrymali accenseri possint, quæstionem. Præmittitur hinc anatomica viarum lachrymalium declaratio. Hydrops seu hernia facci lachrymalis, dummodo abscessus non sit, curatur injectis Anelliana syringa, quæ levem adstringendi virtutem habent, medicamentis, nexisque, prout decet, vinculis. Quodsi aperiendus sit, ob collectum pus, saccus iste, ne effluente materia collabascat, periculumque incurrat Chirurgus incidendi orbicularis tendinem, inducitur per punctum lachrymale conductor, qui scal-

ſcalpello viam monſtret. Præter alia agitur de coalitu ſacci lachrymalis, novaque paranda lachrymis via; cui negotio adaptatur acus, ſutoriæ ſimilis, acuta, qua per fungoſum, canali innatum, tumorem via paratur, immiſſaque ſeta aut filo argenteo callus novæ factæ viæ inducitur. Quodſi oſſa ipſa perforanda ſint pro ductu deficiente reſtituendo, monet, ne inſtrumentum verſus ſinus maxillæ ſuperioris dirigatur, utpote qui parum reſiſtentes poſſint ab acu penetrari. Infelix tumoris exſtirpatio, qui infantis radicem naſi occupaverat, recenſetur, alleganturque ſymptomata, quæ ſphacelum ex vulnere in parte nervacea facto ortum concomitata erant. Defeciſſe oſſa naſi hoc in loco adducit Chirurgus, cujus nomen reticetur, prout id uſui fore jam ab initio inſtituti promiſerant Collectores. Lethalis uteri procidentia adducitur a Cl. *Monro*, adjiciente ob rei affinitatem Cl. *Thoma Simſono* peſſarium, cujus icon additur, pro retinendo utero, qui ſede ſua exceſſerat. De uteri orificio interno gravidæ clauſo, coalitis ejus lateribus, & partum impoſſibilem efficientibus, diſſeritur ab eodem, allegaturque difficilis prior partus, quo mortuus extractus fuerat fœtus, ſubſequente & per urethram effluente cum ſanguine purulenta materia. Scalpello dilatatum orificium extrahendo fœtui, qui aliquo abhinc tempore mortuus calcariam cruſtam induxerat, commoditatem quidem dedit, ſed mortua mater ex alio capite curioſiſſimum & ſciendi avidiſſimum reliquit Autorem, an uteri cavitas communicaverit cum urethra, quandoquidem uberiores, quam fieri ſolet, aquæ durante geſtatione effluxerant, nullasque durante partu effluxiſſe ſecundinarum aquas, obſervatum fuerat. *Alexander Butterus*, Chirurgus, deſcriptum jam antea ab exercitatiſſimo *Chapmanno* inſtrumentum, capiti infantis dirigendo deſtinatum, quod forcipem appellant, uberius cum icone exponit. Lues venerea, ſuctione attracta, qua nutrix infantem infecerat, *Eduardo Barry* uberem exponendi occaſionem dedit. *Jacobus Mowat* & *Jo. Paisley* ſingularium hydrocephalorum exempla ſubminiſtrant. Doctiſſimi *Monro* de Angina & Aſthmate legi merentur Commentarii. Steatomatis

Fff 2

matis per œſophagum ex thorace in abdomen tendentis hiſtoria habetur ſtudio *Jacobi Jamieſoni*, Chirurgi. *Robertus Porterus* de uſu balneorum in colica bilioſa, *Franciſcus Pringle* de exeuntibus umbilico hydropici aquis, de menſtruata per ulcus calcanei virgine *Jac. Calderus*, junior, Chirurgus, erudite diſſerunt. Nova medica, quæ addi ſub finem Operis ſolent, ſunt: ductus palatinus, qui Stenonianus, poſt inciſores dentes, diſputatur inter *Heiſterum* & *Palſynum*, apertuſne ſit in vivo homine, prout in ſceleto: decidit *Kulmus*, Dantiſcanus, in brutis ſic eſſe, in homine ſecus. *Pozzi*, Profeſſor Bononienſis, unguium ortum ex tendinibus muſculorum tertiæ phalangis deducit. Nova ejusdem Autoris de thymi in infantibus uſu eſt ſententia, cum flatu eundem impleverit, lacteumque in eodem ſuccum detexerit, ſingularibus, pro ſubigendo chylo, officiis fungi. Accedunt alia plurima, lectu digna, ſcitu jucunda, factu utilia.

ABREGÉ DE L'ANATOMIE DU CORPS humain, &c.

h. e.

*COMPENDIUM ANATOMIÆ CORPORIS humani, quo exhibetur deſcriptio brevis & exacta partium, quibus iſtud componitur, cum uſibus earundem. Autore M**, Chirurgo jurato Pariſienſi.*

Tomi II.

Pariſiis, ex typographia P. G. le Mercier, filii, 1734, 8.
Tom. I plag. 12, Tom. II plag. 17.

Aggreſſus eſt Autor totius corporis humani hiſtoriam, ſingulis partibus ſigillatim propoſitis & explicatis, ita quidem tradere, ut, cum brevitati ſtuduerit, nihil tamen omiſerit eorum omnium, quæ ad totius Syſtematis explicationem facere poſſunt. Viſus nobis eſt libellus iſte *Winslovii* eſſe Epitome.

Nam

Nam de suo parum addidit Autor, ex fontibus probatorum scriptorum omnia hausit. Agitur primum de Anatomia in genere, de partium divisionibus, viscerum, quæ cavitates corporis explent, denominationibus; tum summi in arte conceptus, de musculo, ligamento, vase, glandula, &c. præliminari oratione declarantur. Sed & Physiologiam leviter hic delibat, explicatis humorum elementis, & motuum in illis lege. Inde Anatomia dividitur, ad ductum *Heisteri*, in Osteologiam & Sarcologiam, hæc in Myologiam, Splanchnologiam, & Angiologiam, cujus subdivisæ partes sunt arteriæ, venæ, nervi, & glandularum, historiæ. Sic diviso Opere, Osteologiam aliam recentium, aliam siccorum ossium facit, & sceletum alium naturalem, alium artificialem, appellat. Ossa generalius æque ac specialius perstringuntur, consideratis in quocunque demum conditionibus, quibus compages ossea constat. Ossis pars principalis diaphysis, minus principalis, utpote quæ aliquo tempore, ex quo embryo formari cœpit, abfuerit, apophysis est; inde accessoriæ ossis partes habentur, cartilagines, glandulæ, vasa; junguntur ossa inter se ad articulum formandum variis modis, vel cum motu, vel sine motu; hæc articulatio synarthrosis, illa diarthrosis, audit. Diarthrosis vel luculentum, vel obscurum, motum præstat, nec luculenta isthæc articulatio una eademque existit. Quibusdam enim artubus hac ipsa ad omnes plagas, quibusdam ad definitas, moveri licet. Hoc modo differunt arthrodia, enarthrosis, ginglimus, qui aliquando cum enarthosi mixtus, id est, amphiarthrosis, deprehenditur, prout in articulo ossis primæ & secundæ vertebræ colli cum occipite. Ossa autem extra articulum nexa dicuntur vel sine medio, symphysi, vel cum medio, synchondrosi, synimenosi, syntenosi, & sic porro, contineri. Inde ossa singula, prout in scholis fieri solet, secundum conditiones processuum, profunditatum, mutuarumque immersionum, adducuntur. De musculis hæc habet. Est aliquod in omni musculo primum elementum, nullius, vel certe non sensibilis, compositionis, quod fibra motrix dicitur. Hoc cum sui similibus quamplurimis eodem, quem membrana format,

fasciculo detinetur, quo musculi formantur. Hos plurima intercedit diversitas. Alii enim cavi sunt instar cordis omniumque intestinorum, alii pleni, simplices alii, alii compositi, quidam a volumine magni vel parvi, a directione transversi, obliqui, recti, a loco frontales, occipitales, ab officio levatores, adductores, abductores, a figura trapezii, quadrati, rhomboidei, scaleni, & sic porro, appellantur. Vires istæ motrices aliquod sui motus punctum fixum in osse quiescente, aliquod mobile in opposito per articulum flexili, obtinent. Moralitas autem & mentis concurrentis imperium efficit, ut motus hi voluntarii, alii mechanici, quidam utrinque mixti, dici mereantur. De integumentis corporis humani, tum universalibus, tum particularibus, ornate dicit. Cutim quatuor stratis componi asserit, corio, corpore reticulari, corpore papillari, & epidermide; qua occasione de plicis sulcisque cuticulæ, de glandulis cutaneis, miliaribus æque ac sebaceis, de poris majoribus, qui sudorem, minoribus, qui insensibilem transspirationem præstant, de venis itidem absorbentibus, capillis, unguibus, differitur. Integumenta propria peculiarem commentationem mereri visa sunt; inde de musculis abdominis, peritonæo, & epiploo, dicere instituit. Peritonæi potissimum processus duo pro vasis cruralibus, duo pro vasis spermaticis, unum pro intestino recto, & pro vesica urinaria unum, explicantur. Succedit Splanchnologia, seu doctrina de visceribus & organis. Primo loco habentur ea, quæ abdominis cavum supplent, quorum chylopœa alia, alia uropœa, spermatopœa alia, dicuntur. Hæc in sexu sequiori formationis humanæ ex ovulo materno officina existunt. Vita fœtus in utero, convenientibus organis administrata, hic describitur, cui organa concessa sint talia, qualia nascituro, saltem pro conditionibus status sui amphibii competunt, qualia sunt thymus, canalis arteriosus, canalis venosus, foramen ovale, & sic porro. Proximo loco adducuntur vitalia organa, quæ ad motum humorum spectant, qui thorace continentur. Ultimo loco animalem actionem efficientia, & cranio contenta, organa, cum sensoriis, consueta ratione explicantur.

An-

Angiologia concinna methodo proponitur. Arteria quatuor membranis, vaſculoſa, muſculoſa, cellulosa, nervea, componitur. Hæc vel conſtantem habent ſeſe dividendi modum, vel pro individuo quoque diſcrepant. Cœliaca certe in quatuor ramos diviſa non penes omnes conſpicitur. Venarum membranæ eædem, ſed muſculoſa elaſtica minus exiſtit. Harum truncos cordis, auriculæ cuidam inſertos, tres, duos majores, cavam & pulmonalem, minorem alium azygon, allegat. Vena portæ peculiarem motuum legem obtinet, hanc tamen minus accurate, eo, quod ramos, ex quibus enaſcitur, proſecutus haud fuerit, definit, ſicut & in Nevrologia & Adenologia vela nimis contrahit. Perutilem tamen libellum, & idearum claritate perſpicuum, atque hoc ipſo commendabilem, judicamus.

CAHIERS DE MATHÉMATIQUE, &c.

h. e.

ADVERSARIA MATHEMATICA, USIbus Præfectorum Scholæ Pyrotechnicæ Regiæ, quæ Argentorati floret, accommodata.

Argentorati, apud Jo. Reinoldum Dulſſeckerum, 1737, 4. Alph. 4, Tabb. æn. 104.

Nullam omnino artium bellicarum perfectionem unquam ſperandam eſſe, ſi de iis ſcientiarum mathematicarum præſidia tollantur, id quidem evidentius eſt, quam ut longiori probatione indigeat, nec de eo dubitant æqui rerum æſtimatores. Norunt profecto, quicunque has ſcientias vel primis, quod ajunt, labris deguſtarunt, quicquid commodi, quicquid præclari, quicquid ingenioſi, hoc in genere inventum huc usque fuit, effectumque, id maximam partem deberi profundioribus Geometrarum diſquiſitionibus. Quis, quæſumus, potuiſſet eruere regulas iſtas, quarum ope pyrobolos ad ſcopum aliquem fixum projiciunt pyrotechnæ, niſi eximia illa *Galilæi* de

de motu gravium accelerato theoria imbutus? Atqui illud est problema artis pyrotechnicæ longe utilissimum, & difficillimum quoque, si difficultatem metiaris modo inveniendi. Quis porro certi quidquam statuere posset de impetu, quo e. g. globus tormento explosus mœnia ferit concutitque, vel pyrobolus decidens solum tectaque perforat, nisi præclara illa noverit de impulsu corporum recto vel obliquo, ac de velocitatibus corporum cadentium, theoremata? Non enim esse nullius momenti hancce quæstionem, licet vulgo neglectam, facile patet, & viris diuturno rerum usu instructis jam pridem innotuit. Quid dicemus de cuniculis subterraneis, pulvere pyrio, vallorum subruendorum causa, repletis? Ii quidem parantur plerumque ab hominibus rudioribus, & vix aliquali notitia practica tinctis, quam a suis hauserunt magistris, æque, ac ipsimet, indoctis. At vero, si rem recte reputes, aptam cuniculorum dispositionem pendere ex theoria quadam Physico-Mathematica satis difficili, deprehendes. Non enim ex pondere molis subruendæ vis & quantitas pulveris pyrii requisita unice æstimanda est, uti factum huc usque fuit, sed ex ejus quoque tenacitate, utpote pariter superanda. Quæ cum in praxi vulgo insuper habeatur, mirum quidem haud est, permultos sæpe cuniculos successu optato destitui. Non autem est, cur Mathematum in arte pyrotechnica necessitatem exemplis comprobemus pluribus. Eam pone sequatur ars muniendi, altera scientiarum bellicarum pars princeps, & nostro ævo ad insigne perfectionis fastigium evecta. Illam requirere exactam disciplinarum elementarium, Arithmeticæ, & Geometriæ, ad minimum practicæ, cognitionem, ii quoque fatentur ex Architectis bellicis, qui ceteroquin res mathematicas, earumque cultores, nescio quo contemtu, quove odio, prosequuntur. Ut enim dicamus quasi in transitu, ridiculum nobis videtur, Architectos illos, quos vulgo dicunt Ingeniarios, adeo exagitare homines mathematicos, ut vel eorum nomen ipsis sit fastidiosum, cum tamen rei fortificatoriæ, quicquid fere habet perfecti, a Mathesi vel accesserit, vel adhuc, uti mox videbimus, accedere debeat, ade-

adeoque arctissimum sit vinculum inter ea, quæ excolunt homines inveterato a se invicem odio disjuncti. Trigonometriam planam omne punctum ferre in determinandis munimentorum lineis & angulis, a nemine amplius in dubium vocatur. Quæ porro in excitandis lineis, quas circum- & contra-vallationis appellant, in determinando situ suggestuum, quibus tormenta imponuntur, (*Batteries*,) ut munimentum evertendum probe respiciant, in disponendis cuniculorum ductibus, &c. ejus sit opportunitas, ei facile innotescet, qui loci cujusdam muniti obsidionem spectandi occasionem nactus est. Et, cui deest occasio, hæc talia videndi, is majorem forsan notitiam ex Cl. *Belidori* Cursu mathematico haurire poterit, qui egregia sane continet problemata, ad scientiarum bellicarum progressus haud parum conductura. Analysis, sive Algebra, huc usque parcius in usum vocata videtur; at vero, quanta ejus vis sit in inveniendis munimentorum novorum generibus, ipso facto facile comprobari posset; quid? quod hanc in rem prostent specimina *Teyleriana*, *Sturmiana*, alia, ut taceamus, quanta præstet compendia in ipsis operum soliditatibus computandis, alias tædiorum plenis. Mechanicæ reconditioris (de vulgari enim nemo dubitat,) scientia quantum juvet Architectum, facile sibi persuaserit, quicunque de energia illa cogitaverit, qua valla excitata extrorsum premunt muros, qui ipsa convestiunt, & hanc ipsam energiam sustinere, eique adeo attemperari, debent. Et quotumquodque est munimentum, quod operibus careat subterraneis, utplurimum arcuatis, aliisve similibus? Fornicum itaque theoriam Architectus calleat, necesse est. Urbem ad fluvium sitam, portum maritimum, &c. quis munire poterit, qui nesciat leges fluidorum motorum, & in corpora solida impingentium, quorum impetum sua munimenta debent excipere ac reprimere? Omittimus sexcenta alia; quid enim multi simus in exemplis congerendis, rem per se satis claram illustraturis? Unicum adhuc superest, nobis attingendum. Bella scilicet non terra solum, sed mari quoque, geruntur; id quod tertiam constituit artis

 belli-

bellicæ partem, præstantia sua oppido insignem. Huic igitur operam daturus, artis nauticæ, & Hydrographiæ, præcepta pernosse debet. Hydrographia superstructa est Astronomiæ; non igitur aliquali ad minimum siderum notitia, & problematum summe necessariorum praxi, carere potest classem secuturus. Non autem continuo partem hanc posteriorem sibi reddere familiarem tenetur, qui scientiis bellicis sese devovit; quodsi enim classem haud sequatur, illam tuto negliget. Quorsum vero hæc omnia? Scilicet ut intelligatur, animam de artibus nobilissimis tollere videri, qui de iis mathemata tollunt; id quod in limine statim declarandum susceperamus. Id vero cum satis perspexissent Reges quidam & Principes, constituere seminaria & scholas in animum induxerunt, in quibus artes bellicas doceantur juvenes, & cum iis disciplinas mathematicas conjungant; consilio plane sapientissimo. Florent tales scholæ Parisiis, Argentorati, Dresdæ, Berolini, Petropoli, alibi. Instructæ sunt magistris, rerum scientia usuque conspicuis. Quis itaque dubitet, exinde prodituros discipulos præstantes, rebusque maximi momenti gerendis idoneos? Ut vero quisque magistrorum majorem in erudiendis hisce Martis filiis operam collocat, ita suo dignior est encomio. Quocirca præclare res suas agunt, qui scriptis exponunt publicis, quas scientiarum partes, & qua methodo, suis propinent auditoribus. Illud enim extra dubitationis aleam positum est, Cursus mathematicos vulgares, etsi optimos, non adeo profuturos hominibus, castra classemve secuturis; adeoque omnino interest, conscribere alios, in quibus perpetua habeatur praxium bellicarum ratio, duce Mathesi expediendarum, missis aliis, ad rem directe non pertinentibus. Hoc in genere eximia sunt, quæ in Cursu suo pariter, ac in scriptis aliis, evulgavit *Belidorus*. Idem quoque negotium in se suscepit Clarissimus apud Argentoratenses Matheseos Professor, & in schola Regia Lector, *Hertensteinius*, Libri præsentis, ceu patet ex Epistola dedicatoria, Autor. Nostrum est, brevem libri synopsin exhibere, qui non omnes quidem Matheseos partes continet, sed eas tamen, quarum summam in rebus bellicis necessitatem judicavit Autor,

tor, quasque adversariorum forma tradidit. Comparet igitur primo Arithmetica, in qua exponitur algorithmus numeralis, regulæ fractionum, regula aurea, simplex, composita, directa, inversa, &c. Loco regulæ, quam dicunt, falsi, sive positionum, fundamenta prima Algebræ jecit, æquationes primi gradus simplicissimas reducere docendo. In exemplis exquisitis multus est, & plurima proponit problemata absque solutione, ut discipuli sui, (iis enim scriptus est liber,) habeant ipsi, in quo sese exerceant. Numerorum quadratorum & cubicorum theoriam una cum radicum extractione in Geometriam rejicit. Arithmeticam sequitur Geometria elementaris. Ibi primarias ex *Euclide* Propositiones adductas & demonstratas videas. Calculum Algebraicum identidem in usum vocat Autor, eumque data occasione exponit, quousque illo opus habet. Generationem quadratorum numerorum perspicue tradit, ut & radicis extractionem, formulamque analyticam, eruit, ex consideratione figuræ quadrati. Ad resolutionem quoque æquationum secundi gradus hic adscendit, in problematibus Geometricis perquam necessariam. Cubicorum numerorum & radicum naturam, pariter ac quadratorum, explicat. Computum solidorum quorundam, e. g. conorum aut pyramidum truncatarum, comprehendere docet formulis analyticis percommodis. Sectionum quoque conicarum genesin ex ipsa coni sectione breviter ostendit, ut nomenclaturæ rationem facilius percipiant tyrones; & præcipuas earum proprietates algebraice eruit. Scire tamen Lectorem volumus, Autorem calculo algebraico maximam partem uti in solvendis problematibus, non autem in concinnandis demonstrationibus, si pauca quædam exceperis de Decagono, Pentagono, &c. theoremata *Ptolemaana*, conique sectiones & rigorum demonstrationem conjunxisse cum facilitate. Subjungitur ingens numerus Problematum Geometricorum, ope calculi Algebraici solvendorum, discipulorum industria; & Supplementum Geometriæ, quod agit de methodo dividendi triangulum datum in ratione data per lineam quandam rectam, e puncto dato eductam.

ctam. Geometriam excipit Trigonometria plana, in qua non solum proponuntur propositiones ordinariæ, cum doctrina de logarithmis, sed etiam alia quædam problemata, inde pendentia, per calculum analyticum soluta. Sequuntur Mechanica & Hydronomia. In Mechanica primo agitur de motu æquabili & accelerato, in medio non resistente, juxta theoriam *Galilæi*. Deinceps agitur de centro gravitatis duorum pluriumve ponderum, eorumque momentis, qua sunt facta ex massis in distantiis respectivis a centro gravitatis communi. Exinde derivat facillimam & notissimam regulam, determinandi distantiam centri gravitatis a puncto suspensionis; est enim quotus ex divisione summæ momentorum per summam massarum ortus. Regulam *Guldini* quoque attingit, cujus magna est opportunitas in computandis munimentorum soliditatibus. Ideam libellationis, tabulamque differentiarum horizontis veri & apparentis, ex *Picardo* subministrat. De motu quoque composito scitu maxime necessaria affert, cujus ope motum super planis inclinatis explicat. Quo facto, motum pendulorum exponit, & regulam de inveniendo oscillationis centro. Transit deinceps ad ipsum motum gravium oblique projectorum, in parabola, ubi, explicatis regulis ordinariis, exinde deductis, quasdam correctiones indicat, ob medii resistentiam faciendas. De motu corporum ex percussione, tam durorum, quam elasticorum, & de centro percussionis, summe necessaria proponit, & sic primam Mechanicæ Sectionem absolvit; in secunda vero de Machinis simplicibus, de virium ad Machinas applicatione, &c. agit. Hydronomiæ nomine generaliter complectitur Hydrostaticam & Hydraulicam, adeoque leges pressionis & motus fluidorum. In ea tradenda ita versatur, ut de gravitate corporum specifica, de pressione liquorum, de motu liquorum naturali, & artificiali, deque impulsu fluidorum, agat, & machinas hydronomicas, suo quamvis loco, explicet. Progreditur jam ad artem muniendi, seu fortificatoriam, in qua methodos duntaxat *Vaubanianas*, recentiorem præcipue, qualis est Neo-Brisaci, exponit. Profila, quæ vocant, Brisaciensia mi-

minutim exhibet; obſervationibus practicis, iisque utilibus, ubique inſperſis. In Architectura civili, quæ militarem excipit, tantum deprehendes, quantum ab hominibus exigi poteſt, in quorum gratiam conſcripta eſt; ſcilicet principia, bene, ſolide, pulchre, ædificandi. In Tractatu de Perſpectiva, Architecturam inſequente, methodi exponuntur, facillimæ & expeditiſſimæ, figuras quasvis planas & ſolidas optice repræſentandi, adjecta umbrarum doctrina, & facta applicatione ad opera fortificatoria. In tradenda dein Coſmographia pro ſcopo ſuo breviſſimus eſt Cl. Autor. Poſtquam de ſphæra, ejusque circulis, ſcitu digniſſima dixiſſet, de motu apparente in genere loquitur, ex vario incolarum globi terraquei ſitu reſpectu polorum oriundo, de ſyſtemate mundi, & inæqualitatibus planetarum opticis, ut ſtationibus & retrogradationibus, item de adſpectibus, eclipſibus, & quæ ſunt alia, tandemque de projectionibus ſphæræ gnomonicis, ſeu de horologiorum ſolarium conſtructione. Coſmologiæ Geographiam jungit, non mathematicam ſolum, ſed & hiſtoricam, utramque in epitomen redactam. Res aliquas hydrographicas, Loxodromiam, Mappas nauticas, &c. paucis attingit. Ultimo tandem loco comparet Tractatus de Algebra. Poſt introductionem, agitur 1) de natura & transformatione æquationum; 2) de reſolutione æquationum, radices tam rationales, quam ſurdas, habentium, ubi ad æquationes biquadraticas adſcendit, neglectis altioribus. In cubicis explicatur regula *Cardani*, in biquadraticis methodus *Carteſii*. Agitur 3) de conſtructione æquationum, deque lineis ei inſervientibus; 4) de locis Geometricis, ubi exhibentur formulæ generales *Craigianæ*, aut, ſi mavis, *Hoſpitalianæ*. Analyſis infinite parvorum in *Parte prima* exponit 1) naturam calculi differentialis; 2) methodum tangentium directam; 3) de maximis & minimis. *Parte ſecunda* agitur de calculo integrali, ita quidem, ut 1) exponatur ejus natura; 2) uſus in quadraturis; 3) in rectificationibus; 4) in cubationibus ſolidorum; 5) in inveniendis ſuperficiebus, ex rotatione curvarum circa axem genitis; 6) in determinando centro gravitatis figurarum;

7) in methodo tangentium inversa; 8) in construendis logarithmis. *Tertia Pars* continet 1) calculum exponentialem, ejusque naturam; 2) usum in eruenda curvarum exponentialium natura. *Pars* tandem *quarta* tradit calculum differentio-differentialem, ejusque usum 1) in inveniendis punctis flexus contrarii, & regressus, 2) in determinando radio curvaturæ. Observamus cetera, Cl. Autorem in hac Algebra sua, & præcipue infinitorum analysi, identidem pressisse vestigia Elementorum *Wolfianorum*. In laudem vero totius Operis dicendum, quod rerum delectu, & clara explicatione, videatur commendabile. Nulli igitur dubitamus, quin Cl. Autor scopo sibi præfixo fecisse satis dicendus sit.

D. Joh. George Estors auserlesene kleine Schriften.

h. e.

D. JO. GEORG. ESTORIS, JURIUM P. P. ORD. Jenensis, Opuscula selecta.

Partes X.

Giessæ, apud Joach. Philippum Kriegerum, 1734 – 1737, 8 maj. Alph. 7.

Celeberrimi Jenensium Doctoris, *Jo. Ge. Estoris*, cujus quamplurima jam olim in lucem exierunt elegantis ingenii judiciique probe exercitati monumenta, nunc novus in scenam prodit liber, isque, si molem spectes, exiguus, magnus vero & eximius, si rerum hic propositarum pondus & gravitatem. Facturusne operæ pretium sit, si Opuscula quædam minora, a se vel collecta studiose, vel operose elaborata, cum lectoribus illarum rerum curiosis communicaret, diu dubitavit Vir amplissimus. Egit tandem, quod & publicæ rei salutare, & sibi gloriosum futurum, optime perspiciebat, deditque in manus nostras scriptorum politissi-

litissimorum *Partes decem*, quarum nunc argumenta summa breviter strictimque indicabimus.

Pars I septem Opusculis absolvitur. *Primum*, vernaculo sermone scriptum, *de Archipincernis in Hassia, Schenckis Schweinsberga*, agit. Horum origines ad initia imperii *Henrici Infantis* refert, primamque in charta *Christiani II*, Episcopi Moguntini, A. 1249 factam gentis mentionem indicat Doctiss. Autor, cui tum inprimis multum laboris devorandum fuit, cum omnia *Schenckorum* obvia in veteris ævi tabulis colligeret prænomina. Sequiori ævo in binas lineas gens *Schenckorum* divisa est, quarum alteri ab arce Schweinsberg, alteri a castro Hermansstein, nomen adhæsit. Neque tamen ideo hæ lineæ hæreditarium Pincernæ Hassiaci officium alternis gerunt, quippe quod ad seniorem totius pertinet familiæ. *Alteri* opellæ, patrio itidem sermone exaratæ, titulus est: *de Feudis simultaneis & manu simultanea in Hassia.* In Hassia pure coinvestitus non ubivis, si succedat, innovationem investituræ petit, sacramentique fidem obstringit religione. Spectandi interim curiarum mores, quas inter Fuldensis vasallagium novum postulat. Secus est, si quis eventualiter, ut vocant, fuerit investitus. Nam tunc omnino jura provinciarum amice conspirant. Id valde miratur Cons. *Estor*, neminem ex omni doctorum Juris feudalis exercitu, quid sit *manus simultanea*, (*gesamte Hand*,) strictim explicuisse. Ipse enim nihil arbitratur facilius. Cum investitura sit negotium, quo dominus vasallo feudum, aut simile quid, salarii loco tradit, quis, quæso, dubitet, hanc & uni dari potuisse, & pluribus, iisque vel omnibus simul, vel successive, ita, ut, priore exstincto, alter, & ita reliqui, succedant. Tractationis *tertia* index est: *de Locationibus ad dies vitæ, arbitrariis, & ad longum tempus initis*, ubi iis inprimis diem dicit Cel. Autor, qui ex longioris temporis locatione jus in re dominiumque oriri arbitrantur. Observatio *quarta de locatione ad firmam* agit. Variæ sunt eruditorum de hoc argumento sententiæ, inter quos *Cangio* propius ad veritatem accessit nemo. Cel. *Estor* ex Anglica lingua

Marginalia: Cap. 1 §. 2. — §. 4. — Cap. 2. — §. 24. — §. 27. — Cap. 1 §. 4 seq.

§. 2. pag. 149. gua vocem repetit, ubi, si *Wilh. Robertsono* in *the phrasebook* fides, *a farm*, prædium, fundum, villam rusticam, significat. Tum, si rationes subducas, *dare in firmam* idem erit, ac in conductionem locare, seu conducere. Vid. *Reinesium* in *Var. Lect. Lib. III Cap. 1.* *Quintum* locum *Sixti Sommeri Tractatus de S. R. Imperii Archi-Mareschallatu* occupat, cujus editionem novam Cl. *Kœlerus* suasit. Sequitur *sexto Deductio juris Landgravii Hassiaci in monasterium Heinam ante tempora Reformationis, ex monumentis fide dignis adornata.* Argumenta ex binis petita sunt Diplomatibus, quæ ex tabulario Ziegenhainensi protraxit Cel. Autor. Agmen claudit Observatio *septima de ministerialibus Comitum Ziegenhainensium. Partis II Tractatio prima* naturam

Cap. I. *Feudorum Hassiacorum*, quæ *Kunckel-Leben* vocantur, explicat. Quanquam pleraque Hassiæ feuda sint virilia, datur tamen in quibusdam, exstincta mascula stirpe, fœminis succedendi potestas, quæ cur nomen hoc peculiare nacta fuerint,

2. in Analectis Hassiacis *pag. 9 not. d.* & *pag. 243* Cel. *Estor* jam occupavit. Ipse Comitatus Hassiæ talis tum fuit, cum Comes inter Landsassios Thuringos numeraretur. Observatio *altera* statum *hominum propriorum ab A. 1455* illuminat; *tertia* autem telam jam supra inchoatam, *de Locationibus longævis, arbitrariis, & ad vitæ tempus initis*, recipit; *quarta origines Comitum Erbacensium* indicat, quas vulgaris error ab *Eginhardo, Caroli M.* notario, quem *Einhardum* alii, alii *Heinardum*, scribunt, & *Imma*, ejusdem Imp. filia, derivavit. Accessit Tabula Genealogica, quæ *Hübneri* lapsus corrigit quamplurimos. *Quinto* succedit quæstio, *unde Annatarum Papæ exsolvendarum nata sit in Germania necessitas?* Operæ pretium erit,

§. 7 seq. tribus, ut ajunt, verbis Cel. *Estoris* exponere sententiam. Vetustissimis quidem temporibus apud solas ecclesias quivis erant reditus; ex quibus postea & Imperatores & Pontifices Romani amplapetebant munera. Jam sub *Ludovico Germanico* illa Papa postulavit, ut, cum *Ludovicus Infans* sceptra teneret, id jus competere Pontifici, nemo dubitaret amplius. Sed laudata per omne ævum sedis Romanæ avaritia modum excessit. Hinc *Ludovicus Bavarus* Aug. *Joanni XXII* solas annatas, prætereaque

que

que nihil, concessit. *Sextum* locum occupat *Justi Fontanini delle Masnade, ed altri servi secondo l'uso de' Langobardi, ragionamento in una lettera all' Illustrissimo Signor* Girolamo de Puppi. Librum hunc perrarum, in urbe Venetorum A. 1698 typis descriptum, inde Cl. *Kœlerus* arcessivit, inque publicæ rei utilitatem convertendum & recudendum cum Conf. *Estore* lubens communicavit, qua re effecit, ut publicæ ipsi Pag. 294.
grates sint persolutæ. *Partis III prima Sectio* varias continet *de ædium Romanarum altitudine, & copia incolarum*, annotationes, quæ ad *servitutem altius tollendi, & non tollendi*, illustrandam haud parum conferunt. Scilicet, quo minores §. 9 seq.
exilioresque domus ante belli Punici II tempora in urbe erant, eo majores & altiores postea evaserunt, cum familiæ servorum crescerent, & advenæ in dies augerentur: adeo quidem, ut, laxitatem urbium ab ædibus superari, scribat L. *Annæus Seneca*. Uberius id argumentum *Julius Minutolus*, a *Sallengrio Tom. I pag. 71 seq.* denuo editus, illustravit. Postea Imperatores in vicinorum favorem ædificantibus modulum præscripserunt, pedes 70 *Octavianus*, 60 *Trajanus*, 100 *Zeno*, per *l. 12 §.* 12 seq.
4 C. de Ædif. priv. Quando quis autem, vicini rebus bene cupiens, juri suo vim inferri, & definitæ ædium altitudini addi quidquam, permitteret; orta altius tollendi servitus: itemque, si per pactum sanciretur, ut infra modum legitimum statueretur domus cacumen, nata servitus altius non tollendi. Scrupulum *§. 2 J. de Action.* facit, ubi, ex servitute altius tol- 23 – 25.
lendi confessoriam, ex altera negatoriam, proficisci actionem, dicitur. Sed salva res est, quippe quæ eo redit: jus tollendi altius competit cuilibet, quatenus a lege non restringitur. Tum, si quis impediat, negatoria actione repellitur. Si vero, modo per leges antea definito, pactum cum vicino ineundum, & servitus stipulatione quærenda est, ea acquisita, alteroque reclamante, confessoria actio recte instituitur. His positis principiis, merito Doctiss. *Westenbergium* notat, qui in naturali li- 15.
bertate restricta servitutis hujusce quærit fundamentum; nec injuria *Noodtio* diem dicit, qui, servitutem altius tollendi ser- 14.
vituti, ne luminibus officiatur, geminam esse germanam, diser-

tis profitetur verbis. Observatio *altera de Feudis Palatinis, secundum instituta Fuldensis curiæ concessis*, agit, qualia a Comitibus Erbacensibus & Hanoviensibus possideri, ex investituræ tabulis de A 1438, 1481, 1522, 1718, 1722, patet. Tractationi *tertiæ* titulus est *de liberis ministeria obeuntibus* (*freyen Dienstleuthen*). Multi illustri loco nati tales se effici sustinuerunt, quo officia hæreditaria, & alia civitatis militiæque munia, obire possent. *Quarta* opella *de Juribus feudorum divisibilium & indivisibilium* agit. Observat hic Cel. Autor, olim, dividere feuda, vasallis severe interdictum fuisse, quamvis aliam prorsus opinionem Jurisprudentiæ feudalis patres, *Rosenthalius* & *Schraderus*,
§. 5. cum *Ittero*, *Struvio*, & *Fleischero*, amplectantur. Peculiare est, quod in feudo Palatino ad Dynastas Erbacenses delato accidit, ut singulæ stirpes de singulis portionibus singulatim investiantur, quemadmodum ex charta *Ruperti*, Comitis Palatini, de A. 1398 apparet. *Quintum* locum occupat responsum ordinis JCtorum Giessensis, A. 1732 d. 21 April. editum, quo argumentis quatuor viginti *legitimæ* Jurique divino & humano convenientes evincuntur *nuptiæ, cum defuncti fratris vidua ante stuprata initæ*. *Sexta* Observatio quædam tradit de *Jure Ordinum S. R. I. in opifices, & oriunda inde certum ipsorum numerum constituendi libertate*: cui *septimo* succedit *Jo. Steuberi Oratio secularis, adhuc inedita, Professores Theologos in Academia Marpurgensi celebres* ordine chronologico recensens. Tum *octava* Tractatio in *origines Principum Comitumque de Lœwenstein & Wertheim*, a *Friderico Victorioso*, Electore Palatino, derivandas, inquirit: quam & *stemma Leostenianum*, *nono* positum loco, quod Francofurti A. 1624 prodierat, & *Huberto Thomæ Leodio* vulgo fuerat adscriptum, quod vero nunc Cl. *Joannis* in Observation. ad *Pareum Rheinhardo* cuidam, aulæ *Leostenianæ* Consiliario, vindicavit, uberius illustrat. *Decima Sectio* probat, *nobilitatem inferiorem feuda olim dare non potuisse*. Cum enim feuda sint stipendii a militibus meriti loco, non nisi ab iis proficisci poterant, qui-
15. bus jus belli gerendi competiit. Illa igitur feuda, quæ nobiles aut nobilibus aliis, aut rusticis, concesserunt, sunt genus

oppi-

oppignorationis, qua prædium, ad modum feudi, aut ſub annua præſtatione, aut ſine illa, utendum relinquitur. *Ultimo* id egit loco Cel. Autor, ut falſas doctorum de *Subfeudis* ſententias coerceat. Harum conceſſio ſine autoritate domini directi nunquam permiſſa, eoque modo textus Juris feudalis Longobardici Legumque Saxonicarum & Suevicarum, interpretandi veniunt. ***Partis IV*** Obſervatio ***prima*** ſingularia ***de provocationibus*** tradit capita. ***Cap. I*** Græciæ oras Cel. ***Eſtor*** luſtrat, in quibus quoſvis magiſtratus *σὺν ἐφέσει* & Lacedæmone & Athenis ex ***Lycurgi*** atque ***Solonis*** inſtituto creatos, ab his vero ad judicia & populum datam provocationem, ***Plutarchi Chæronenſis*** fide, tradidit. Hinc ***Cap. 2*** ortum & progreſſum apud Romanos examinat. ***Cap. 3*** de natura provocationis ex mente Juris Romani diſſerit, & ***Cap. 4*** de appellationibus ex mente Juris Canonici quædam adjicit. Locum ***ſecundum*** occupat *Th. Ge.* ***Grævii*** Diſſertatio ***de Jure prædiario: tertium Hier. Rorarii*** opella, quæ ***murium in hortis Campegianis degentium orationem pro ſe ipſis, adverſus Nic. Beſtii, Vicarii Papalis, edictum***, ſiſtit, primumque Romæ A. 1663 evulgata fuit. ***Quartæ*** Tractationi index datus eſt ***de differentia Liberorum Dominorum, & Nobilium Dominorum, & Dynaſtarum, & Nobilium, & Equitum, nec non de titulo*** de & ad. Nobilium, §. 2.
Dynaſtarum, & Dominorum, tanta olim fuit dignitas, ut Comites inde ac Duces, imo Imperatores, legerentur, nec aliam Auguſta domus Auſtriaca agnoſcit proſapiam. Dynaſtas Landſaſſios *Barones* dictos, quæ vox virum indicat, non a veri abludit 5.
ſpecie. Qui in Saxonia, Bavaria, aliisque provinciis, ſubjugati, 6.
titulo ***der edelen Herrn*** priſtini ſplendoris memoriam conſervarunt. Quibus inter has clades gloria libertatis ſalva 8.
manſerat, nomine ***ſemper Frey*** læti ovabant, iique vilioris conditionis Equites quamplurimos in ditione ſua habebant. Si belli tempore dominum territorii vaſſis ſtipati ſuis juvarent, 11.
vexillo peculiari ſuperbiebant, unde nomen ***der Pannier-Herrn*** traxit originem. Epitheta ***von*** ac ***zu*** olim non ita 23.
promiſcue, neque niſi ad prædium feudale indicandum, adhibita. ***Quinto formam, qua Cæſar dignitatem equeſtrem & nobilium indulget***, e Diplomate Domini ***de Lebenner*** A. 1732 d.

26 Martii dato illustrat. *Sexto dignam notatu in feudo successionem, cum accedente repræsentationis jure*, explicat. *Septima Sectio de sponsalibus Judæorum, & duplici ob nuptias donatione, ketbuba & netbunia*, tradit. *Ketbuba* est genus
Cap. 1 §. 5, 7. dotis, a marito, antequam duceret uxorem, in solatium futuræ viduitatis datum, quod, si virginitate illustris esset spon-
Cap. 2. sa, 200, si vidua, 100 zuzim plerumque constabat. *Netbuniæ* autem voce certa pecuniæ summa indicatur, quam sponsa sponso, kethubam compensatura, offert. Tam necessarium hoc habebatur pactum, ut sine eo nuptiæ essent invalidæ, eo autem perfecto, præsentes *Massel tof* exclamarent, & ita ἀγαθὴν τύχην novis nuptis apprecarentur. Succedit *octavo Pactum nuptiale, inter Judæos cautissime prorsus atque callidissime firmissimeque initum, nihilo minus tamen acriter in judicio impugnatum, & coram ipso S. R. I. Judicio Aulico in disceptationem vocatum. Nono* loco *differentiæ indicantur, quibus balneatoribus & tonsoribus uti licet*, ubi inprimis disquiritur, an illis nomen *Chirurgorum* æque competat, quod hi coram magistratu Hildesiensi negarant, cum quis ex balneatorum sodalitate talem se in publica proclamatione appellari voluisset. Affirmativam ordo JCtorum Giessensium tuitus est, & balneatoribus interdictum, *uti possidetis*, contra tonsores instituendum, subministravit. *Decimo* notatum numero Programma Cel. *Estoris* reperitur, quo *subsidia quædam, ad explicandum pacis Westphalicæ Instrumentum facientia*, suggessit, & lectiones suas, A. 1726 Cal. Juniis inchoatas, indixit. Observatio *undecima differentiam literarum nobilitatis & insignium* (*der Adel-und Wappen-Briefe*) in Diplomatibus, genti *Hæflingeriæ* a *Carolo V* A. 1546 & 1550 datis, conspicuam illustrat. *Duodecima* autem *de moribus quibusdam singularibus, investituræ feudali interdum cohærentibus*, dispicit. Dantur enim feuda, ad binas gentes diversas pertinentia, ubi una tantum substitutum communem (*den Lehntræger*) nominat, eoque defuncto, alii munus mandat, ceu ex charta *Wilhelmi*, Landgraviæ Hassiæ, de A. 1552 d. 5 Nov. apparet. Finem faciunt *Meditationes Amici in Ayrmanni Dissertationem de Conrado Marpurgensi*, contra *Estorem* conscriptam.

Ita

Ita *Volumen I* explicit, cui *ſecundum*, pari elegantiæ & eruditionis apparatu conſpicuum, ſuccedit. *Partis V* initium ornant *Antonii Dadini Alteſerræ Prælectiones VI ſolennes, pro inſtaurandis ſcholis habitæ.* Sequitur *altero* loco *Conſideratio fundi, a binis diverſis plane dominis accipiendi, in quo tamen ne minima quidem dominii directi deprehenditur diviſio.* Poſſident feudum ejusmodi *Jo. Geo. Guilielmus* & *Ludovicus Erneſtus* fratres *Schenckii in Schweinsberg*, quo a Comitibus Hanovienſibus & Solmenſibus inveſtiuntur, ſicut adjectæ docent literæ. Dubium inde movet Cel. *Eſtor*, quomodo cum ademtione feudi ob feloniam in unum e dominis commiſſam, altero rebus vaſalli faventiſſimo, comparatum ſit. Ea de re adhuc ſub judice lis eſt, qua finita, amplius ejusdem examen Cel. Autor pollicetur. Succedit *tertio Spicilegium Diplomatum ad Lunigii Corpus Juris Feudalis*, feuda Hirſchfeldenſia & Haſſiaca illuſtrantium. Jungitur *quarto Index Sociorum Sodalitatis Scientiarum regiæ, quæ in Anglia floret*, Anglico ſermone ſcriptus. Finem Juris Germanici Specimen, *de hominibus propriis Germaniæ, in Weſtphalia præſertim ſuperſtitibus*, imponit, quod Capitum quadriga abſolvitur, ita, ut diſſeratur 1) de origine & ſtatu ſervorum ſecundum Jus naturæ; 2) de conditione ſervorum ſecundum Jus Romanum; 3) de ſtatu ſervorum ex mente Juris Canonici; 4) de ſervis ex doctrina Juris Germanici. *Parte VI* variæ, non utiles minus, quam curioſe deciſæ, reperiuntur Juris quæſtiones. Quod ad *primam* attinet, *an Civitati S. I. R. liberæ integrum ſit, ſententiam criminalem, a JCtis exteris petitam, & legitime promulgatam, poſtea immutare?* negantem opinionem defendit ordo JCtorum Colonienſium, cum tale quid in reſponſum Gieſſenſe arrogaſſet ſibi Senatus liberæ Reipublicæ Aquisgranenſis. Quando *ſecundo* quæritur, *qua ratione cauſa criminalis ad ſumma S. R. I. tribunalia deferri queat*, cum præter Receſſum Imperii de A 1530 *§. 95* Ordinatio Cameræ illud in univerſum vetet, Cel. *Eſtori* conſultum videtur, ut, ſi quis ſe nimis gravatum conqueratur, Cameræ imploret auxilium. Tum enim illa injuriam ponderat, eaque deprehenſa, magiſtratui ſen- §. 7.

tentiam injungit emendandam. *Tertia* quæstio, ***quis in alienationem rei immobilis, ab Ignatiana sodalitate factam, consentire debeat?*** ita deciditur, solius Pontificis R. requiri autoritatem. *Quartum* locum ***Jani Vinc. Gravinæ de corrupta doctrina morali Dialogus*** occupavit. *Quinto* causa indagatur, ***cur tam exiguus sit urbium Imperii numerus in Westphalia?*** nullaque reperitur facilior, quam Statuum in istis oris potentia, quæ domaniis Imperii & magno nisu, & successu felici, inhiavit. Accessere Diplomata quædam inedita, urbem Westphaliæ ***Sœst*** attinentia, quæ post ***Ludolffum***, ***Weinlandum***, & ***Bœhmerum***, collegit Autor Amplissimus. Succedit *sexto* ***Zuhlii*** cujusdam Opusculum, ***Ganerbinatum rusticum in fundo Breitenbach*** mire illustrans, additurque *septimo* ***ejusdem Ganerbinatus expositio uberior***. *Octava* Tractatio ***maximam rerum in Germania permutationem per fundatas Academias enatam*** exhibet, simulque hac occasione, ***munia a Nobilibus ad cives pervenisse quamplurima***, copiose probat. Antea enim Nobiles præfecturas administrabant, quemadmodum series Præfectorum Ysenburgensium per decursum Seculi XV docet; iidem munere Scultetorum fungebantur, ceu exempla, a *Senckenbergio* tam in *Selectis Juris & Hist. Tom. I pag. 296*, quam in *Prodromo Jur. Feud. pag. 149*, adducta, satis evincunt; imo & Zentgravii obibant partes. Sic ***Hermannus Smelzgin*** in chartis vocatur ***Edelknecht und Zinckgraffe zu Selbolt***. ***Nonum*** Programma *ποικίλον* locum occupat, in quo *§. 1* methodus ediscendi Jus civile Romani proponitur, *§. 2* utilitas Historiæ literariæ commendatur, adductis ineptis & cachinno dignis ignorantium hallucinationibus, *§. 3* ars Heraldica laudatur. *Pars VII* elegantiores eruditorum de Ganerbiis conatus publici juris facit. Continet enim 1) ***Jo. Leiberi Tractatum de Ganerbiis, horum juribus, & ganerbinatibus***, Sleusingæ A. 1667 editum; 2) ***Mart. Zach. Crameri, Professoris Lipsiensis, Dissertationem de ganerbinatu***, Lipsiæ A. 1677 editam; 3) ***Conr. Sam. Schurzfleischii Epistolam, A. 1677 d. 2 Maji scriptam, qua Jac. Frid. Leickherrum ad argumentum hoc σπεδαίως examinandum hortatur***; 4) ***Ern. Frid. Bochii Dissertationem inauguralem de pace Burgensi***, Argen-

Marginalia: Pag. 338 – 367. (beside "Accessere Diplomata … attinentia"); §. 2. (beside "quamplurima"); 3. (beside "senburgensium"); 4. (beside "partes").

gentorati A. 1681 ventilatam; 5) *Ge. Nic Appoldi Dissertationem inauguralem de Signo pacis*, Giessæ A. 1694 defensam; 6) *Joach. Geo. de Pleinnies de Ganerbinatu Saxoniæ inferioris* Schediasma; 7) *Documenta Ganerbica domus & arcis Rotenbergi.* Idem institutum *Parte VIII* continuatur, qua descripta typis denuo leguntur 1) *Godofr. Appoldi Dissertatio inauguralis, sub Præsidio Adr. Beyeri* Heilbornæ A. 1694 habita, *de Jure castrensi*; 2) *El. Frid. Heitmanni Dissertatio inauguralis de Austregis conventionalibus Ganerbiorum nobilitatis immediatæ, Geschlechts-Erkohrnen*, Erfordiæ A. 1728 exhibita; 3) *Excerptum e Vijul. Hundii Excerptis nonnullarum Observationum historicarum pag. 399*; 4) *Ant. Matthæi Observationes quædam, ad rem Ganerbicam facientes*; 5) *Aub. Miræi opella de Castellanis olim per Belgium frequentibus, quos hodie Vice-Comites aut Burggravios vocant*; 6) *Jo. Strauchii Dissertatio de Ganerbiis*; 7) *Jo. Nic. Hertii* ineditæ *de Ganerbinatu Quæstiones*; 8) *Collectanea de genuino significatu formulæ in investituræ literis frequentissimæ*, castrum cum omni causa, *vel, ut vulgo ajunt*, cum pertinentiis, *ex Rosenthalio, Merckelbachio, Klockio, Schradero, Gyllmanno, Meichsnero, Heidero, Knichenio, Gæddeo, Ittero, Finckelthusio, Menochio, Harpprechto, Lynckero, Hornio, Schwedero, Stryckio, Hertio, Menckenio, Coccejo, Struvio*, ac *Senckenbergio, studiose congesta*; 9) *Chartæ Ganerbicæ ineditæ*; 10) *Estoris* nostri Programma, Jenæ A. 1735 evulgatum, *de Syndicatus instrumentis Ganerbiorum subsignandis. Partis IX primam* paginam ornat Autoris Amplissimi Oratio inauguralis, *practicas* sistens, *quibus Consiliarii Statuum in publico Imperii bello uti solent, Observationes.* Locus *alter* consecratus est *Eob. Hessii de ærumna scholastica Elegiæ. Tertium* occupant *Monumenta XIV inedita, veteres Dynastas Dynastiæ Itteriensis & Cœnobii Montis S. Georgii attinentia*, quæ ex liberalitate *Hombergii*, Advocati Darmstadiensis, profecta gratus fatetur Vir Amplissimus. Succedit *quarto Pax Tannæ Burgensis* de A. 1687 d. 10 Nov. opimum musei *Liebknechtiani* spolium. Sequitur *quinto Ferdinandi II Confirmatio Pacis Burgensis Gærziorum de A. 1631*

d. 10

d. 10 Julii. Reliquæ Observationes industriæ Cel. *Estoris* debentur. Ita *sexto* varia de *Castro Gellnhausen* exhibet, *septimo de Castro Friedberg*, cui, ademtis oneribus, locum in Comitiis concesserunt Imperatores, adjunctis Diplomatibus ineditis, commentatur;

§. 2. *octavo de Landsassiatu Hassiaco* differit, cujus existentiam contra *Lynckerum* &, qui absurdiora inde commentus est, *Harpprechtum ab Harpprechtstein*, e dominio directo Landgravii in *Buseckerthal*, suffragantibus *Guil. Beckero, Lud. Menckenio, Jo. Ge. de Plœnnies*, aliisque, tuetur; *nono Catalogum nominum & feudorum, a Nobilibus in utroque Hassiæ Ducatu possessorum*, concinnat; cui *decimo* loco succedit Dissertatio *de Differentia inter Taxam feudalem, Laudemium, seu mercedem manualem, & numum scriptorium, a rusticis inprimis solvi solitum.*

1. *Parte decima*, quam, si quid valent vota nostra, plura alia sequentur, decem continentur *Opuscula*, quorum *primum Synopsin* exhibet *Statutorum, Privilegiorum, ac Novellarum Constitutionum, inclytæ & Imperialis nationis Germanicæ in Aca-*

2. *demia Aurelianensi*, tam ex *vetustissimo Codice & duobus Statutorum Libris posterioribus*, quam ex *Novellarum Constitutionum Codice*, olim in itinere literario descripta, posteaque cum Cel. *Estore* communicata, a Doctiss. *Burio*, Comiti Isenburgensi nunc ab Aulæ Consiliis; *secundo, quæ olim Status Imperii majores adversus Ganerbinatus inferioris nobilitatis consilia ceperint*, disquiritur, simulque *de Jure aperturæ* agitur; *tertio Selecta Ganerbica, adhuc inedita*, proferuntur; *quarto* elegantissima Cel. Autoris *de Jure, quo Turcæ in bello contra Christianos utuntur*, legitur *Oratio; quintum de Nobilibus Vasallis inferioris nobilitatis* commentatur; *sexto de Feudis, quæ a Vasallis per ultimam voluntatem transferri ad hæredes possunt*, agitur; *septimo Documentum* exhibetur, *unde illustratur quæstio: quæ res in feudum dari possint? octavo* aliud profertur *Documentum, quo doctrina de Provasallagio ad Seniorem gentis pertinente* confirmatur; *nono Documentum* additur ineditum, *in quo Fridericus I Imperator se Regem Siciliæ appellavit; decimo*, eoque ultimo, lectoris ingenium pascit *Daphnis, Ecloga Amyntæ*, Cel. *Estoris* laudibus & novis in Academia Jenensi honoribus consecrata.

No. X.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris Anno MDCCXXXVII.

MUSEUM FLORENTINUM, EXHIBENS insigniora vetustatis monumenta, quæ Florentiæ sunt, cum Observationibus ANTONII FRANCISCI GORII, Prof. Publ. Hist. Tomus tertius, continens Deorum, Dearumque, & Virorum illustrium, statuas.

Florentiæ, ex typographia Franc. Moüke, 1734, fol. maj. Alph. 1 plag. 14, cum Tab. æn. 100.

Italiam olim Martis atque Veneris connubia ad tam insuetam tamque incredibilem felicitatem credita sunt extulisse, ut, quæcunque vel bello decora, vel pace venusta essent, una ad sese immenso studio raperet, traheretque tanquam totius orbis spolia infinitam armorum potentiam, inexhaustum virorum robur & copiam, rerum vero gestarum tantam gloriam, quanta ad Deorum invidiam satis esset; præterea delicias naturæ totas & illecebras mirabiles in operum magnificentia, ædificiorum splendore, honestarum artium curioso ingenio, victus lautitiis, hominum indole, formæque dotibus; in omnis vitæ denique, morum, dictorum, factorum, majestate & ornamentis pulchritudines longe quæsitissimas. Eadem vero nisi nostra ætate his præsentibus se juvari Numinibus fateatur, pæne mirum sit, si, ut veteribus, nobis quoque, multorum credere Deorum religiones mos esset.

Marte enim quanquam iratiore adhuc videatur usa, certum tamen est, non tam ipsa bella esse læta solere, quam eam, quæ bellis paritur, rerum tranquillitatem. Venus autem, non terrena illa, sed pura, sed cœlestis, sed Philosophorum religionibus & amoribus digna, quam hæc sua regna colat, utque quam plurimas mirificarum excellentissimarumque rerum illecebras, & sui quasi expressas atque effictas quasdam imagines, existere in iis velit, & vires ipsa sufficiat, ut se his quasi exornatiorem & conspiciendam præbeat, unum hoc *Museum Florentinum*, æternum Opus, ut unicum curiosissimæ felicitatis monumentum, quo splendidioris vetustatis memoria reparetur, satis superque declaraverit. Quod non vani nobis augurii fidem fecit, quam felicis hujus seculi ortu a *Gorio*, &, ut ei quisque quam simillimus fuerit, maximis Viris, restituta elegantiorum literarum majestas & honor non spem modo ac votum, sed ipsius voti fiduciam & robur, assumserint. Cujus cum *tertium Volumen* ad manus nostras pervenisset, nobis nihil potuit ex voto esse magis, quam ut doctos tam auspicato nuntio afficiendi præclarum munus sortiremur. Quippe quibus, per tantas laudes euntibus, necesse sit redire totam illam admirationis vim atque voluptatem, qua captos tum nos meminimus, cum ad primum, novum eum & insolitum, harum deliciarum adspectum pari oculos atque animum cœlestissimæ artis luce satiaremus; ut videremur nobis inter eas ipsas immortales mentes atque cœtus versari, quorum tum species contemplabamur, tales plane, quales ex manifesta divinitatis fide, & naturæ majestate supremæ, credidit antiquitas. Est enim, ita nos dii ament, operæ pretium, intueri illam divinorum ingeniorum manum, quam promum est mirari omnibus, venerari peritis, æmulari nemini; ut facile crederes ab ea ipsa adjutam immortali natura, in qua fingenda tanto studio, sequendoque, quodcunque habuit hæc nostra atque imbecilla excellentissimum, elaboravit. Vel ille ipse *Jupiter*, qui sinistro omine principem hujus quasi cœli locum insedit, quam toto habitu Divum atque hominum regis majestate manifestus minatur,

TAB. I.

ut

ut ita dicamus, aſtris & terræ æternæ legis imperium. Quo in ſigno nihil eſt, quod non patrem Deorum longe lateque oſtentet. Status rigidus; vultus ut in arce omnium rerum collocatus; latum pectus, quale volvendis mundi curis & fatorum tutelæ ſufficiat; lacerti toroſi, & veluti mittendo fulmine corroborati atque exerciti; totius rotundi & ſalubris corporis ingens firmitas, & mirificus illibatæ ſanitatis color; pallii tandem in nativos & molles ſinus compoſiti facilis & auguſta concinnitas, habitusque ejusdem tam placidus honos, ut Philoſophiæ probare Deum ſimplicitatem gravitatemque appareat. Poſt quod illuſtre ſane monumentum, non minori tamen oblectamento poterit eſſe *Apollo*, nullo hic magis argumento, quam artificis ingenio, invictus. Adeo flos juventæ, & teres membrorum maturitas, Deorum formoſiſſimum ornant; inexſtinctusque ille vigor, & pulchro corpore commendatior virtus, lineamenta omnia & minima artuum abſolvunt. Quæ curioſus artifex admirabili temperamento mitigavit, ut arbori remiſſa & leni inclinatione innixum corpus Dei ex victoria feſſi requiem, ac veluti ſpiramenta quædam laborum, fateatur. Illud vero collum quaſi ex laſſitudine remollitum ac fluens, brachiumque exporrectum, quod arcu a tempore conſumto fultum fuiſſe intelligimus, quam impenſe delectant! quam plane vivunt! Intuentes porro *Uraniæ* ſimulacrum longe emendatiſſimum, quid potius miremur, quam veterum felicem audaciam, certis quibusdam & accuratis ſignis declarandi ſublimium, & tanquam cœlo devocatarum, rerum imagines? Cujus totus ex ſapientia vultus, corpus tale, ut auguſtius divinæ ſcientiæ & cœleſtium rationum gnaræ mentis domicilium reperiri non poſſit, ambigua inter caſtitatis rigorem & puellaris decoris illecebras ſpecies, cui non præſentis Numinis horrorem injiciant, ſi, ut in hominibus conſuevimus, divinitatem quoque forma metiri par eſſet? Pallæ vero, in virginalem venuſtatem aptiſſime conformatæ, tanta ars, tamque ingenioſa cura eſt, ut omnes ejus plicas totidem Gratiarum manu ita diceres compoſitas, ne quid pudica inaffectataque ſimplicitas

TAB. X.

XIV.

majestati, majestas comitati & elegantiæ, detrahat. Quod si animum oculosque per alia juvat circumferre, cuncta equidem videbuntur digna, quibus stupeamus, hæreamus, afficiamur mirificis quibusdam modis; attonitos tamen præcipue
TAB. XIX. ad se trahet præclarissimum signum, quod *Virginis ora Dianæ* elaboratissimo opere exhibet. In cujus quidem totius simulacri filo præstantissimus artifex intenta assecutus cura est, ut decens & ornatissima forma servaret tamen imaginem virilis animi castitatisque perpetuæ. At erectum & majestatis plenum corpus, manum promendis sagittis in humerum elatam, eo gestu, qui vel solus absolverit Deam, stolam ad pedes vento motantem illudentemque talis, nudum genu, pedem gradum facturum, canem omnes dominæ nutus speculantem, devorantemque conjectus oculorum, pæne est, ut adorare fas sit. Jam, si ad illud humanæ artis miraculum,
XXIV. non statuam, *ἀναδυομένην Venerem*, accedamus, sine dubio reliqua excellentissima quamvis monumenta spectasse pœniteret, nisi id ipsum, ut propter hanc potissimum pœniteat, tanti esset. In qua quidem aliqua laudibus ferre, injuria reliquorum fuerit; omnia vero enumerare vix ille possit, si quis *dicitur & nudæ concubuisse deæ*. Ars profecto, quæ delibando multarum rerum virtutes quasque præstantissimas unam & simplicem ideam componit atque informat, naturam vincere aliquando solet; ipsam tamen artem ut ars vicerit, in hoc superbissimo demum opere accidit. Formanti enim fingentique tibi fœmineæ speciei, quæ omnes numeros impleat, pulchritudinem, quæcunque occurrere poterit, ea ad hanc adeo vilis ac despecta appareat, necesse est, ut rationes judicii tui sis requisiturus. Atqui, si tanta species per soporem aut visum quoddam divinitus alicui esset oblata, interpretaremur id munus esse Dei immortalis, quo purus & immensus harum venustatum autoris amor excitetur, declareturque pulchri vis in animis hominum: cum vero humana ars hoc illustrissimum divinæ pulchritudinis monumentum erexerit, tam id prope mirum videatur, quam cum antiquitas Deam se mortalibus indulsisse amplexibus est fabulata.

lata. Itaque crines suo ingenio flexi & in nativos cirros (si veteri verbo venia sit,) ambitiosi; facies omnibus divinitatis bonis lasciva; tenerrima cervix; pectus plenum & tota illa luxurie surgens; mollia atque rotunda brachia; arctissima castigati ventris compages; femora succosa; genua modica carne compacta; tenuissimi pedes, & leves plantæ, vulgaria fortassis & minima tantæ pulchritudinis pars fuerint. Nam delicatissimus corporis nudi flexus, & se contra profanos obtutus manibus tegere cupientis, illa tenerrimi significacatio pudoris, qui solus eo majores illecebras habet, quo minus causa ejus justa exstiterit, quanta gratia, quantis deliciis, placent! Patriæ autem nostræ gloriam unus asseruit, dum in æs incidit hoc signum, *Preuslerus* noster, Norimbergæ decus, qui cum principe suæ artis fratre dudum fugienti Germaniæ pictorum famæ manus injecit, &, ne illos antiquos desideremus, effecit; siquidem, quæ in illis effloruerat artis præstantia & virtus, in hoc maturuisse videtur. Sed hoc monumentum reliquorum omnes laudes adeo præcepit, exstinxitque totam illam, quam tam præclare merebantur, gloriam, ut, cum post tantarum divitiarum adspectum totam admirationem consumserimus, ipsam quoque vocem nobis inclusisse videatur. Qua igitur in *Hermaphrodito* confusa sexus semina declarata sint arte, quos in *Pancratiastis* spectare lacertos sit, quæ in *Sulla* minæ vivant, quam *Virorum illustrium statuis* gravitas Romana spiret, nunc non memoramus. Quia tamen reperiuntur homines, qui secum natam, secum interituram, veram Dei religionem putant, qui soli de sapientia & literarum utilitate judicare sibi posse videntur; non vana fortassis suspicione ducimur, fore, qui, ut imperitis mos est, hæc ad solam voluptatem referri, deque laudibus eorum multa jactare, vani esse hominis impiique, criminentur. Quorum audaciam inscitiamque propulsare a mansuetioribus musis animus est, non, ut ostendamus, neminem sanum apud antiquos Deorum corpora & formas credidisse, aut, fabularum ullam esse fidem, existimasse; solitos eos potius divinæ mentis virtutes cum his corpo-

rum nostrorum comparare; effingere autem easdem conatos, cum in multis pietatem reverentiamque immortalis Dei satis declarassent, in aliquibus, ut sunt humana, licentia lapsos, dum divinitatem suis affectibus viribusque metirentur; cujus rei longissima disputatio foret: sed, ut breviter, quæ hujusmodi rerum ad ingenerandum pulchri, & veri, rectique, sensum in animis hominum sit vis atque potestas, commemoremus. Neque enim a nostris rationibus alienum erit, meritas elegantissimis ingeniis laudes reddere, quæ tanto munere ætati nostræ & humano generi prodesse voluere. Post unum igitur atque summum illud Numen, cujus quasi templum est hoc omne, quod conspicimus, sola excellentior humanæ intelligentiæ ad cogitandum subjecta hæc est materia, ut tanquam perfectissimum sui conditoris & artificis Dei simulacrum intueatur illam, quam naturam vocamus, insitam rerum vim & potestatem. Ea vero ita summi Dei virtutem, majestatem, pulchritudinem, declarat, ut mirabiles quidam hujus beatæ & æternæ naturæ amores in hominum animis excitentur. Cum enim pura illa, sancta, atque simplicissima, mens ita ab omni concretione mortali sit aliena, ut hujus vilis atque infirmi corporis sensibus nihil ex ipsa, animo quoque admodum tenuem ejus notitiam & veluti auram, trahere possimus; jussit nos tantisper has sui in caducis rebus similitudines, atque egregias cœlestis illius rationis imagines, contemplari, donec sapientiæ usu atque exercitatione nos dignos præstiterimus, qui his corporis vinculis liberati abeamus ad illam immensam, clarissimam, atque liberrimam lucem, qua animus noster in illum æternum suum fontem, variis veluti per amœna & læta spatia lapsibus purior, recurrat. Sic, cum in ipsum, quando clarior enituit, solem conjicere oculos non possis, ex iis tamen, quæ ille splendor illustravit, quantam eam lucem, quamque serenam esse oporteat, facile perceperis. Ita quoque sapiens omnium eorum, quæ adspectu sentiuntur, inprimis cognoscere pulchritudinem, venustatem, convenientiam, partium studet: quam similitudinem ingenium ratioque ab oculis ad animum transferens, multo

etiam

etiam magis, quæ deceat consilia moresque nostros æquabilitas, constantia, ordo, venustas, dignitas, sentit; curatque, ne rerum causas ignoret, earum ortus, progressus, & fines, videat, similitudines comparet, calleatque diligenter, quis in unaquaque re sit modus servandus. Quoniam autem hæc extra se posita, corporisque subjecta sensibus, conjungit atque annectit iis, quæ ex animo naturæque informatione ducuntur; longe rectius, quam reliqui, intelligit, quibus quasi astris vitæ cursus sit regendus, consequiturque peritiam eorum, quibus in animis hominum inseratur honestatis amor, justitiæque quædam voluptas atque appetitio: quæ res homines ad virtutem longe promtiores facit, docetque, eam, quam esse corporum præstantiam venustatemque perspexit, in animi operibus multo etiam impensius amare. Nos igitur nequaquam veremur ea monumenta, quibus juvantur artes, quæ cœlum tam prope & quasi cognatione quadam contingunt, anteferre multis quoque Philosophorum Bibliothecis. Reliquum esset, de eximiis *Gorii* quoque laboribus ut diceremus, nisi ex ipsa lectione, quam ex cujusvis prædicatione, longe dignius æstimarentur. Omnes autem in iis rationes ita magnus magnarum elegantiarum arbiter instituit, quasi cum præstantissimorum artificum manu certare magna, qua in his literis pollet, exercitatione, majori doctrina, voluerit; tamque amplam ex his laudem consecutus est, ut de ea nihil tam magnificum possit, quod non debuerit dici magnificentius. Neque tamen non tenuit ille, quod rarissimum est, modum ex eruditione: vitavitque diffusæ nimis copiæ tædium ita, ne obscura & imperfecta brevitate offenderet, utque speciosas magis & honestas, quam ambitiosas, opes ostentaret. Quod nostrum est, suscipiemus pro hoc Viro quotannis vota Fortunæ & Saluti literarum, quibus ejus tantum commendari memoria & honos poterunt, quantum curæ solent esse literarum; a quibus separatas rationes habendas sibi ipse nunquam putavit.

MISCELLANEÆ OBSERVATIONES CRITICÆ in Autores veteres & recentiores, ab eruditis Britan-

tannis inchoatæ, & nunc a doctis Viris in Belgio, & aliis regionibus, continuatæ.

Tomus VI & VII.

Amſtelodami, apud Janſſonio-Waesbergios, 1735 & 1736, 8 maj. Vol. VI Alph. 1 plag. 5½, Vol. VII Alph. 1 plag. 7½.

Diu eſt, ex quo *Grævianus* atque *Gronovianus* Antiquitatum Theſauri occaſionem eruditis ſuppeditarunt, tam ſplendidam etiam Obſervationum criticarum collectionem deſiderandi. Quod votum licet minus proſpero ſucceſſu huc usque nuncupatum eſſe videatur, inventi tamen ſunt, qui, laudabili conatu, minores ejusmodi lautitiarum congregationes inſtituendo, non minus gratum humanitatis ſtudioſis officium præſtiterunt. Huc etiam pertinent Clariſſimi Viri, quorum jam labores percenſere, non ſine mirifica voluptate, pergemus. Quo vero major eſt rerum notatu digniſſimarum cumulus, & quo arctiores ſimul, quibus continemur, cancelli; eo confidentius veniam Lectorum ſperamus, ſi quidem vix ſumma quædam capita decerpere laboraverimus. *Primus Voluminis ſexti Tomus* decem potiſſimum conſideranda præbet momenta. Agmen ducunt *Philetæ* Obſervationes ad *Philen* de animalium proprietate *pag. 157 – 167*, ubi, quam Cl. *de Pauw* curavit, hujus libri editio ad duos Codices, manu exaratos, exigitur, ac paſſim emendatur. Excipiunt iſtas Epiſtolæ quædam *Petri Scriverii* atque aliorum *pag. 168 – 178*, inter quas *Scriverianæ* tres, ad *Jo. Iſaacum Pontanum*, *Jo. a Wouwer*, & *Cornelium van Dale*, *Wouwerianæ* autem duæ, quæ ſubjunctæ leguntur, ad *Cornel. van Dale* & *Joſ. Scaligerum*, datæ fuerunt. Tertio loco reperitur Specimen Supplementi vocum omiſſarum in *H. Stephani* Theſauro Linguæ Græcæ *pag. 179 – 189*, ubi quidem, jure ſuo, uberiorem explicationem deſiderarunt Collectores, dum ille, qui inſerendum miſerat Specimen, Vir eruditus, nuda vocabula, ſine ulla interpretatione, excitatis tantum

Auto-

Autorum, apud quos reperiuntur, paginis, cumulavit. Succedunt *Gratiani de S. Bavone* in *Val. Maximum* notationes *pag. 190 – 194*, ex collatione hujus ipsius Scriptoris cum Danica *Saxonis Grammatici* Historia potissimum prognatæ. Inde sequuntur Observationes in *Ovidium*, Autore *G. S. pag. 195 – 198*; *Cornelii Sieben* Specimen Observationum criticarum in *Pselli* Synopsin legum *pag. 199 – 226*, & Epistola ad *Miscellanearum*, quas præ manibus habemus, *Observationum* Editores *pag. 227 – 268*. In hac Epistola qui sub ficto *Sinceri Hollandi* nomine latere voluit, Criticus, denuo adversus Celeberrimum *Gundlingium*, &, quae eidem tribuitur, Historiam literariam, insurgit, ita quidem, ut, cujus ingenii homo sit, ubique ostendat, id quippe magnis conviciorum, quæ effudisse in tanti nominis Germanum pudeat honestum & liberalem virum, plaustris assecutus, ut vix lectores nos, nedum exprobratores, aut monitores, sit habiturus. Neque tamen facere possumus, quin vel duo moderatiori, si qua exspectari potest, hujus Batavorum morosissimi considerationi relinquamus. Primo quidem, id cognitum satis atque perspectum esse, arbitramur, quod nec Germanis nostris ubique placeat, vel extemporalis forte, privatus, ac minus accurate exceptus, *Gundlingianus* sermo, vel etiam pium magis, quam prudens, Editoris institutum, atque intempestiva nonnunquam diligentia, nonnunquam festinatio. Omnes tamen hallucinationes tanti haud sunt, ut nullum plane Operi, frugis plenissimo, pretium relinquant, & ejusmodi literatis, quibus, quid æra lupinis distent, exploratum est, quod Autor putat, persuadere possint, *nullum hoc seculo ineptiorem & inutiliorem librum in lucem exiisse*. Præterea, quod alterum est, contempletur Vir eruditus, anne in idem, quod carpit, vitium male cautus incurrat. Concedamus enim, quod haud omnino inficias ibimus, sale passim acriori usum fuisse *Gundlingium*, sigillatimque, arrogantia quorundam, & minuta curiositate, excitatum, severius Belgas tractasse; nonne vero humanitate sua generosius vicisset sapiens Censor ejusmodi Adversarium, quam dicacitatem conviciis repellendo? nisi ea reputari debet urbanitas, quod *pag. 231 stupida Germanorum ingenia*, & *pag. 264 Lipsiam* nostram,

profecto nihil ejusmodi promeritam, *tot doctis refertam, ut fere rumpatur*, joculari & maxime inficeta dictione, nuncupavit. Sed quid repetimus humillimas, quas ubique cumulavit, calumnias? Alia sunt, quæ nos attrahunt; & quidem, hoc ipso *Tomo*, proxime se oculis nostris objiciunt *F. L. Abreschii* (quem esse doctissimum *Alberti*, in *Hesychio* edendo, quod constat, strenue jam desudantem, vix est, cur dubitemus,) Animadversiones ad *Hesychii* quædam loca *pag. 269 - 291*, ubi copiosus præsertim est Vir eruditus *pag. 283* in vocabulo ἐξέθανεν illustrando, cui triplicem præsertim significationem tribuit; indicare nimirum arbitratur, vel animi deliquium passus est, vel quocunque vehementiori affectu ita perculsus atque commotus, ut exteriori facie ac signis quibusdam mortuum referat, vel denique quovis violentiori, & minus naturali, mortis genere periit. Excipiunt istas T. S. H. S. Observationes & emendationes ad *Xenophontis* Ephesiacorum *Librum IV pag. 292 - 303*, quarum vero scriptor nimis fortassis audax quibusdam videbitur, quando e. g. *pag. 293* pro λαβόντες ἀυτοὺς τὴν Φοινίκης reponendum esse arbitratus ἀναλαβόντες ἀυτοὺς τὴν ἐπὶ Φοινίκης κ. τ. λ. ejusmodi mutationis non testem, non sufficientem rationem, adduxit, sed ad suam tantum sententiam, & loca similia, provocavit. Agmen denique claudunt T. Æ. W. S. Observationes quædam criticæ in *Sallustium* de Bello Catilinario *pag. 305 - 312*.

Similes ejusdem Observationes in Bellum *Crispi* Jugurthinum primo loco reperiuntur *Tomo II pag. 317 - 328*. Cui præterea insunt 2) ejusdem Observationes in *Julium Exsuperantium* de M. L. S. Bellis civilibus, & *Porcii Latronis* Declamationem contra *L. S. Catilinam, pag. 329 - 337*; 3) Observationes & emendationes ad *Xenophontis* Ephesiacorum *Librum V pag. 338 - 352*, de quibus, quod modo diximus, repetendum esse judicamus; 4) C. H. A. Animadversiones in obscuriorem *Sulpiciæ* Satyram de corrupto statu reipublicæ, temporibus *Domitiani*, præsertim cum edicto Philosophos urbe exegisset, *pag. 353 - 383*, non minorem novandi libidinem spirantes; 5) *Ant. Gallandi* Epistolæ tres ad *Grainvillium*,

lium, Lojoliticæ ſocietati adſcriptum, atque *Ant. Oudinetum* miſſæ. Illæ ipſæ Epiſtolæ, ad rem numariam pertinentes, ex Gallorum lingua converſæ, inſeruntur, de qua interpretatione, cum ipſe Cel. Editor ſtilum paulo elegantiorem optaverit, nihil reſtat, quod præterea monendum eſſe arbitremur; 6) Animadverſiones ad *Heſychii* quædam loca, in quibus Cl. *F. L. Abreſch*, in Scriptoribus Græcis ſe haud mediocriter eſſe verſatum, demonſtrat; 7) Obſervationes in *Ovidium*, Autore *G. S. pag. 412 – 416;* 8) *R. R.* doctiſſima de *Pythagoræ κυάμεις*, quos per ova explicat, tractatio *pag. 417 – 451;* 9) *Philetæ* Obſervationes in Jambos *Philes pag. 451 – 464*; 10) denique Vir eruditus, qui literas *P. B. F. F. F. N. F.* Specimini ſubſcripſit, duo ſibi tractanda ſumſit; partim enim *Propertii* locum *Lib. II Eleg. 4 v. 4* tentavit, & pro *Aquilo*, *alio* vel *aliquo* poſuit, partim Epigramma, ex Catalect. *Pithoei Lib. III pag. 122 edit. Pariſ.* depromtum, & *Juliæ* inſcriptum, exhibuit, atque emendavit.

Tomo III, poſt Præfationem, non ſine aculeo ſcriptam, continentur 1) doctiſſimi hominis, qui, ſub ficto *Charlottæ Amaliæ* nomine latere voluit, duodecim Animadverſiones, adverſus quasdam paginas notiſſimi libri, quem de tutela viarum Cel. *Everh. Otto*, JCtus & Anteceſſor Trajectinus, ſcripſerat, ſub forma literarum ad eundem miſſarum propoſitæ, *pag. 477 – 502;* 2) *Gallandi* duæ, & una *P. D. Huetii*, Epiſtolæ *pag. 503 – 522;* 3) Obſervationes, quibus quatuor verſus, *Æneidi Maronianæ* præfixi, *Virgilio* abjudicantur, Fragmentumque *Cornelii Severi* emendatur, *pag. 523 – 530*, quarum Autor, *Nic. Heinſii* & *C. H. Heumanni* de initio *Æneidos* ſententiam ſuam ſe facere, profitetur; 3) Obſervationes in *Ovidium*, Autore *G. S. pag. 531 – 535;* 4) Viri illuſtris *G. C.* Stricturæ in *Joannem Harduinum* de numis Herodiadum *pag. 538 – 548*, ubi annus præſertim captæ Judææ evolvitur, atque erudite illuſtratur; 5) Notulæ alius Viri eruditi ad primam editionem numorum populorum *Jo. Harduini pag. 547 ſeq.* 6) Animadverſiones in *Flav. Vegetium* de re militari, Autore *F. O. A. L. S. pag. 549 – 576.* Complectuntur iſtæ varias lectiones, ex præcipuis Bibliothecæ Lugdunenſis Ma-

 nuſcri-

nuſcriptis atque impreſſis quibusdam Codicibus excerptas; 7) binæ *Chriſtiani Schœttgenii* & *Henr. Brenkmanni* literæ *ἀμοιβαῖαι*, ubi in Scriptoribus rei ruſticæ nonnihil illuſtratur; 8) Notæ ad *Euripidem pag. 583 – 597*, Autore *G. D. A.* qui *Barneſii* inprimis & *Jo. Kingii* lectiones emendat paſſim atque illuſtrat; 9) *C. H. A.* Animadverſiones ad quædam *Suetonii* loca *pag. 598 – 605*, ubi ab initio ſtatim vocabulum *Auguſtus* præclare illuſtratur. Tandem 10) de Colonia Lepti & ejus numis agit doctiſſimus Autor, qui literis ſe *T. P. T. A.* ſub finem indicavit. Univerſo *Volumini ſexto* Catalogus Virorum eruditorum, qui Diſſertationes ſuppeditarunt, atque Indices Autorum pariter & rerum, auſpicatum finem imponunt.

Voluminis VII Tomo I, qui *quatuor priores* Anni 1736 Menſes complecti dicitur, Præfationem adjunxit Cel. Editor, contra *Acta* inprimis noſtra quædam moniturus. Quibus vero, poſt gratam, pro illius benevolentia, mentem declaratam, amice non nihil reponemus. Nolueramus ante omnia, quod immerito factum eſt, nobis vitio dari, quaſi popularium gratiam tantum & gloriam calamo noſtro aucuparemur, quibus veritate nihil prius unquam atque antiquius fuit. Deinde ſemel atque iterum profitemur, nunquam animum eſſe, *Gundlingianas* defendendas partes ſuſcipere, eſſe autem, hominis immodeſti calumnias vituperare, quanquam neque ipſas *Sinceri* objectiones, quarum fontem atque originem probe cognoſcimus, tanti eſſe arbitramur, ut omnem exceptionem atque refutationem effugiant. Porro celare non poſſumus, mirifice falli, neque Academiarum in Germania ſtatum ſatis exploratum habere, qui, in calamum eſſe dictatas *Gundlingianas* meditationes, opinantur, dum, quicquid continui ſermonis aſſequi potuerunt diſcipuli, ſeduli magis, quam eruditi, in chartam, properante calamo, conjecerunt; unde etiam, quam Editor jactavit, avtographorum collatio, ad ſupplementa magis, ex repetitis in eundem Cel. *Heumanni* libellum prælectionibus, quam quidem ad errorum emendationem, pertinuiſſe videtur. In Belgio etiam anno hujus Seculi decimo quinto prodiit *Cohors Muſarum*, liber titulo pro-

profecto indignissimus, cujus tamen hallucinationes, qui mentem habet, neque *Grævio* quisquam, neque *Kustero*, imputabit; quid? si eandem sibi æquitatem postularent *Gundlingii* manes? His observatis, nihil restare videtur, quam, ut votum, quod sub finem doctissimæ Præfationis legitur, non sine maxima commendatione, repetamus: *Utinam semper & ubique inter bonos bene ageretur, & laudationes & vituperationes, non pro libidine, sed pro meritis & æquo, per omnes gentes & doctos viros, non effunderentur, sed dispensarentur.* Quæ verba, si paulo citius in mentem venissent doctissimo Editori, dubitamus, an judicium illud miscuisset, quo *universum Gundlingii systema sine ulla ordinis, judicii, doctrinæ, elegantiæ, aut novitatis, dote* comparere pronuntiat. Verum abstineamus a rebus tam odiosis, &, ut amicæ admonitiones in meliorem partem accipiantur, precati, ex diverticulo in viam properemus. Sequuntur Præfationem 1) Exercitatio, qua Inscriptionibus Deliacis certa ætas assignatur, atque alia ad Delum spectantia obiter tanguntur & illustrantur *Capitibus XVI, pag. 1 - 124.* Hujus solidissimæ conscriptionis Autorem, nisi ex ungue leonem cognosceremus, litera B, sub finem adjecta, satis superque patefecit. Persequitur ille antiquiora propemodum hujus Insulæ fata, & exquisitis omnia probationum documentis confirmat; 2) *Gratiani de S. Bavone* Scholiorum in Lysistratam *Aristophanis* cum *Barocciano* Codice collatio *pag. 125 - 132*; 3) *C. H. A.* de Numis contorniatis; 4) *F. O. A. L. S.* Continuatio Animadversionum in *Flav. Vegetium* de re militari; ubi multa quidem, non sine apparatu, animadvertit diligentissimus Autor, neque tamen ab omni Criticorum audacia tam sejunctus esse videtur, ut nihil omnino imtempestivæ autoritati tribuat. Vid. e. g. *pag. 145 seq.* ubi pilæ ferrum non trigonum, quod *Vegetius* arbitratur, sed tetragonum, fuisse, sibi demonstrasse videtur.

Tomo II insunt 1) *Petri Jo. Nunnesii* in *Proœmium* & *duo priora Capita Lib. I Pomponii Melæ* Annotata, ad *Andream Schottum, pag. 157 - 180.* Dolemus equidem, doctissimum istum, quem Seculum XVI habuit, Critici laborem haud accuratas scribentium manus reperisse, neque tamen

 possu-

possumus, quin multo magis gaudeamus, non solum de benevola ejusmodi reliquiarum cum literatis communicatione, verum etiam, quod ingenio pepercerit, qui inserendas curavit, Vir eruditus; 2) Anonymi Observata ad Eclogas Physicas & Ethicas *Stobæi pag. 181 – 196.* Non pauca in *Stobæo* supplet Vir ille eruditus ex Codice Bibliothecæ Augustanæ, atque excerptis e Codice *Ant. Augustini*, Tarraconensium olim Antistitis, &, quod minime tacendum, spem simul facere videtur ulterioris operæ, in hoc ipso Autore collocandæ, qui dignissimus profecto est, ut accurata doctissimi ejusmodi Viri sedulitate illustretur; 3) *T. Æ. W. S.* Adversaria critica, expromta in *Flav. Aviani* Fabulas, a Viro eruditissimo, *H. Cannegitero*, editas, *pag. 197 – 253;* ubi non raro vindicatur *Avianus* a novandi studio, quod in doctissimo Editore maxime apparuit; 4) Epistola *Jo. Buherii* ad *P. Burmannum pag. 254 – 260,* ubi, ex Poetis Latinis, quos Cel. *Burmannus* ediderat, minoribus, *Sulpiciam* sibi sumsit Gallus eruditissimus, cujus versus oculo critico lustraret; 5) *A. G. P.* Disputatio de Diplomate, quo Forestum Wasda *Theoderico* Comiti donatur, falso antehac *Ludovico*, Germaniæ Regi, a plerisque attributo, *pag. 261 – 273;* 6) in *Columellæ* Præfationem Annotationes *pag. 274 – 286;* 7) Observationes in *Ovidium*, Autore *G. S. pag. 287 – 292;* 8) *F. L. Abresch* Animadversiones ad *Hesychii* quædam loca *pag. 293 – 307*, ubi inprimis copiosus est in erudita vocabulorum ἕτερον, δεύτερον, &c. illustratione *pag. 298 seq.* Agmen claudit 9) Continuatio Animadversionum in *Flav. Vegetium pag. 308 – 312.*

In *ultimo* hujus *Voluminis Tomo* inveniuntur 1) *J. E.* Emendatio *Jo. Meursii* in Oratione *Lysiæ* κατὰ Παγκλέωνος, ὅτι οὐκ ἦν Πλαταιεύς, rejecta & confutata *pag. 317 – 328;* 2) *C. H. A.* de *Sulpiciæ* Poetriæ Fragmentis *pag. 329 – 340;* 3) Notarum in *Vegetium* continuatio *pag. 341 – 365;* 4) *Mich. Psellus* de *Heliodoro* & *Achille Tatio*, & *Philippus* Philosophus de *Chariclea*, *pag. 366 – 379.* *Pselli* istud judicium de amatoriis, quos appellavimus, Scriptorum fabulis, cum Codice Bibliothecæ Lugdunensis MSto denuo collatum, exhi-

exhibetur pariter atque illustratur; 5) *T. Æ. W. S.* Adversaria critica, exprompta in Autorem Dialogi de Oratoribus, sive de causis corruptæ eloquentiæ, *pag.* 380 – 404. Cum Cel. *Heumanno* inprimis res est Autori doctissimo, a cujus partibus stat nonnunquam, plerumque discedit; 6) *Patrobasilii* Observata ad *Æschyli* Prometheum vinctum & Scholiasten *pag.* 405 – 417. Copiosus inprimis est solidissimus harum Annotationum scriptor in *versu 49* explicando, ubi, postquam de vocabulo ἐπράχθη, cui, inter alia, significationem *occulta & clandestina machinatione aliquid acquirendi* tribuit, copiose satis & sollicite tractavit, ab hoc ipso significatu vocabulum πρᾶγμα deducit, eo quidem sensu, ut *facultates, opes, divitiæ, potentia item, & quæcunque alia bona magno molimine & occultioribus sæpe viis homines consectantur*, hoc ipso vocabulo indicentur. Cujus rei testem, inter antiquiores Criticos, solum se *Mærida* nuncupare posse fatetur, cui, in vocabulo χρήματα, eam mentem tribuit, quasi statuat, Atticorum esse, vocem πράγματα adhibere pro χρήματα. Ad nos quod attinet, levissimum ab hac opinione dissensum haud omnino dissimulabimus, vel duo, forte non sine causa, monituri. Alterum ipsum *Mæridis* locum spectabit, quem inverse accepisse videtur Vir ingeniosissimus. Ita enim *pag.* 48 verba habent: χρήματα καὶ τὰ πράγματα καὶ τὰ ἀργύρια λέγουσιν Ἕλληνες, μόνως δὲ τὰ χρήματα, πράγματα Ἀττικῶς. Magis id ipsum apparebit, si consideraverimus, quod Atticista vocabulum χρήματα, non πράγματα, illustrare voluerit. Amplificare videtur isthæc acceptio nostra Viri Cl. sententiam, tantum abest, ut destruat atque infringat. Neque tamen omnino farta erit atque tecta, dum illi, quod alterum dignum nobis visum fuit notatu, priora Critici verba, ubi τοῖς ἀργυρίοις opponit πράγματα, obstare videntur. Quid curiosius quæritur, quam nervus ille rerum, pecunia? Unde nobis quidem longe alia mens est, qui Attico sensu χρήματα pariter ac πράγματα de supellectilibus, & rebus arte factis, e. g. prædiis, domibus, poculis pretiosis, &c. accipimus, a verbis utraque, in ordinario significatu acceptis, deducen-

ducentes. Sed de vocabulo, non de Græcorum salute, lis est; pacem igitur atque amicitiam reparemus, ad cetera pedem promoturi; 7) occurrunt Epistola *C. A. Dukeri* ad *J. P. D'orville*, & Annotata *J. Perizonii* in *Pomp. Melam, pag. 417 – 460.* Atque ita demum 8) Observationes in *Ovidium* sequuntur. Indices autem adjecti auspicatum *Volumini* finem imponunt; quod ut plurima excipiant alia, non possumus, quin omnibus votis desideremus.

INSTITUTIONES MEDICÆ, SECUNDUM principia mechanico-organica reformatæ, in quibus, ostensis nævis, resectisque supervacuis atque inutilibus aliorum speculationibus, ea tantum traduntur, quæ usui vere medico inserviunt, perpetuumque inter theoriam & praxin nexum commonstrant; in usum philiatrorum ita concinnatæ, ut Cursus annui loco commode inservire possint. Una cum Introductione brevi atque succincta in historiam literariam Autorum, qui hanc elementarem artis medicæ partem ad hæc usque nostra tempora scriptis suis illustrare cordi habuere. Autore ANDREA OTTOMARO GOELICKE, *M. D. inque Regia Viadrina P. P. Ord. nec non Physico-Provinciali.*

Francofurti cis Viadrum, apud Jo. Godofr. Conradi, 1735, 4. Alph. 4 plag. 4.

Cum tot exstent libri medici, qui Illustris *Stahlii* methodum in ipsa statim fronte ostentant; mirandum est merito, non fuisse adhuc, qui Institutiones medicas, ad theoriam *Stahlianam* illustrandam comparatas, ederet, tales sciliet, quibus omnes atque singulæ artis medicæ partes, velut in synopsi, secundum principia *Stahlii*, ex ipsis Celeberrimi hujus Viri scriptis depromta, exponerentur. Hunc itaque laborem, quem multis pergratum fore facile suspicamur, Cl.

Cl. *Gœlicke*, diligens atque ſtrenuus illuſtris *Stahlii* ſectator & vindex, primus in ſe ſuſcepit, ut cum ipſe, tum alii, haberent libellum, univerſæ artis principia complexum, quem annuis ſuis prælectionibus explicarent. Quemadmodum vero alio jam tempore Cl. Autor in hiſtoria literaria ſuæ artis ornanda & amplificanda laudabilem poſuit operam; ita huic etiam libro Introductionem in hiſtoriam literariam Scriptorum, qui Inſtitutiones medicas ediderunt, præmittendam putavit, quod deſiderata ea huc usque eſſet. Ita vero in recenſendis his ſcriptoribus verſatur, ut methodum ſingulorum accurate annotet, opiniones ſingulares, addita epicriſi, excerpat, & liberum ubique judicium ſibi permittat. Ante *Hippocratis* tempora nullæ §. 2.
exſtant Inſtitutiones, nec ab hoc fuerunt conſcriptæ unquam;
facile tamen foret, ejusmodi libellum ex ſcriptis *Hippocratis* 3 ſeq.
concinnare, ut ex ſpecimine, per omnes Medicinæ partes dato, atque ex Cl. Autoris Hiſtoria Medicinæ in compendium hic redacto, patet. Magis ad hanc claſſem pertinet *Galenus*, itemque *Soranus*. Inter Commentatores vero & Epito- 16 ſeq. 19.
matores *Galeni* referuntur *Haly Rodoham*, & *Franciſcus Vale-* 20. 21.
riola, *Hieremias* ac *Dionyſius Thriverii*, *Nellanus Glacanus*, 22. 23.
Joannes Dominicus Magliocca, & *Hieronymus Ximenes*. Ex 24.
Arabibus in hanc claſſem veniunt *Avicenna*, propter Canti- 25 ſeq.
cum ſeu Carmen rhythmicum de Medicina, a *Deuſingio* Latine editum. Inſtitutiones ex Arabum, præcipue *Avicennæ*, 31.
doctrinis digeſſit *Georgius Kraut*. Eo etiam *Andreas Gratiolus* refertur. Qui poſt renatas literas condiderunt Inſtitu- 32.
tiones Medicinæ, fuerunt permulti. Præ ceteris autem Cl. 33 ſeq.
Autor agit copioſe de Inſtitutionibus, ſimilibusque libris, *Leonardi Fuchſii*, *Jo. Nicolai Stupani*, *Joannis Fernelii*, *Joannis Heurnii*, *Alberti Kyperi*, *Danielis Sennerti*, *Jo. Chriſtophori Geilfuſii*, *Caſparis Hoffmanni*, *Lazari Riverii*, *Godofredi Mœbii*, *Michaelis Ettmülleri*, *Jo. Jacobi Waldſchmidii*, *Oligeri Jacobæi*, *Pauli de Sorbait*, *Stephani Blanckardi*, *Joachimi Targiri*, *Pauli Ammanni*, *Friderici Hoffmanni*, *Archibaldi Pittcarnii*, *Hermanni Bœrhaavii*, *Jo. Helfrici Jungkenii*, *Petri Linſingii*, *Jo. Franciſci Vicarii*, *Bartholomæi de*

 Moor,

Moor, Sebaſtiani Chriſtiani de Zedlern, Georgii Philippi Nenteri. Quoniam præcipuos tantum Scriptores Cl. Autor pollicetur, aliquos fruſtra hic quæri, nemo in ſiniſtram partem interpretabitur. Eorum loco nonnullos ſibi habebit obvios, qui quo jure inter ſcriptores Inſtitutionum referantur, perſpici plane nequit. Fortaſſe & illud pleriſque fuiſſet gratius, ſi temporum, quibus prodierunt, in enarrandis his ſcriptis ratio fuiſſet habita. In ipſis Inſtitutionibus conſuetum or-
Pars I. dinem ſecuturus, orditur ab Iſagoge, quæ artis prole-
Cap. 1. gomena explanat, de ejus ſcilicet autore, objecto, fine,
2. methodo tradendi, neceſſitate, nobilitate, certitudine, effi-
3. cacia, præcipuis fulcris, atque hæreſibus, de potioribus
theoriæ medicæ tam veterum, quam recentiorum, defectibus, deque modo eandem reformandi, ut & de ἀλλοτριώσει in Medicina caute vitanda, agens. Præcipui defectus theoriæ recentiorum eo redeunt: 1) ante experientiam ratiocinatur; 2) circumſtantias alienas, hypotheſibus tantum aſſumtis faventes, effingit; 3) termini inter Phyſicam atque Medicinam nuſquam juſte conſtituti reperiuntur; 4) in generaliſſimis materiæ affectionibus, & formis ejusdem accidentalibus, ſubſiſtit, de motu vero, præter generalem notionem, parum vel nihil memorat; 5) quodſi nonnulli ulterius proceſſerunt, non tamen niſi potentias ſalinas induxerunt; 6) motus vitales activi, ad excuſſionem materiæ morbidæ vividam tendentes, non ſufficienter dignoſcuntur, & pro paſſivis ſimpliciter morbidis habentur; 7) innumeræ cauſæ morbificæ finguntur; 8) potiſſimum mutabilitas & metaſchematiſmus corporum unius figuræ in aliam per ſolum motum attritorium & colliſorium ſtatuitur; 9) fermentatio admittitur; 10) duplex illa corporis humani conſideratio ſecundum ſimplicem ſui mixtionem, & quatenus vivum eſt, nimis perfunctorie expenditur; 11) innumerabilium quæſtionum controverſarum fervida ventilatione tempus inutiliter perditur; 12) multa aliena Medicinæ admiſcentur. Qui nævi quo jure, quave injuria, recentiorum theoriæ in univerſum omni imputentur, itemque an ſinguli re vera pro nævis declarari queant, hic quidem pro inſtituti noſtri legibus copioſius diſqui-

quirere non licet, iis vero, qui veram theoriam mechanicam satis cognitam perſpectamque habent, facile patebit. Sed progrediamur cum Autore ad proximum Caput de vero demonſtrandi principio in Medicina, de mechaniſmo & organiſmo, & utriusque diverſitate, quam *Stahliani* ſubtilius ſibi, quam verius, comminiſcuntur. Mechaniſmum in Medicina non ſufficere, iterum iterumque inculcat, atque ejus rei cauſa breviter repetit principii mechanici demonſtrationem, ab Illuſtri *Hoffmanno* in præſtantiſſimo Medicinæ Syſtematicæ Opere exhibitam. Neque tamen eam ſub examen accuratius revocat, aut operoſe refellit, ſed, an recte ſe habeat, aliis judicandum relinquit. Inde vero principium ſuum organico-mechanicum it ſtabilitum, cujus tamen demonſtratio nobis admodum manca atque mutila eſſe videtur, quia præmiſſas, quas vocant, propoſitiones in demonſtratione aſſumit ſupponitque tanquam alibi probatas, cum tamen hic eas concatenata ſerie probari quammaxime opus fuiſſet. *Pars altera* Phyſiologiam complectitur. Hanc ab Anthropologia, quam ſolam ab aliis Medicis, qui *Stahlianæ* ſectæ non adhæreſcunt, coli tractarive aſſeverat, diſtinguit, ſimul vero, quid in Phyſiologia hac medica jure deſiderari poſſe videatur, indicat. Hinc varias doctrinas de elementis, ſpiritibus, calido innato, & humido primogenio, facultatibus animæ variis, removet, de partibus corporis humani ſolidis atque fluidis, nec minus de temperamentis, agit, brevem atque ſuccinctam œconomiæ animalis & vitalis ſecundum principia mechanico-organica delineationem repræſentat, &, in quo vita, ſanitas, mors, & morbus, conſiſtant, docet. In Pathologia, poſtquam utriusque hujus partis theoreticæ nexum oſtendit mutuum, differentiasque morborum præcipuas explicuit, de cauſis eorum generatim diſquirit, morbosque omnes, diſcentium memoriæ præcipue conſulturus, ad tres claſſes, nempe ad morbos nimiæ humorum quantitatis, ſive plethoræ, ad vitia pravæ qualitatis, ſive cacochymiæ, & ad vitia motuum, exceſſu pariter atque defectu peccantium, reducit, eumque in finem Noſologiæ, ſive, ut ab aliis voca-

[Margin: Cap. 4. — Pars II. Cap. 1. — 2. 4. — 5. — 3. — 7. — 8. — Pars III. Cap. 1. — 2. — 3. — 4]

 tur,

tur, Symptomatologiæ, ſpecimen exhibet, in quo omnes mor-
boſi effectus ſecundum has tres claſſes, exceptis tantum a-
Pars IV. nimi morbis, recenſentur. In Semiologia de hac doctrinæ
Cap. 1. parte generatim diſſerit, tum fontes etiam aperit, ex quibus
2. 3. ſigna, tam diagnoſtica, quam prognoſtica, petuntur. His ab-
Pars V. ſolutis, venit ad morborum hiſtoriam generalem, *quintam*
Cap. 1. Inſtitutionum ſuarum *Partem*, propter hujus argumenti ne-
2. ceſſitatem, utilitatem, & dignitatem, ac non modo ſuccin-
3. ctam hiſtoriæ morborum generalis, ſed etiam morborum ſpe-
cialium ſive ſingularium, deſcriptionem ſiſtit. Ubique præ-
cipua momenta, quæ emendatione indigent, detegit, potiſſi-
masque circumſtantias commemorat, ab eo conſiderandas,
qui veram morborum hiſtoriam digne enarrare cœpit. In
Pars VI. methodo medendi generali, cujus conditionem & in-
Cap. 1. dolem primum generatim illuſtrat, duo itidem ſum-
ma remediorum genera conſtituit, evacuantia ſcilicet at-
que alterantia, quorum hæc vel humorum qualitatem, vel
motus, nunc excedentes, nunc languidos & deficientes,
Pars VII. emendant. Denique Therapia proponitur generalis, ſpecia-
lis, & ſpecialiſſima. In generali practicum inſtituitur exa-
Cap. 1. men affectionum generalium, non tantummodo quoad na-
turam & differentiam ſubjectorum, reſpectu frequentiæ vel
infrequentiæ ægrotandi, ſenſibilitatis naturæ, ſexus, & ætatis,
ſed & intuitu cauſarum morbificarum, & præcipuarum mor-
2. bi differentiarum. In Therapia ſpeciali exhibentur paucis ex-
emplis indicationes curatoriæ, ſecundum quas idonea inveni-
untur remedia, morbis ita opponenda, ut ſalutaris conſequa-
tur eventus, affectusque e fundamento, quod dicunt, curetur.
3. In ſpecialiſſima, ſive caſuali & exemplari, exſpectandi eſſent
caſus ſingulares, quibus homines individui, ſingularibus quis-
que morbis affecti, horumque individualibus circumſtantiis
oppoſita certa & convenientia remedia, ſiſterentur. Sed hu-
jus *Partis* vix tribus verbis mentionem injicit, quod ea ad
Pars VIII. Collegium Caſuale potius pertineat. In *octava* & ultima
Parte brevis atque ſuccincta methodus formulas remedio-
rum ex tempore præſcribendi traditur, quam nunc quidem
præ-

prætermittimus. De Hygiene prorſus tacet, quod in praxi ſpeciali nullus tractetur affectus, quin diæta & regimen ab ægroto obſervandum ſimul definiatur, multa etiam de uſu & abuſu rerum ſex non naturalium in hiſtoria cauſarum morbificarum diſputentur, atque præterea ea pars ab aliis ſatis pertractata fuerit. Ceterum huic libro ſua utique laus conſtabit apud omnes, propterea quod Syſtema *Stahlianum*, ſatis alias perplexum atque obſcurum, perſpicue & plana naturalique dictione proponit, ut nemo amplius a cognoſcendo eo per difficultatem abſterreri queat. Dolendum tamen eſt, Doctiſſimum Autorem contra leges Inſtitutionum medicarum interdum nimis eſſe verboſum, plus juſto etiam excurrere in controverſias varias, inque Mechanicos recentiores, præcipue Illuſtrem *Hoffmannum*, nonnunquam acrius invehi; e contrario nonnullas doctrinas, e. g. de generatione & conceptione, omittere, quod illæ aliis in ſcriptis a ſe eſſent explicatæ; imo ne illam quidem doctrinam, ex qua tamen omne Syſtema *Stahlianum* pendere videtur, animam ſcilicet rationalem corporis humani eſſe vitale principium, exponi toto hoc libro aut confirmari.

DE MORBIS EXITIALIBUS, NOBILEM Virginem Patavinam toto vitæ tempore excruciantibus, Hiſtoria medica, ubi, præter tumorem rarum, mirabiles Laudani liquidi & Quinquinæ effectus obſervantur. Autore DOMINICO MILITIA, *Neapolitano.*

Patavii, typis Jo. Baptiſtæ Conzatti, 1734, 4.
Plag. 13.

Quo magis accurata morborum hiſtoria, effectuumque, a remediis, ad debellandos illos adhibitis, obſervatorum, fida relatio, ad perficiendam artem ſalutarem prodeſſe omnibus intelligentibus ſemper viſa eſt, eo gratiorem eruditis Cl. Autoris laborem, quo plurium morborum, Virginem nobiliſſimam a tertio ætatis anno usque ad quadrageſimum octavum invaden-

dentium, varias vicissitudines exponit, futurum esse, nulli dubitamus. Brevem universæ historiæ synopsin ipsius Autoris verbis exhibemus. *Prima fere ætate*, inquit, *cecidit ex loco præalto; tum grandior collapsa deinceps ter, graviter semper offendit latus dextrum; indeque exstitit tumor, qui procedentibus annis crevit ingentem in molem. Interea conflictata est hemiplegiis & animi defectionibus pæne innumeris, ut & haud raro doloribus capitis molestissimis. Laboravit cachexia semel; bis macie fere confecta est. Ingruit quater pleuritis in latus sinistrum, fauces tam crebro, ut iniri numerus non queat, angina tentatæ sunt. Exceperunt subinde asthma, singultus, tussis, trunci tumefactio, & brachii contractio; item dolores colicæ acerbissimi; alvi quoque ex admirabili causa vehemens adstrictio. Hydrops ter suam exercuit sævitiem, quo tempore femoris luxationes plures contigere. Ab octo autem annis ingruerunt motus convulsivi diuturni, graves, qui ad præsentem usque diem plus, minusve, sævire solent. Nullum pæne absuit febrium genus, quotidiana, tertiana, quartana, lenta & acuta, ardens, maligna, inflammatoria; quarum nonnullæ sæpius recruduerunt. Claudere hoc anno agmen morborum dixeris podagram, phtyalismum, sudores nimios, ac dysuriam. Inter remedia alia complura eminet sanguinis missio, fere sexagies repetita: Quinquina item ac Laudanum liquidum, cujus quantitas ab Junio anni 1725 usque ad annum 1734 ad libras octo, ductis rationibus, adscendit & drachmas septem.* Neque tamen tot morborum, quorum unus sæpe ad occidendum hominem sufficit, concursus miseram e medio sustulit, sed, conclamatis sæpius rebus, præter adstantium & Medicorum exspectationem, aliquantum levata, tempore, quo hæc a Cl. Autore consignata sunt, adhuc superstes, novos insultus, quibus fragile demum corpus destruatur, exspectare coacta est. Cum insolitus ille in dextro hypochondrio tumor multorum sine dubio symptomatum causa & origo fuerit, pleniorem ejus descriptionem subjungere æquum videtur. *Imus venter* (sunt Autoris verba) *magnitudine ingens, inæqualis undique, dextra vero ejusdem pars sinistra longe major altiorque, conspicitur. Magni-*

(Margin notes: Pag. 36. beside "bis exhibemus"; 29. beside "ptionem subjungere")

gnitudinis hujus confinia costæ legitimæ sunt, umbilicus, os pubis, ilium, & lumborum vertebræ. In medio tumor prægrandis, longus, & inæqualis, figuram cucurbitæ curvæ præ se ferens, cujus caput diametro fere unius palmi regioni umbilicali subjacet; collum iliacæ; epicolicæ ac lumbari extremum. In umbilico renitens magis persentitur, quam in ilio, magis hic, quam lumbos versus, ubi steatomatis soliditatem paulo firmiorem præ se fert, nusquam vero osseam, vel lapideam. Vehementissimum dolorem sub costis spuriis prope sternum, ubi 8, 9, & 10 per cartilagines conveniunt, percipit; quæ non convexæ exterius, sed concavæ, observantur; ubi sibi videtur ægra quodammodo alligatum tumorem habere, & veluti mucrone quodam se perpetuo figi sentit. In ultima dorsi vertebra pariter continuum, sed paulo mitiorem, circa ilium vero & lumbos magis tolerabilem, & interdum remittentem, dolorem percipit. Mobilis est tumor circa umbilicum, ut, manu inferius admota, costas versus attolli, & in sinistrum latus quodammodo pelli, possit. Si forte ægra aliquando erigi aut stare conetur, molemque sine fulcimine deorsum pendere sinat, statim, excitatis motibus convulsivis, in ἄπνοιαν incidit, ac prope deficit; quod & in situ supino accidit; unde, erecta cervice in lectulo jacens, plurimis pulvinaribus tumorem sustentare cogitur, ut velut strato planissimo & æquali undique incumbat, præcipue ubi somnum captare nititur. Color ceteroquin abdominis ubique naturalis est. In tradenda tot morborum ætiologia varias notatu dignas observationes de lipothymiis ex diuturniore genuum flexione, de feliciori hydropis per diuretica, quam valentiora cathartica, expugnatione, de periodis convulsionum, stata diei hora redeuntium, allegat; inprimis vero in sede tumoris antea commemorati eruenda occupatur, atque primo pleraque viscera nobiliora imi ventris a suspicione latentis ibi mali liberat. Neque enim ventriculum aut mesenterium hic accusari posse censet, cum digestio & chyli ad sanguinem derivatio satis promte succedant, habitus etiam corporis post superatas febres plenior vividiorque appareat, neque vomi- **Pag. 65.**

tus

tus frequens, aut cardialgia immanis, aut fluxus cœliacus, similiaque ſymptomata, his partibus tumore obſeſſis familiaria notentur. Pancreatis glandulam aut lienem hic in cenſum non venire, indicati in dextro hypochondrio tumoris limites abunde declarant. Eadem ex cauſa uterum inſontem judicat, quod tumor non a pube ad umbilicum, ſed ab umbilico dextras occupans regiones, iliacam & epicolicam, lumbos verſus, extendatur. Supereſt hepar, quod a plurimis etiam Medicis accuſatum fuit, ut ægra omnesque alii, illud tumoribus affectum auctumque eſſe, pro certo & ſtabili habeant, quod pariter tamen incolume eſſe arbitratur, cum vel dudum in ſuppurationem abiiſſe, vel in ſcirrhum mutatum eſſe, oportuerit, neque tamen morbos ab indurato hepate oriundos occurrere, cum, bilis ſecretione turbata, ſicque læſa digeſtione, atrophiam, aſcitem, lienteriam, eademque in ſanguine cumulata, icterum, ſubſequi, obſervationes teſtentur. In partibus ergo imi ventris continentibus illius ſedem collocat, utpote minus nobilibus, adductis ſimilibus e *Galeno* & *Riverio* hiſtoriis. Neque tamen, utrum præcipua ſedes inter peritonæum ſit, an & muſculos tranſverſos, an vero hos inter & rectos vel oblique poſitos, definit, ſcirrhi ſpurii ei nomen imponens, cum minor, quam in genuino, durities & dolor præſens hoc arguant. Cauſas hujus tumoris plures accuſat, ac potiſſimum lapſus repetitos, quibus atonia, in contuſis muſculis orta, tum hydropem iteratum, cujus magnam vim eſſe in laxandis muſculis abdominalibus conſtet; in has igitur partes debilitatas omnes ſanguinis impuritates delatas, ſenſim inſignem illum tumorem generaſſe. Cum præterea circa umbilicum pars grandior duriorque tumoris ſentiatur, probabile credit, omentum contractu facto cum peritonæo concreviſſe, &, arcte convolutis ambobus, majorem hic durioremque effeciſſe molem. Febrilium paroxyſmorum materiem non in tumore, ſed alibi, generari, imo neque ſolum origine, ſed natura etiam, inter ſe diverſas videri convulſivi & febrilis paroxyſmi cauſas continentes, cenſet; cum altera in nervos agat, in ſanguinem altera; illa Laudano *ob*tem-

temperet, & ſudoribus eliminetur, hæc cedat Quinquinæ, & Pag. 84 ſeq. per alvum dejiciatur ſenſibili ac manifeſta criſi. Ingens illa Laudani liquidi, ad octo libras accedens, copia, quam intra aliquot annos hauſit, quomodo ſine noxa aſſumi potuerit, copioſe diſſerit. Antiqui opium frigidum in quarto gradu cenſebant facultate coagulandi præditum, hinc calidiora admiſcuerunt; recentiores contra calidiſſimum perhibent, & virtutem attenuandi tribuunt; quod in hac quoque ægra factum teſtantur phænomena, commotio ſanguinis, æſtus, ſudor nimius, ſomni carentia, menſtruatio libera, & emiſſi ſanguinis tenera conſiſtentia. Partem igitur opii, membranarum ſuperficiei adhærentem, tonum illarum roborare, tenuiorem, ſucco nerveo commixtam, illum reficere, & ad motus ordinatos diſponere, cum *Hecqueto* cenſet, indeque effici, ut binis horis ante paroxyſmum aſſumtum convulſivos motus ſuſpendat, modumque, quo reliqua commemorata phænomena inde producantur, facile ex his intelligi poſſe. Ceterum non probat admixtionem croci, cinnamomi, caryophyllorum, & vini Hiſpanici, cum tantum abſit, ut eo corrigatur, ut potius nimius calor inde remedio concilietur; quare etiam huic ægræ abſque croco & caryophyllis parari curavit. Quod vero abſque detrimento tantum ejus ſumſerit, partim modicæ doſi, ſub initium conceſſæ, tribuit, partim conſuetudini, quæ res etiam inſalubres ſenſim corpori familiares reddat. Varia vero exempla adducit hominum, ita ad opii uſum adſtrictorum, ut, hoc denegato, protinus graviſſimis corripiantur ſymptomatibus, quod ægræ pariter ſenſu confirmetur, cui, intermiſſo ſtato tempore opii uſu, vehementiſſimæ convulſiones ad animi usque deliquium ſint metuendæ. Multam eruditorum inibit gratiam Cl. Autor, ſi, uti ſpem fecit, quæ forte nova circa progreſſum morbi notanda occurrent, eadem ratione exponat, atque inprimis, cum tandem anima miſerum hoc domicilium reliquerit, ſectione facta miri tumoris veram conditionem indaget, atque deſcribat.

LETTERA ALL' EMINENTISSIMO E REverendiſſimo Sign. Cardinale GUADAGNI, &c.


h. e.


CELIDONII NENFERI, ABBATIS, AD Eminentiss. Cardinalem GUADAGNIUM Epistolæ tres, de incommodis, a novo quodam ædificio exspectandis, quod Moniales Philippinæ e regione monasterii Turchinarum exstruere instituerunt.

Romæ, ex officina Rev. Cameræ Apostolicæ, 1736, fol. min. Plag. 15, Tab. æn. 1.

Lis nuper Romæ exorta est, a Tribunali S. Rotæ Romanæ decidenda, de novo quodam ædificio, quod Moniales S. *Philippi* e regione Turchinarum exstruere, atque hæ, propter varia, quæ inde timent, incommoda, prohibere conantur. Consulti propterea quatuor Mathematici fuerunt: quorum scripta cum ab Eminentiss. Cardinale *Guadagnio* cum Autore harum literarum essent communicata, is, & longe majora incommoda cernens, quam quæ Mathematici memorarunt, & commoda, quorum illi mentionem fecerunt, pro nullis ponens, docte atque ingenue, quid sibi videatur, declarare instituit. Non indignum sane Mathematicorum studio, sed & difficile, argumentum. Quæritur enim, quantam partem solis & cœli, atque adeo luminis & caloris necessarii, imo & ventorum salubrium, motusque aeris, ædificium, ædificio certa ratione oppositum, eripiat, & quantum inde damnum oriatur. Quanquam vero ex cognita ædium positione, justaque dimensione, non nimio negotio reperire Geometra potest, quota sit pars cœli & atmosphæræ, quæ cuivis ædium parti ab ædibus oppositis obtegitur; quam ampla & quam diuturna umbra, cui quovis tempore (non impedito a nubibus sole,) ædes immerguntur; & quam lata horizontis portio, unde coorti venti directe afflare ædes nequeunt: nec dubitare licet, quin & loca inumbrata iis, quæ sol replet, frigidiora, & ea, quæ necessario aeris motu privantur, aliis sint minus salubria; nondum tamen hæc sufficere palam est ad cetera, de quibus quæritur, accurate definienda. Præterquam enim, quod

TAB. VIII ad Nov. Act. Erud. A. 1737 M. Octobr.
pag. 459 et 466.





quod ſplendor ſolis & calor ſæpe nimius eſſe poteſt, & ventorum vis incommoda, cum radii eo minus valeant, quo magis oblique ad locum quemlibet pertingunt, nec omnis calor a ſole immediate illucente, nec omnis motus & ventilatio aeris a ventorum, qui vulgo numerantur, recto appulſu, pendeat, etiamſi ſolem ſemper a nubibus liberum, aeremque ſerenum & æquabiliter relucentem, ventosque ſatis ordinatos, ponas, haudquaquam tamen, ſive ex mora & extenſione umbræ, ſive ex portione obtecta atmoſphæræ & horizontis, rite concluſeris, eandem eſſe cohibiti caloris, vel luminis, vel ventilationis aereæ, rationem ac proportionem; nec geometricis ſolum principiis, ſed plurimis etiam experimentis & tentaminibus, opus eſſe videtur, ut conſtare (exempli cauſa) poſſit, quantum caloris, dato quovis tempore, ex dato conclavi, ſimul cum ſole excludatur, & quanto inſtructior focus eſſe debeat, ad damnum illud ſarciendum. Sed, his quidem nunc omiſſis, videamus, quomodo Doctiſſ. *Nenſerus* rem ſuam agat. In adjecto ſchematiſmo *FG* eſt Monaſterium Turchinarum; *ED* novum Philippinarum ædificium, 305 palmos longum; *BA* quadrans horizontis, cum adſcriptis ventorum plagis; *CD* plateæ, inter utrumque ædificium intercedentis, latitudo, $66\frac{1}{2}$ palmorum. Altitudo novi ædificii usque ad coronicem eſt palm. $57\frac{1}{2}$; usque ad ſummum tecti faſtigium palm. 74. Denique perpendiculum, a faſtigio demiſſum, diſtat a pariete *FG* palm. $101\frac{1}{2}$. Quibus poſitis, hæc ſunt, quæ Vir præſtantiſſimus ſibi demonſtranda ſumit: 1) Arcum horizontis *BH*, cujus proſpectus Turchinis eripitur, eſſe 77°, 42′, & arcum circuli verticalis interceptum, quo loco maximus eſt, pertingere ad 40°, 51′; 2) & 3) ex conclavibus Turchinarum ſuperioribus ſolem per ſesqui horam, ex inferioribus, circa ſolſtitium hybernum, per totum tempus antemeridianum, excludi; 4) 5) & 6), ſi ponatur, æſtate, cum dies ad 16, & noctes ad 8 horas extenduntur, quotidie 16000 particulas calefacientes a ſole ad loca quævis, quæ colluſtrat, mitti, & quavis nocte 8000 ejusmodi particulas inde avolare, hyeme contra, cum dies 8 horis, &

TAB. VII Fig 1.

 no-

noctes 16, conſtant, interdiu quidem 8000 particulas accedere, nocte vero 16000 abire: hæc igitur ſi ita ponantur, conclavia Turchinarum ſuperiora quotidie, propter ſolem per ſeſqui horam excluſum, 1500 ſive particulis, ſive gradibus, caloris, & per integros 6 menſes hybernos 268500, conclavia autem inferiora quotidie plus quam 14000, & per omnem hyemem 800500, gradibus caloris privari: 7) & 8), cum altitudo atmoſphæræ ſit 44 mill. Ital. totam ejus molem, quæ lucem reflectere ad Turchinarum monaſterium a novo Philippinarum ædificio prohibetur, atque adeo ipſam quantitatem illius lucis, qua Turchinæ virgines privantur, eſſe pedum cubic. $476482673479938271\frac{42}{81}$; 9) & 10) obſtaculo eſſe novum ædificium ſeptem ventis, arcu horizontis *BH* comprehenſis, etiam tum, cum ex alto deorſum ſpirant, usque ad elevationem 40°. 51′; 11) eripi miſellis virginibus non modo notabilem ventilationem aeris, ſed etiam innocens oblectamentum, quod nunc quidem ex tot amœniſſimorum collium, camporum, & caſtellorum, proſpectu capiunt; 12) denique commodum, quod ex illuminato per ſolem novo muro Philippino pervenire ad Turchinas dicitur, plane nullius momenti eſſe, imo, cum tempore hyberno ſol non diutius, quam per ſemihoram, ante occaſum, debilibus radiis, æſtate vero per ſex horas integras, radiis ferventiſſimis, illum murum feriat, incommodum inde novum naſci, quod commodum undecim ad minimum partibus ſuperet. De prima eruditiſſimi Abbatis Epiſtola hactenus. In *altera* ad libellum ſibi oppoſitum reſpondet, qui inſcribitur: *Obſervationes circa umbram, a variis projectam ædificiis, ad ortum Monaſterii Turchini ſitis.* Quam rem, nec in priori Epiſtola penitus neglectam, nunc accuratiori calculo perſequitur, oſtendens, umbram novi ædificii Philippini decies plus damni Turchinis afferre, quam umbram reliquorum adjacentium ædificiorum: qua occaſione etiam alios quosdam calculos repetit, corrigit, auget. In *tertia* Epiſtola ad alium libellum, nomine *Leandri Godini* contra ſe editum, reſpondet: ſub quo nomine vel Mathematicos, ſupra memoratos,

vel

vel alium quendam longe majorem Virum, latere perhibent. Nobis nihil eorum, quæ ab altera parte ſcripta ſunt, ad manus pervenit. Quo magis abſtinendum videtur, ne judicium aliquod noſtrum temere interponamus. Hoc unum aſſerimus, Virum, cum in aliis ſcientiis divinis & humanis, tum in Mathematicis, apprime verſatum, *Celidonium Nenſerum*, etiamſi forte non omnia perfecerit, atque in operoſiſſimis ſuis calculis nimiam fere poſuiſſe operam videatur, laborem tamen ſumſiſſe jure meritoque commendandum.

MARTINI KNUTZEN THEOREMATA NOva de Parabolis infinitis eadem parametro & circa eundem axin deſcriptis.

Definitio I. Parabolas parametrales dico, in quarum æquatione univerſali exponens parametri exponente abſciſſæ major eſt, i. e. ſi in æquatione $a^m x^n = y^{m+n}$ exponens $m > n$.

Scholion. Quemadmodum in hac æquatione, ſic quoque in ſequentibus litera a parametrum, x abſciſſam, y ſemiordinatam, deſigno, expreſſione Mathematicis pleriſque familiari. Conf. Cel. *Wolfii Elem. Lat. Tom. I Analyſ. finit. Cap. 6.*

Definitio II Parabolas abſciſſales eas voco, in quarum univerſali æquatione exponens abſciſſæ exponente parametri major $n > m$.

Corollarium. Cum m aut æquale ſit, aut majus aut minus, quam n, nec quartum detur; in eo vero caſu, quo exponentes m & n ſunt æquales, parabola ſemper ſit Apolloniana; (eſt enim v. g. $a^2 x^2 = y^4$ tantummodo diverſa ejusdem parabolæ expreſſio, quæ per $ax = y^2$ indigitari ſolet,) ſequitur, *omnes parabolas, præter Apollonianam, vel parametrales eſſe, vel abſciſſales.*

Definitio III. Parabolam ampliorem dico, quatenus in eadem a

vertice distantia semiordinatas habet majores, *angustiorem* vero, quatenus in eadem a vertice distantia semiordinatas habet minores.

Theorema I. Lineæ Parabolicæ cujuscunque ordinis seu parabolæ infinitæ, circa eundem axim B F eadem parametro AB descriptæ, in puncto D concurrunt, in quo semiordinata terminatur communis DC, cum abscissæ BC, tum parametro AB, æqualis, seu ubi $DC = BC = AB$.

Demonstratio. Est enim vi æquationis infinitarum parabolarum $AB^n : CD^{n+m:2} = CD^{n+m:2} : BC^m$. Si autem in hac æquatione supponas, $AB = BC$, seu abscissam communem parametro esse æqualem: erit $AB^{n+m} = CD^{n+m}$; adeoque semiordinata CD abscissæ communi BC in infinitis parabolis, eadem parametro & circa eundem axin descriptis, & parametro, & abscissæ, cui insistit, est æqualis. Habent igitur omnes parabolæ, circa eundem axin eadem parametro descriptæ, commune, in quo concurrunt, punctum, ubi $DC = AB = BC$. Q. e. d.

Theorema II. Parabolæ Parametrales cujuscunque ordinis, seu infinitæ ante punctum concursus D, seu quamdiu $a > x$, ampliores sunt, quam Apolloniana, circa eundem axin eademque parametro descripta; sed post punctum concursus D, i. e. si $a < x$, Apolloniana sunt angustiores.

Demonstratio. Sunt enim parabolarum infinitarum quarumcunque semiordinatæ ad semiordinatas eisdem abscissis insistentes, seu æqualiter a vertice remotas, ut $\sqrt[m+n]{a^m x^n} : \sqrt{ax}$. Hæc vero ratio, salva, ut ita dicam, majoreitate vel minoreitate, dat sequentem: $a^{2m} x^{2n} : a^{m+n} x^{m+n}$, adeoque $\left(\frac{a}{x}\right)^m : \left(\frac{a}{x}\right)^n$ repræsentat rationem semiordinatarum salva, ut jam dixi, majoreitate vel minoreitate.

Cum

Cum igitur in parabolis parametralibus $m > n$ (per *Def. I*): erit $\left(\frac{a}{x}\right)^m > \left(\frac{a}{x}\right)^n$ i. e. ſemiordinatæ parametralium parabolarum ſemiordinatis Apollonianæ correſpondentibus ante punctum concurſus ſeu ſi $a > x$. In eo enim caſu erit $\frac{a}{x}$ numerus unitate major. Notum vero eſt, numerorum unitate majorum potentias creſcere, &, quo ad majorem evecti fuerint potentiam, eo eſſe majores. Si autem $a < x$ ſupponas: erit $\left(\frac{a}{x}\right)^m < \left(\frac{a}{x}\right)$ i. e. ſemiordinatæ parametralium parabolarum poſt punctum concurſus ſunt Apollonianis minores. Nam, quando $a < x$, tunc $\frac{a}{x}$ eſt fractio genuina, ſeu numerus unitate minor: conſtat autem inter omnes, potentias fractionum proprie talium ſemper decreſcere, &, quo ad majorem numerus fractus proprie talis evehatur potentiam, eo etiam evadere minorem. Patet adeoque, quod ante punctum concurſus parabolæ parametrales, circa eundem axin & eadem parametro deſcriptæ, Apollonianis ſint ampliores, poſt concurſum vero eisdem ſint anguſtiores (per *Def. III*). Q. e. d.

Theorema III. Parabolæ abſciſſales ante punctum concurſus, i. e. ſi $a > x$, Apollonianis, circa eundem axim eademque parametro deſcriptis, ſunt anguſtiores; poſt concurſus punctum autem, i. e. ſi $a < x$, Apollonianis ſunt ampliores ſeu abſciſſales, ad Apollonianam ſe ratione prorſus contraria habent, quam parametrales.

Demonſtratio antecedenti ſimilis eſt; ſubſtituta enim in eadem, loco parametralis parabolæ, notione abſciſſalis ex *Def. II*, Theorematis noſtri veritas facili negotio pateſcet.

Theorema IV. Parabolæ infinitæ & Apollonianæ & ſe invicem

vicem secant in eo puncto D, in quo semiordinata CD terminatur, quæ cum parametro AB, tum abscissæ BC, æqualis, posito scilicet quod parabolæ singulæ eadem parametro & circa eundem axin sint descriptæ.

Demonstratio. Habent enim omnes ejusmodi parabolæ commune concursus punctum, in quo $BC = AB = CD$ (*Theor. I*). Sunt vero præterea omnes parabolæ parametrales ante concursus punctum Apolloniana ampliores, postea vero angustiores (*Theor. II*); abscissales vero ante punctum concursus sunt angustiores, postea vero ampliores (*Theor. III*), adeoque omnes infinitæ parabolæ præter Apollonianam ante concursus punctum erunt vel ampliores & post angustiores, vel prius angustiores, postea ampliores (*Coroll. Def. II*). Cum vero linea alteram secare dicatur, quæ post concursus punctum in aliam, quam ante concursum, plagam ab eadem divergit; sequitur, omnes parabolas infinitas, excepta Apolloniana, cum Apollonianam, tum se invicem, in eo puncto secare, ubi $CD = CB = AB$. Q. e. d.

Scholion. Si forsitan aliquis existimet, evicto jam in *Theor. I* communi infinitarum parabolarum concursus puncto, haud opus fuisse, ut peculiari præterea demonstratione, quod se invicem in constanti puncto secent, adstruerem; is, velim, perpendat, lineas, si se invicem tangant, habere quoque commune punctum concursus, licet se invicem haudquaquam secent. Non itaque superfluum fuit, id demonstrare, quod sine demonstratione assumere illegitimum fuisset. Unicum itaque modo superest, ut scilicet evincam, sectionem omnium parabolarum, in infinitum eadem parametro & circa eundem axin descriptarum, in unico & constanti puncto esse affectionem ex omnibus sectionibus conicis infinitæ solis parabolis propriam.

Theorema V. Nec omnes ellipses, nec omnes hyperbolæ infinitæ, se invicem & Apollonianas in constanti ac eodem puncto intersecare possunt, licet sint eadem parametro circa eundem axin descriptæ.

Demon-

Demonstratio. Fac enim, se secent; erit $\sqrt[m+n]{\frac{b}{a} x^m \left(a \pm x\right)^n} = \sqrt{\frac{b}{a} x \left(a \pm x\right)}$, adeoque $\frac{b^2}{a^2} x^2 \left(a \pm x\right)^2 = \left(\frac{b}{a}\right)^{m+n} \left(a \pm x\right)^m x^n$. Ergo

$$\frac{b^2}{a^2} : \left(\frac{b}{a}\right)^{m+n} = \left(a \pm x\right)^m x^n : \left(a \pm x\right)^2 x^2.$$

Cum vero hæc ratio in variis casibus sit impossibilis, v. g. si $m+n$ numero binario multo est major: tum enim minus ad majus eandem haberet rationem, quam majus ad minus, quod impossibile. Adeoque nec omnes ellipses, nec hyperbolæ, licet ejusdem parametri & axeos, in constanti puncto se secare, imo nec se contingere, possunt. Q. e. d.

Theorema VI. Infiniti circuli ejusdem axeos, & circa eundem axin descripti, se invicem secare omnino in nullo puncto possunt.

Demonstratio. Si enim infiniti circuli se invicem secarent, esset $\sqrt[m+n]{(a-x)^m x^n} = \sqrt{(a-x)x}$; adeoque $\left(\frac{a-x}{x}\right)^n = \left(\frac{a-x}{x}\right)^m$, quod impossibile, nisi $n=m$. Sed, si $n=m$, circulus est vulgaris, seu Apollonianus. Cum vero omnes circuli ejusdem axeos, & circa eundem axin descripti, congruant; patet, quod circuli infiniti nec Apollonianum, nec se invicem, secare possint, licet circa eundem axin sint descripti. Q. e. d. Eadem quoque demonstratio de Hyperbolis æquilateris valet.

Theorema VII. Sectio universa seriei infinitarum linearum cur-

curvarum, eadem parametro & axi descriptarum, cujuscunque ordinis in unico & constanti puncto reciproca, res est, quæ inter omnes sectiones conicas curvilineas infinitas in solis tantum parabolis infinitis locum obtinet.

Demonstratio. Quatuor enim tantummodo dantur sectiones conicæ curvilineæ, scilicet parabolæ, hyperbolæ, ellipses, & circuli (per Elem. Conic.). Jam vero demonstratum est, infinitas parabolas ejusdem parametri & axeos sese secare in constanti puncto (*Theor. IV*), de infinitis vero ellipsibus & hyperbolis (*Theor. V*), nec non de infinitis circulis (*Theor. VI*), id prædicari nequit; patet ergo, solas parabolas infinitas ejusdem axeos & parametri ex omnibus sectionibus conicis se in unico ac constanti puncto secare. Q. e. d.

TAB. VII Fig. 2. De *Theoremate primo* illud monere supra Lectores neglexeram, esse hoc in adjecta hic *Figura 2*, ut melius intelligi posset harum rerum peritis, accurate studioseque a me expressum.

M. LUD. MART. KAHLII, AMPLISSIMI Ordinis Philosophorum in Academia Fridericiana Adjuncti, Elementa Logicæ Probabilium, methodo mathematica, in usum scientiarum & vitæ, adornata.

Halæ, prostat in officina Rengeriana, 1735, 8.
Plag. 19.

Laborem arduum, & adhuc intra desideria Philosophorum consistentem, Cl. Autor, nuper demum in novam Gottingensium Academiam, ad docendam hic Philosophiam, evocatus, felici sidere fuit aggressus. Pleraque vitæ bene pacateque transigendæ momenta insistunt probabilitati. Utilissimum itaque & saluberrimum suscipere is opus dicendus est, qui veram notionem probabilitatis impertitur hominibus, eosque docet modum, quo possibile a probabili, probabile ab improbabili, gradusque probabilitatis ipsos, ac probabile a certo, expedite discernere valeamus. Propositionum probabilium species est hypothesis. Quare falluntur, qui adoriuntur

tur

tur refellere hypotheses tanquam theoremata. Nec minus illi hallucinantur, qui frontem corrugant, simul ac de hypothesibus aliquid inaudiunt. Veritas suis vult attingi gradibus, ac sæpissime per multa Secula propositio duntaxat est probabilis, quæ successu temporis redditur probabilissima, tandemque certa & evidens. Dignum hoc attentione quacunque argumentum, quod Logicæ probabilium insignitur elogio, nemo ante Cl. Autorem, nemo sane, suscepit exornandum vel elaborandum, nemo exantlavit. Ante *Aristotelem* Philosophi de probabilitate haud erant solliciti. Ille quidem inter Analyticam, quæ *doctrina de demonstratione* vocabatur, & Dialecticam, seu *artem probabiliter disserendi*, differentiam statuit. At Dialectica hæc ne unicam quidem Logicæ probabilium continet regulam. Solus fere hac in re ingenii vires periclitatus fuit *Jacobus Bernoullius*, in *Arte conjectandi*, quæ in modum Operis posthumi Basileæ A. 1713 prodiit. Sed specimina, ab eo allata, tantum complectuntur conjecturas, in ludis obvias, artisque combinatoriæ usum. Exempla ipsa & casus prolati ad actiones humanas applicari nequeunt, ob defectum generalium regularum, quas unice spondet Logica, de probabilitate disserens. Notionem probabilitatis tenuit *Nic. Hier. Gundlingius*, quod ex *Gundlingianis* intelleximus, quam tamen haud evolvit. In hac palæstra sese quoque exercuit *Andreas Rüdigerus*, in Opere *de Sensu veri & falsi Lib. I Cap. 12 pag. 207*, ac *Lib. III edit. Lips. A. 1722*. Utinam principia is condidisset Logicæ probalium, quorum ope gradus probabilitatis possit determinari! Verum hæc haud exposuit, confessus *in der Anweisung zu der Zufriedenheit der menschlichen Seele Cap. 9 §. 33 not. 4 pag. 239 edit. Lips. A. 1734* ingenue prorsus: *Desideratur adhuc in Logicis, meis etiam hactenus, quod fateor, libris, utilissima de rite æstimandis probabilitatis gradibus doctrina, quam forte peculiari scripto, si otium suppetet, dabo.* Intercepit mors destinationem tam salubrem. Ill. *G. G. Leibnitius* & *Christianus Wolfius* æque desiderarunt Logicam illam, qua probabilitatis gradus determinantur. Posterior in *Cogitationibus rationalibus de viribus intellectus humani* de Logica

probabilium prorſus tacet, in Opere majori Latino definitionem addidit egregiam, quæ tamen Cl. *Kahlii* conſilio ac fini haud ſuffecit. Ne igitur hic pateretur porro nobiliſſimam illam Logicæ partem exulare, impatiens fuit exſpectandi tempus illud, quo Ill. *Wolfius* promiſſum exſolveret, eo nomine datum, quippe Operi Latino philoſophico ad finem perducendo intentus. Idcirco noſtro jure credimus, Abderitas eſſe eos, qui Viri Clariſſimi Opus ac inſtitutum tam ſalubre & fructuoſum contemnere, vel judiciis ſeverioribus proſequi, auſint. Summi Philoſophi Autori ſubjecerunt ſtimulos, ut hæc Elementa ederet; unus eorum illa perpendit, legit, ac digna, quæ ederentur, eſſe judicavit. Qui hæſitant, an liber de probabilibus potuerit methodo ſcribi mathematica, ii, obſecramus, lectitent libri ipſius *§. 114 pag. 95 ſeq.* ut, rem eſſe ſalvam, intelligant. Libris aliorum, inventis & doctrinis veterum vel recentiorum, Autor carere debuit. Quis enim ante eum de hoc argumento fuit ex profeſſo commentatus? Non dubitamus, alios tam nobili conatu excitatum iri, & ea additiuros vel polituros, quæ dies diem docebit. Jacta nunc eſt alea: via fuit ad eum aperta campum, in quo & alii vires ingenii ſui experiri poterunt. Nos vero gratias agimus habemusque & applaudimus Cl. Autori, quod aliis in hac palæſtra præire, ac ſibi egregiam multa cum laude coronam parere ſudore ſuo, voluerit. Plerumque recenſemus librorum ſummas, quas ſexcenties legere ac relegere debemus, ſiquidem plurimi libri non res novas, ſed formas recentiſſimas, præferunt. In præſens gratulamur nobis merito, quod librum delibemus, qui deſideratum diu ac prorſus novum pertractat & exhibet argumentum. Index libro ſubjunctus eſt ex aſſe concinnus. Liber ipſe in *tres* abit *Partes*, ſeu *Sectiones*. *Prima* fuit inſcripta de principiis probabilitatis; *ſecunda* de determinatione graduum probabilitatis; *tertia* de applicatione regularum probabilitatis. In *Sectione prima* diſſeritur de veritate & principiis probabilitatis tum generatim, tum ſpeciatim. In *Sectione ſecunda* tractatur de Logica probabilium, de determinatione graduum probabilitatis in notione, de determinatione graduum probabilitatis

in

in propoſitione, ac ratiocinatione. In *tertia Sectione* exponuntur tum probabilitas hiſtorica, tum ea, quæ in omni applicatione Logicæ probabilium notanda veniunt. Ne vero inſalutata elaboratione ipſa diſceſſiſſe videamur, unum & alterum cum Lectore communicabimus, ſerio perhibentes, libros, rigidæ demonſtrationis catenæ adſtrictos, in nexu eſſe legendos, non per particulas, non per ſaltum, non per compendia & recenſiones. Propoſitiones categoricæ poſſunt tanquam hypotheticæ conſiderari, ſiquidem prædicata ſunt concipienda ſub conditione definitionis, quæ ſubjecto ineſt. Propoſitio deter- Pag. 4.
minata dicitur, ſi una propoſitionum oppoſitarum in re locum habet, altera minus. Quia autem ea, quæ exiſtunt, vel exiſtere debent, ita comparata ſunt omnia, ut oppoſitorum ſemper alterum habeat locum, alterum minus; inde patet, omnia, quæ exiſtunt, eſſe determinata. Unde Cl. Autor demon- 6.
ſtrat, veritatem propoſitionum niti legitima determinatione prædicati per notionem ſubjecti, quæ Ill. *Wolfii* quoque eſt ſententia. *Opinionem* definivit per propoſitionem haud 9.
ſufficienter comprobatam Autor. *Requiſita certitudinis* definit per ea, quæ rationem in ſeſe continent, cur prædicatum ſubjecto ſit tribuendum. *Cognitio probabilis*, eodem judice, exiſtit, ſi deſunt quædam requiſita ad veritatem demonſtrativam. Si enim duo indicia ad certam rei rationem 15.
vel determinationem deficiunt, quinque autem adſunt, cognitio noſtra utique eſt probabilior, quam improbabilior, niſi vis duorum indiciorum, quæ deſunt, præponderet illis quinque. Id enim, ſalva obſervantia in Autorem, monendum ducimus, argumenta ſeu momenta, e quibus exſurgit certa & vera propoſitio, non ſemper eſſe numeranda tantum, ſed ſæpius quoque ponderanda. Uni enim requiſito ad veritatem, eamque vel propoſitionis, vel effectus, ineſt ſæpius vis objectiva major, quam alteri. Hæc vero æſtimatio virium novam parit ſcientiam, quæ vocabulo *Dynamometriæ* inſigniri poteſt. Unde conſequi efficique credimus, ut Dynamometria a Logica probabilium ſejungi haud poſſit. Quomodo enim molem unam cum altera recte comparabis ratione quanti, ni exiſtat men-

 ſura?

ſura? Eodem pariqne modo requiſitorum ad veritatem mo-
menta interna, majora vel minora, comparari inter ſeſe ac æſti-
mari nequeunt citra menſuram, qua proh dolor! adhuc care-
Pag. 16. mus. Credulitatem Autor in eo conſiſtere docet, ſi rem im-
probabilem pro vera habemus. Cave tamen, probabilitatem
logicam cum morali confundas, ſeu probabiliſmo, Jeſuitis
pleriſque probato. Cave, concluſionem ſyllogiſmi probabi-
20. lem, ex altera præmiſſarum probabili profluentem, confun-
das. Cave, propoſitionem, probabiliter collectam, in dato
21. caſu ſemper exſtituram credas; falluntur enim ſæpius, qui e-
ventus futuros ad leges probabilitatis æſtimant. Eis, qui de-
monſtrationis exercitium re ipſa condoceri cupiunt, commen-
24. dat Autor ſcripta Ill. *Wolfii* & mathematica & philoſophica.
Probabilitas vulgaris & *Ariſtotelica* nititur autoritate teſtimo-
nii & opinionis vel plurium vel ſapientiorum; *probabilitas*
erudita pluribus ad rem certam momentorum acceſſionibus
æſtimatur: illam in uſus adhibet Orator, hanc vero Philoſo-
33. phus. Miramur merito, *Petrum Danielem Huetium* in *Præ-*
fatione ad Demonſtrationem Evangelicam §. 3 probabilitatem
Ariſtotelicam in principium veritatis apodicticæ aſſumſiſſe.
Sed vir ille erat polygraphus, ac varia lectione diſtentus, judicii
ſatis de cetero exigui, quocum malo plerumque omnes con-
flictantur polygraphi, quippe qui nihil perpendunt, omnia in-
36. ſtar transfugarum percurrunt. *Gradum* æſtimationis Autor
definit per *diſcrimen qualitatum internum*: *quantitatem*
per diſcrimen internum ſimilium, ac inde oſtendit, gra-
42 ſeq. dus eſſe quantitates qualitatum. Laudibus quoque juſtiſſimis
evehit uſum hypotheſium, qui in omni eruditione regnat. Ad
applicandam de probabilibus doctrinam indigemus notitia ſci-
44 ſeq. entiæ ac diſciplinarum connexarum, ingenio, mora meditatio-
nis, defectu philavtiæ, accurata cauſarum cognitione, earum-
que conjunctione, experientia diuturna. Multi maximique
uſus forent conjecturæ clarorum virorum collectæ editæque.
Ita *Machiavellus* reformationem eccleſiaſticam prædixit per
conjecturas. Ita conjectamus, Reges Pontificios in dies ma-
gis magisque poteſtatem ſuam, rebus ſacris determinandis ha-
bi-

bilem, esse adhibituros: ita conjectamus, imperium Turcorum haud ita sublatum iri, ut id inter vicinos Dominos dividatur: ita conjectamus, Suecorum potentiam ab aliis restitutum iri ad Orientem: ita conjectamus, Germaniam tandem in tria vel quatuor regna dissolutum iri: ita conjectamus, Protestantium religioni imminere successu temporis exitium a Fanaticis, in gremio ipsorum enatis. Sed conjecturas damus. Si quis quæreret ex conjectore, an proxime instet magna Judæorum ad Christianam religionem deductio, is certe negando esset responsurus. Probabilitatis doctrinam usibus suis adhibiturus, ex inspectione rerum specialissimarum ac momentorum ipsorum sapiat, necessum est; multa enim per
sese sunt probabilia, quæ in casibus datis prorsus sunt improba- Pag. 64.
bilia. Argumenta, ab etymologia, parabola, & similitudinibus, desumta, nullum probabilitatis gradum continent. De
argumento ab analogia desumto aliter pronuntiandum, quod 68 seq.
ut a quodam debite exponatur, jure optamus. *Proverbium* definivit Autor per propositionem universalem, eamque moralem, nonnullis instantiis obnoxiam, plerumque figuratam. Latet in eo plerumque levis gradus probabilitatis. Conjecturam efficit multitudo plurium signorum, ad rem eandem concurrentium. Præsumtio consistit in proclivitate, ex signis vulgaribus dependentis, propositionis. Suspicio est judicium, deductum ex signis communibus, in deteriorem partem. In Deo
nulla est cognitio probabilis, sed in spiritibus finitis, ad quos 79.
Angeli etiam sunt referendi. Impedimenta probabilitatis re-
cte exercendæ sunt pigritia, a meditando revocans: ingenium, 84 seq.
judicio destitutum: probabilitatis nimia admiratio, ac scepticismus. *Determinatio graduum probabilitatis in notione* est æstimanda ex notis nonnullis, quibus subjectum agnosci potest,
& quæ illi applicari possunt. *Descriptio rerum* pertinet ad Lo- 104 seq.
gicam probabilium. Datur quoque definitio realis probabilis, quæ ex circumstantiis rei, sed consequentibus, non ex prædicatis rei insitis, formatur. Ad determinationem probabilitatis
graduum, in propositione obviorum, admodum est utilis ars 153 seq.
combinatoria & characteristica, inprimis vero curata exem-

plo-

plorum & observationum contemplatio. Numeros casuum a posteriori ita explorari posse, uti a priori, & ita gradum probabilitatis exacte determinari posse in quovis objecto, vel ma-
Pag. 164 xime contingenti & variabili, Autor per mathesin demonstrat
seq. abstractam. Ratiocinatio probabilis a certa, quantum ad formam attinet, haud differt. *Andreas Rüdigerus*, quem *Jo. Andreas Fabricius* sequitur, exposuit in *Sensu veri & falsi* probabilitatem historicam, medicam, hermenevticam, physicam, & moralem, per exempla probabilia. At scopo, & ex-
197. spectationi lectorum, nondum satisfecit; quis enim credet, in exemplis ejusmodi accuratam computandi gradus rationem
199 seq. consistere? De applicatione probabilitatis ad res historicas speciatim ac solide Autor disserit, ceteræ autem species probabilitatis ex generalibus ejus dogmatibus possunt facile derivari.
221. Historiam de *Joanna Papissa* Autor appellat *fabulam*, quæ originem debuerit turpi cuidam Pontificis Romani actioni &
238. libidini ejusdem. Scepticos suscepisse probabilitatem pro norma actionum, comprobat idem. *Sagacitatem* definit per vir-
241. tutem probabilia determinandi, ratus, eam, cum scientia conjunctam, complecti omnem eruditionem. Suffecerint hæc loco promulsidis, satis jam longa, sed, novo Opere ita suadente, expressa. Gratulamur Autori doctissimo de campo intentato alias, & aliorum pedibus calcato nondum, quem tam feliciter ingressus est ipse, & cursu illustri reddidit celebratiorem. Optamus cum & ipso, ut Cel. *Wolfius* Elementa Logices
94. probabilium elaboret, & in lucem proferat. Notamus aliquot nævos typographicos. *Pag. 48* pro *ingrediturum* est legendum *ingressurum*, *pag. 140* pro *molas* legendum est *moles*, *pag. 203 lin. 17* lege *testis habenda est ratio*, *pag. 122 lin. 17, 18*, lege, *nec exactitudo philosophi, nec politici prudentia*, *pag. 240 lin. 4* legendum est, *se a latrone*. Votis conceptis merito vovemus, ut singulis viginti annis existant ad minimum eruditi nonnulli, qui, exemplum Autoris Cl. imitati, complexum ac systema novæ veritatis cujusdam luci ac judicio eruditi orbis exponant. Quoties enim non legimus ac recensemus eadem!

A DIS-

A DISSERTATION UPON THE POWER OF the Church, &c.

h. e.

DISSERTATIO DE POTESTATE ECCLESIAſtica, mediam deligens viam inter eos, qui nimis eam extendunt, cum Papiſtis & Scotis Presbyterianis, ex una parte, atque inter Eraſtianos & ſectatores Hugonis Grotii, qui, ex altera parte, totam rejiciunt intrinſecam ſpiritualem autoritatem, qua Jeſus Chriſtus rectores Eccleſiæ ornavit; Autore P. M. Eccl. Scot. direptæ & gementis Presbytero.

Londini, apud G. Strahanum, 1733, 8 maj.

Plag. 14.

Controverſiæ, in ſacra Chriſti civitate agitatæ, teſtantur, utramque ſæpenumero partem in extrema cucurriſſe, & neutri faviſſe veritatem. Hæc in medio poſita fuit, ſed factiones inter ſe digladiantes oculos alio torſerunt, ut eam perſpicere ne valerent. Cui quidem rei indicio ſunt lites de divina gratia, liberoque hominis arbitrio, jam olim motæ, in quibus neque a *Pelagianis*, neque a *Manichæis*, veritas ſtetit. Atque hoc idem etiam in iis accidit controverſiis, quæ de ſuprema Eccleſiæ poteſtate in ſanctiorem Servatoris orbem introductæ ſunt. Antequam ſacra e tenebris in lucem vocarentur, Epiſcopi Romani omnem ſibi ſolis poteſtatem arrogarunt & vindicarunt in res ſacras & civiles. Hac vero alii poſtea de medio ſublata, omnem in univerſum autoritatem, cum civili quippe poteſtate haudquaquam conſiſtentem, rectoribus Eccleſiæ derogarunt. Utrimque peccatur, ſi *Patricium Middletonum* audias, ejus, quam indicavimus, ſcriptionis Autorem. Is mediam aliquam ſuadet viam, qua ſupremæ poteſtati civili, & iis etiam, qui rebus ſacris præſident, propria quædam jura tribuuntur, & illibata ſervantur. Hanc putat unicam, proximam, & quaſi compendiariam, viam eſſe, qua tot ferventes in Magna Britannia lites dirimi ac ſedari queant. Noſtrum haud eſt, eas hic recenſere controverſias, quæ inter Presbyterianos & Epiſcopales jam dudum exarſerunt, neque diſſi-

Præf. pag. 7 seq.

9 ſeq.

17 ſeq.

dissidentes commemorare opiniones, quas *Hugo Grotius* & *Thomas Erastus*, Medicus antehac Genevensis, sparsit, a cujus partibus stantes *Erastiani* dicuntur. Nomina hæc, & quid illa statuerint, eos haud prætereunt, qui jura Principum circa sacra a viris acutissimis recentiori ætate explanata haud segniter cognoverunt. His igitur missis, præcipua laudatæ Dissertationis momenta recitabimus, quæ tota meditate scienterque con-
Pag. 1. scripta est. Ne cui errori locus detur, ipsarum vocum præmittitur declaratio. *Potestas* est jus mandata dandi, quæ eorum devinciunt conscientiam, qui illi subjecti sunt. *Suprema potestas civilis* est suprema in quovis statu aut natione autoritas, quæ a Deo proxima est. *Independens potestas* ea dicitur, quæ in rebus, ad exercitium autoritatis suæ pertinentibus, alterius nullius subjecta est mandatis ac pœnæ. Tota
2. Diss. *decem* continet *Sectiones*. Ac *prima* quidem indicat *metho-*
3. *dum*. Initio anquiritur, quousque limites jurium supremæ civilis potestatis sint extendendi, ex his locis sacris, *Rom. XIII, 1, 5, Tit. III, 1, 1 Pet. II, 13 – 15*. Ex quibus concluditur, omnes personas, tam ecclesiasticas, quam civiles, ad obsequendum mandatis civilis potestatis, in rebus quidem legitimis, in conscientia sua devinctos esse. Quæ res legiti-
4 seq. mæ, ad quarum obsequium *patriæ* præstandum nullus non devinctus est subjectus, accurate hic enodantur, additis locis
7. aliis, *Actor. IV, 19, V, 29, Dan. III, 18*. In his nullam *indepen-*
8. *dentem* Ecclesiasticam locum habere potestatem, *Sectio altera* demonstrat, quanquam ecclesiastica quædam potestas, vere a Jesu Christo derivata, hoc est, ad legitimam verbi divini prædicationem, & genuinam Sacramentorum administrationem, pertinens, cum civili illa suprema optime consistat.
16 seq. Quæ sententia adversus dubitationes varias munitur, insimul-
23 seq. que Canones Ecclesiæ Anglicanæ, illuc pertinentes, & recitan-
25. tur, & *Sectione tertia* sapienter explicantur. His explanatis, argumenta expendenda sumuntur, quæ ad *independentem* ec-
50. clesiasticam potestatem corroborandam adduci solent. Horum *primum* examinat *Sectio quarta*, a prima Christi institutione ductum, *Jo. XX, 21, 23, 1 Cor. IV, 1*. Respondetur hic, conceden-
58. do, spiritualem Ecclesiæ potestatem a Christo coortam esse, sed

ſed inde negatur ſequi, hanc in exercitio ſuo a ſtatu civili haud pendere. *Alterum* argumentum, a civili magiſtratu, divinarum doctrinarum violatore, ductum, proponitur & convellitur, hacque oblata occaſione, intricati quidam nodi explicantur. Cum vero in hac lite dirimenda illuſtris Autor ſimilitudine, a *paterna autoritate* ducta, ſæpe uſus ſit; *Sectione quinta* occurrit abuſui, qui exoriri poſſit, ſi quis illam latius, quam ipſe velit, extendat. Argumentum *tertium*, quo *independentem* aliquam Eccleſiæ poteſtatem vindicaturi utuntur, ab ejus jure in Eccleſiam intromittendi, & excludendi, quemcunque velit, petitum eſt, idemque *Sectio ſexta* recitat & infirmat. *Quartum* a praxi Apoſtolica & primorum civitatis ſacræ temporum arceſſitur, in quibus hanc *ſui juris* fuiſſe, ſunt, qui affirmant, coll. *Actor. IV, 19.* Hoc autem remoto, *quintum* conſequitur, quod a communi animorum cura, iis, qui ſacris officiis admoti ſunt, demandata, petunt aliqui, ad eam Principes quoque Chriſtianos in univerſum omnes pertinere, contendentes. Sed reſponſio ſtatim adjicitur, qua planum fit, in ſacri ordinis viros id tantummodo cadere, ut dominis in ſummo rerum faſtigio collocatis conſilia, ipſorum animis ſalutaria, præſcribant; quemadmodum eos, quibus corporis ſui curam mandarunt, deceat, regulas, quibus ſanitas conſervetur aut recuperetur, iisdem dare. Ita vero omne removetur imperium & coactio. *Sextum* argumentum ita contexitur: Servator, ſalutis hominum cauſa, rectores Eccleſiæ ſpirituali inſtruxit autoritate; ab hac vero ſi eximantur Principes, eorum conditio multo erit pejor, quam quorumvis infimorum. Sed facile & accurate ad hoc reſpondetur dubium, & fixum denuo eſſe jubetur, ſuprema in civitate poteſtate nullam in his terris, nec civilem nec Eccleſiaſticam, ſuperiorem eſſe. Quo loco brevis, ſed elegans & lectu digna, inſtituitur digreſſio, in qua eximia enarrantur beneficia, quæ a divina intrinſecæ cujusdam ſpiritualis autoritatis, ſacri ordinis hominibus conceſſæ, inſtitutione in civiles poteſtates proficiſcuntur. *Sectione ſeptima* ad id reſpondetur, quod S. *Ambroſium* inter & *Theodoſium M.* olim geſtum eſt, quoque inprimis nituntur,

Pag. 75. 77. 80. 87. 92. 96. 97. 103. 108. 113. 118.

 qui

qui ſupremæ eccleſiaſticæ poteſtati favent & patrocinantur.
Pag. 124. Severa hic diſciplina, quam Epiſcopus Mediolanenſis exer-
cuit, regulæ cujusdam loco & numero haud eſt habenda, ſed
ad infirmitates pertinet, quæ a ſanctis etiam hominibus non
ſunt alienæ. Quid? quod ipſe faſſus eſt Reverendus Præſul in *E-*
126. *piſt. ad Theodoſ. XXVIII pag. 154 & 155 edit. Pariſ. de A. 1549*,
ſingulari & extraordinario quodam Dei inſtinctu ad tale ſe fa-
130. cinus excitatum eſſe, & ſoli hoc Imperatori in aurem dicit:
quod ſolus legas. Eidem etiam obſequium ſuum his infimis
teſtatur verbis: ***Nonne me delectaret, habere gratiam Impera-***
toris, ſi cauſa pateretur? – Si non credis, ignoſce, quod facio,
154. ***in quo Deum præfero. Sectio octava*** ei ſatisfacit dubitationi,
quam a ***communicatione majore*** *ſupremarum civilium pote-*
164. *ſtatum*, in prima Eccleſia facta, petunt nonnulli. ***Sectio nona***
allocutionem ***Conſtantini M.*** ad Epiſcopos *Concilio* in Nicæ-
no congregatos, quam ***Rufinus*** in *Hiſtor. Eccl. Lib. I Cap. 2*
memoriæ prodidit, ſub judicium vocat, & fidei ***Rufini*** hiſto-
174. ricæ non multum attribuit. Offertur hic occaſio, invidioſum
aliquod conſectarium ex ſuprema Eccleſiæ poteſtate, quæ a
civili alia non pendeat, ducendi: in Chriſti civitate, nulla
non perſona, nulla non cauſa, & ſpiritualis eſt, & tempo-
ralis. Adulterium, cædes, rebellio, ſacrilegium, blaſphemia,
perjurium, & alia, civiles ſunt cauſæ pariter & eccleſiaſticæ.
Quodſi igitur intrinſeca ſpiritualis poteſtas in exercitio ſuo
a nulla pendet alia civili: conſequens eſt, ut unusquisque E-
piſcopus in ſua Diœceſi civile, quod Reges orbis, exercere poſ-
177. ſit ac debeat imperium. ***Sectio decima***, eaque poſtrema, no-
vam tollit difficultatem ex loco *1 Petr. II, 13, 14*, illuſtri Autori
a quodam Amico objectam, ac ſi inferiores orbium rectores
peræque, ut Supremi Principes, ab eccleſiaſtica exemti eſſent
autoritate. Id quod, rationibus nominatim deſignatis, ne-
gatur. Ex his perſpicuum eſt principiis, Rev. ***Middletonum***
Chriſtiano Principi ſupremam, & a nemine, niſi a ſolo Deo,
pendentem, civilem, iis vero, qui ſacris præſunt rebus, in-
trinſecam ſpiritualem, ſed in exercitio & adminiſtratione ſua
illi ſubjectam, vindicare poteſtatem.

RE-

REFLEXIONS CRITIQUES, &c.
h. e.
*OBSERVATIONES CRITICÆ DE ELEgia, Autore M***.*

Divione, apud A. J. B. Auge, 1734, 8.
Plag. 13½.

Prodierunt A. 1731 Parisiis Elegi *L**** cum Commentatione de hoc Poematum genere, magno plausu excepti. In utrisque multa reperit Autor noster, qui se in Dedicatione *Michaultium* subscribit, animadversione digna. Quapropter ea hic sub examen revocat, & in singulis fere capitibus ita procedit, ut primum sententiam suam proponat, confirmetque, deinde ad illam civis sui Commentationem & Elegos exigat. *Primo* igitur *Capite* originem & naturam Elegiæ enucleat, &, initio hanc querimoniis ac planctibus maxime lugubribus destinatam fuisse, postea vero ad alia etiam argumenta translatam esse, minime vero solis amantium querelis & suspiriis inservire, ostendit. *Capite II* attributa Elegiæ sive dotes & ornamenta enumerat, docetque, ubique hic mediam tenendam esse viam, atque ita scribendam Elegiam, ut dictionis genus dolori & tristitiæ optime conveniat; facilem scilicet eam & teneram, sine multa arte, & cura exquisitiori, compositam, naturali tamen venustate & elegantia quadam præditam, ubique æqualem & sui similem tersamque & commoventem esse debere, pomposum autem, gravem, & austerum characterem, qui Tragicos deceat, merito ex illa exulare. *Cap. III*, characterem heroicum & grandem in Elegia neutiquam habere locum, *Cap. IV*, non esse Elegiam quandam dramaticam, *Cap. V*, non eidem congruere furorem tragicum, propugnat. *Cap. VI* de hominibus disquirit, quorum querelæ in Elegia audiri debeant. Omnes illos, quicunque Elegos fundunt, miseros quidem esse oportet, ita tamen miseros, ut reliqua ipsorum indoles mediocritati Elegiæ respondeat. Hinc excluduntur miseri homines superbi & elati animi, ut athei, & dissolutæ

vitæ homines, item fœminæ desperabundæ, minas diras que spargentes, homines futiles, hypocritæ, homines grandes, magnifici, graves, austeri, ut Rex, Heros, Philosophus, porro senes, importuni censores, item qui jocis risuique indulgent, homines, quibus calamitates admodum graves & extraordinariæ obtigerunt, ut luctus magnitudinem Elegiæ mediocritas non capiat, homines Deo consecrati, &c. *Cap. VII*, non magis conveniens esse, ut viri in Elegis planctus fundant, quam fœminæ, declarat. *Cap. VIII* modum querendi & plangendi definit. Eo nimirum respiciendum est, ut omnia naturali ratione se habeant, nec Elegi artis decoribus & ornamentis longius quæsitis præter modum abutantur, quoniam in dolore ingenium consulere non licet, & artem consectari. Quæ tamen artes, fictiones, & figuræ, etiam in Elegis locum habeant, simul indicat. *Cap. IX* judicium fert de Poetis apud Græcos atque Latinos Elegiacis, quorum virtutes nævosque libere exponit. Inter tres illos, qui ex Romanis maxime inclaruerunt, Elegiarum scriptores, *Ovidium*, *Propertium*, & *Tibullum*, postremo huic palmam non obscure tribuit. *Cap. X* de Elegia Francica antiquorum Poetarum differit, in quo eadem libertate de priscis Elegiarum conditoribus inde a Poetis provincialibus judicium expromit. *Cap. XI* ad præsentem Elegiæ Francicæ conditionem progreditur, præcipuum ejus cultum temporibus *Ludovici Magni* adscribit, ad quem *Voiturius*, *Sarasinus*, & *Bensardius*, multum contulerunt. Ad quod hodie fastigium fuerit evecta, belle commonstrat. *Cap. XII* argumenta propria Elegiæ Francicæ excutit. Tractat ea nunc res tristiores cujuscunque generis, nunc etiam jucundiores. Quammaxime in rebus amatoriis usurpatur, quando planctus eorum, qui infeliciter amant, recipit atque refert. Sed &, qui felicius amant, eadem utuntur. Habent enim semper in optimo amoris successu, quod querantur. Præterea variis quoque aliis objectis inservit. *Cap. XIII* disceptat, quodnam Carminum genus conveniat Elegiæ Francicæ. Varia huc usque eorum genera fuerunt adhibita, maxime tamen versus Alexandrini. *Cap. XIV* vitia Elegiæ notat. Sub Elegiarum nomine sæpius veniunt Eclogæ & Idyllia

Idyllia vera, Satyræ, imo & tragicum carmen. Sæpius etiam ea argumenta tractantur, quæ Elegis minime conveniunt. In ipsis Elegis sublimius aliquando fertur Poeta, & mediocritatem negligit, vel inæquali admodum dicendi genere delectatur. *Cap. XV* Elegiæ sacræ destinat. Ut religio & Scriptura sacra materiem omnibus Carminum generibus venustissime componendis suggerit, ita & Elegos sacros conscribere foret facillimum, quibus omnes illæ inessent deliciæ, propter quas Elegiæ profanæ commendari solent. Quanto foret satius, per eas animum, amore divino concitatum, desideria sua explicare, quam suavi amoris Venerisque cantu corruptissimi seculi mores ali magis & confirmari. In sacris literis exstant exempli loco questus *Davidis* in *Saulem* & *Jonathanem*, itemque threni *Jeremiæ*. Verum in Poetis etiam Francicis Elegiæ sacræ identidem occurrunt. *Cap. XVI* docet, non absonum esse, ut Elegia quoque in prosa oratione componatur. *Capite* denique *XVII* de virtutibus & indole Poetæ Elegiaci tradit, in quo judicium acre, gustum delicatum, animum tenerum, ingenium facile, acutum, & penetrans, imaginationem fœcundam, sed suis regulis coercitam, voluntatem probam, moresque honestos, requirit. Ipse vero Autor toto hoc libello satis manifestum reddidit, quam acuta, & ad veterum Græcorum Romanorumque præceptiones & exempla exacta, de rebus poeticis judicandi facultate excellat, ut, illis, qui in artem poeticam cum judicio excolendam incumbunt, gratissimam fore hanc opellam, nulli dubitemus.

NOVA LITERARIA.

Novam Annalium *Baronii* Ecclesiasticorum, horumque Continuationis *Raynaldinæ*, criticique in eosdem Commentarii *Pagiani*, editionem jam parat haud obscuri nominis Typographus Lucensis, *Leonardus Venturini*, eorum unus, qui selectis & bonæ frugis Operibus ditare rem librariam, & nobilitare officinam suam, student. Cujus instituti, laude publica dignissimi, rationem non aliunde melius cognosces, quam ex publicis hujus *Venturini* literis, ad Eruditos datis, quas, utpote

pote breviores, remque omnem plenius edisserentes, hic cum Lectore integras communicamus:

Annales Ecclesiastici Cæsaris *S. R. E. Cardinalis* Baronii, *una cum Critice historico-chronologica* Antonii Pagii, *singulis quibusque Annalium paginis subjecta, nec non cum Continuatione* Odorici Raynaldi, *mea tandem prela subierunt. Ad Vallicellanam editio conformatur, additionibus tamen in sedes suas relatis, diversoque charactere distinctis verbis Autorum, qui a* Baronio *afferuntur. Critice* Pagii *illustratur identidem, castigatur, Animadversionibusque ab eruditissimis Viris augetur. Collecta sunt monumenta quamplurima, & horum pleraque inedita, quæ ad ipsius* Pagii *Consulares Fastos emendandos & illustrandos, ad castigatissimam lectionem monumentorum, quæ sunt in Annalibus edita, & ad Chronologiam inferioris ævi, maxime conferunt. Totum Opus viginti sex Voluminum molem forsan excedet, ob ingentem Animadversionum copiam in* Baronium, Pagium, & Raynaldum. *Pro unoquoque eorum, in charta majori, prænumerandi erunt Julii decem & octo; in charta vero minori Julii sedecim monetæ Romanæ. Tum chartæ, tum characterum, specimina separatim exhibui. Singulis trimestribus* Volumen *unum prodibit, in quo fidem meam obstringo; sperare tamen eruditos jubeo, fore, ut intra quinque annorum spatium perfectum Opus emittatur in lucem. Cum superioris anni mense Majo meis prelis consignassem Annales Benedictinos* P. Mabillonii, *mihique exploratum non esset, quo certo tempore singula possent prodire* Volumina, *ob ingentem Tabularum æncarum copiam, nolui prænumeratam eruditorum pecuniam recipere: universum Opus meis sumtibus e prelo exiit, atque in lucem proferam, statim ac Tabularum elegans absoluta erit incisio. Unum id erit e multis, quæ dedi, sinceritatis meæ argumentum. Boni igitur consulite hac Historiæ Ecclesiasticæ amatores, meque juvate subscribendo accuratæ editioni, quæ sola vobis universam, integram, atque ab erroribus expurgatam, Historiam Ecclesiasticam exhibebit. Scripsi Lucæ Cal. Julii A. 1737.*

Tomi II Supplementorum ad Nova Acta nostra haud ita pridem *Sectiones IX, X, XI, & XII*, prodiere.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXXXVII.

AUGUSTA QUINQUE CAROLORUM HIstoria, Auguſtiſſimo, Invictiſſimo, Maximo Imperatori CAROLO VI humillime conſecrata a Rev. & Illuſtriſſimo D. L. B. ADAMO PATACHICH A ZAJEZDA, Croata Caroloſtadienſi, Collegii Croatici Alumno, AA. LL. & Philoſophiæ Magiſtro, dum ſub Auguſtiſſimis ejusdem auſpiciis Poſitiones ex univerſa Philoſophia in antiquiſſima & celeberrima Univerſitate Viennenſi publice defenderet, ex prælectionibus R. P. FRANCISCI DOLFIN, e S. J. AA. LL. & Philoſ. Doctoris, ejusdemque Profeſſoris emeriti, ac p. t. Senioris, & Conſiſtorialis.

Viennæ Auſtriæ, typis Mariæ Thereſiæ Voigtiæ, Viduæ, Univerſitatis typographæ, 1735, fol.

Alph. 4 plag. 20, cum Tabb. æn. 9.

Salutare ſemper & auſpicatiſſimum Imperio Romano *Carolorum* nomen fuit. Hi enim, quicquid ad augendam a bono Principe rempublicam agi ſuſcipive poteſt, ſedulo ſibi habuerunt commendatiſſimum. Non bella ſolum & artium militarium periti ab illis præſidii fructum ceperunt, ſed pacis quoque ſtudia ipſorum ſuffulta favore floruerunt. Bene igitur de literata civitate, bene de Germania, mereri illos arbitramur, qui vitas tam caras patriæ ex dignis fide monumentis repe-

repetunt, suisque lucubrationibus illustrant. Suscepit idem haud ita pridem negotium Ill. *Adamus Patachich a Zajezda*, edita, quam nunc manibus tenemus, *Augusta quinque Carolorum Historia*, quam *sexto*, prioribus pari certe, ne dicamus superiori, demississime consecravit. Choream *Carolus* ducit *Magnus*. Sequuntur ordine Chronologico *Calvus*, *Crassus*, *Quartus*, *Quintus*, qui quanta in Germaniam nostram bona contulerint, nemo est, qui ignoret. His ergo operas locavit suas Ill. Baro. Difficilem laborem aggreditur, qui vitas Heroum scribit. Sed tam bene cessit Generosiss. Autori institutum suum, ut locum merito inter præstantissimos ævi nostri Historicos sibi vindicet. Perplacet inprimis ordo, quo in tradenda usus est historia. Singuli libri gesta *privata*, *togata*, *bellica*, & *religiosa*, Principis proferunt. Initium facit brevis & connexa historiæ descriptio. Sequuntur *Corollaria*, quibus historiam persequitur amplius, res, ad ipsum historiæ filum, ipsamque adeo essentiam, non pertinentes, tractat, ad fontes tandem & monumenta potissima ablegat lectorem. Finem tractationis faciunt *Quæsita*, in quibus, si quid dubium adhuc aut ab aliis impugnatum sit, secundum probabilitatis regulas accurate enucleatur & expenditur.
Lib. I P. I Cap. 1. *Carolum*, quem virtutes fecere *Magnum*, primo in scenam producit loco. Privatam principio togatamque recensiturus vitam, natum a *Pipino Nano* ex conjuge *Bertrada* A. 742 d. 2 Aprilis *Carolum* memorat, uxores ipsius recenset, mortis diem 28 Januar. A. 814 indicat, singula vario eruditionis apparatu illustrat.
3. Operam dat inprimis, ut natas de stemmate *Caroli* & natali die lites ex Tabula genealogica & *Glossario Sec. IX* veteri apud *Mabillonium Supplem. Op. Dipl. Cap. 9 §. 1* tollat penitus atque dirimat.
Cap. II. Coroll. 1 seq. Binas exhibet *Caroli*, mentis videlicet & corporis, imagines. Hanc, rejecta eorum, qui immensam proceritatem infirmo fundamento defendunt, sententia, ex *Puricello* repetit. Illam, ipsa suadente differendi arte, ita concinnat, ut dotes *Caroli* commemoret, deliciarum omnis generis odium, misericordiam in egenos, linguarum peritiam, carminis pangendi studium, notitiam siderum, in Historia non legenda solum, sed etiam scribenda, robur, leges feren-

ferendi prudentiam, moderationem in subditos, in eruditos amorem, quo non solum illustriora istius ævi lumina, *Paulum Diaconum, Alcuinum, Paulinum, Angilbertum, Adelbardum, Ludgerum, Theodulphum, Riculphum, Walam, Agilramnum, Eginbardtum*, benigne fovit, sed etiam scholas bono publico aperuit, earumque conditionem sæpius indagare jussit. Difficile est probari omnibus. Præclaras vero magnasque *Caroli M.* virtutes omnes laudant tam ordines Imperii, quos ad consilium capiendum sæpius convocavit, quam ecclesiæ, quarum jurisdictionem, si quis alius, auxit insigniter & amplificavit. I- Coroll. 37.
pse imperium rexit amplissimum, cujus limites Galliam, Germaniam, Italiam, partem Hispaniæ, utramque Pannoniam, Istriam, Liburniam, Dalmatiam, Slavicasque ad Vistulam usque gentes, complectebantur. Germaniæ Ducatus in pagos, *Gau* dictos, mutavit, singulisque ad jus dicendum Comites præfecit, retento in sola Italia Ducum nomine. Senex factus, mortisque imbutus cogitatione, bina testamenta condidit. A. 806 in 39.
conventu Principum ad viam *Theodonis* de divisione regnorum in filios disposuit, servandamque mutuo amicitiam ipsis imperavit, A. 811 vero bona, quæ mobilia vocant, pecuniam, libros, vasa, aliaque id genus, assignavit hæredibus. Animam 43 seq.
inter evidentia Christianæ pietatis signa efflavit, sepultusque est eodem die ad vesperam, repositus in tumba, quæ raptum *Proserpinæ* delineatum exhibebat, & ex monumento *Augusti Cæsaris* translata *Turckio* videtur. Detexit præter *Ottonem II* se- 46.
pulchrum *Fridericus I*, cujus hanc in rem Diploma ineditum, A. 1166 d. 6 Id. Januar. datum, Generosiss. Autor affert. To- Cap. I & IV.
gata expositurus negotia, coronationem Noviomagensem, A. 768 d. 9 Octobr. solenni peractam ritu, primo loco commemorat; dein in variarum provinciarum Germanicarum conditionem inquirit. Saxones libertate donatos affirmat, ea tamen, quæ non servituti & subjectioni, sed arctiori cum Francis conjunctioni, quam voce castis dictionis Romanæ scriptoribus ignota & vere barbara *incorporationem* nostrates dicunt, opponitur. Bavariæ, Sueviæ, & Franconiæ, immediatum cum imperio nexum vindicat. Archiofficiales aulæ *Carolinæ* quatuor

tuor, Archicapellanum, Archicancellarium, Senefchalcum, & Buticularium, fcriptorum fide digniorum autoritate probat. Patriciatum Romanum, quem a Patriciatu S. *Petri*, ad Exarchatum pertinente, cum cura diftingui vult, defenfionem ecclefiæ injunxiffe *Carolo*, fimulque jus eligendi Pontificem, jurisdictionem in urbe, aliquot, paucos quanquam, proventus attuliffe docet. Imperatoriam dignitatem, quam non Galliæ, fed Germaniæ, acceffiffe, ob Germanum *Caroli* ortum, & novam *Ottonis I* vindicationem, contendit, non pactis Byzantinis, non confenfui gentis Romanæ, fed folius autoritati Pontificis,

Part. II. tribuit, feudi tamen & beneficii nexum non agnofcit. Togam fago commutans, novem potiffima *Caroli M.* bella recenfet, Aquitanicum, cum *Weyfario* Duce, Langobardicum, hortatu Pontificis geftum, Saxonicum, ob negatam annuam penfionem inchoatum, Hifpanicum, a Saracenis contra *Abderamanum* petitum, Boicum, in *Taffilonem*, Ducem perjurum, Hunnicum, Slavicum, cum Wilziis & *Draofcione* regulo, Bohemicum, contra *Lechum*, Jutium, contra *Godofridum*, Jutiæ Re-

III. gem. Gefta *Caroli* religiofa conficiunt pietatis laudes, quod Holfatos, Ditmarfos, Vandalos, Suecos, Frifios, Vinidos, Obotritas, Hunnosque, ad fanctam Chriftianorum communionem reduxerit, quod octo Epifcopatuum majorum, videlicet Ofnabrugenfis, Selingftadienfis, cui nunc ab Halberftadio nomen eft, Bremenfis, Verdenfis, Mindenfis, Mimigarvordenfis, Paderbornenfis, Alicenfis, feu Hildefienfis, Hochbuchenfis, feu Hamburgenfis, & Schilderenfis, jecerit fundamenta, quod VIII Concilia convocarit, quod hoftes ecclefiæ domuerit, quod *Auguftini* de C. D. libros cum cura perlegerit, quod in ultimo vitæ articulo, fumta εὐχαριστίας, & oleo fancto perunctus, animam in manus Sofpitatoris tradiderit, quod in vicarios Chrifti fuerit indulgentiffimus, quod liberalem fe Divorum cultorem præftiterit, quod Patricius factus Sanctorum bafilicas inviferit, poftesque ibi & gradus ofculatus fit, quod fe in fignum amicitiæ, fœderis, obfequii, & defenfionis, Pontifici adoptandum tradiderit, quod Canonum Codicem, *Hadriani* acceptum beneficio, quem cum Capitul. *Hadriani* confudit *Schatenius* in *Car. M.*

M. II, 14, magni muneris inſtar habuerit, ſuſceperitque augendum, quod collegerit Paparum ad Franciæ Reges Epiſtolas, quod electionem Epiſcoporum fecerit liberam, quod primas in Gallia decimas colligi permiſerit, quod S. *Petro* donarit Saxoniam, quod *Felicis*, Urgelitani Epiſcopi, hæreſin ſuffocarit, quod Symbolum Conſtantinopolitanum in Gallias Roma attulerit, quod organorum uſum, quorum inventio *Theophilo* Cæſari, *Michaelis Balbi* filio, debetur, in eccleſiam occidentalem invexerit. Juſta hinc Pontifex dedit pietati præmia, *Caroli* nomen in albo Sanctorum ſcribens, cujus & aliquot miracula MStum *Corſendoneanum* recenſet. Plura in præſenti conſulto omittimus. In aprico eſt, quam præclare ſatisfaciat Hiſtorici officio Generoſiſſ. Baro, dum & perſpicuo ſcribendi genere recenſet omnia, & nihil habet antiquius, quam ut ex hiſtoriis fabulas ejiciat, ornamenta eorum, qui ſine delectu & judicio, vetularum in morem, rerum geſtarum ſeriem ſcrutantur. Miramur indefeſſam, quam ad coronidem usque Operis Autor adhibuit, induſtriam. Inter tot vero tantaque, quibus præ ceteris hoc Opus ſeſe commendat, ornamenta dignæ inprimis commemoratione ſunt *notæ diplomaticæ*, quas cuique inſperſit Libro, quasque nos, tanquam ſpecimen utiliſſimum, cum Lectore ſumus communicaturi. Equidem aſſerere nolimus, multa poſt *Mabillonium* & Abbatem Gottwicenſem in hoc deprehendi Opere; at, ſi non rerum copia, ordine tamen & perſpicuitate, magna hæc & ipſis verenda Muſis nomina Ill. Baro ſuperavit. Deſiderabunt, qui vetus Diplomaticorum carmen mandarunt memoriæ, diviſionem notarum Diplomatis genuini in *internas* & *externas*. Nos vero Cl. Autoris laudamus inſtitutum, qui diviſionem penitus obſcuram & inadæquatam maluit omittere, quam incerta, & lubrico innixa fundamento, proferre. Septem Capitibus omnem abſolvit tractationem. Contemplatur 1) characterem & ſtylum, 2) nominis invocationem divini, 3) inſcriptionem, 4) ſubſcriptionem, 5) notas chronicas, 6) monogramma, 7) ſigillum. *Character* in Diplomatibus *Caroli M.* plane ab antiquiori Francico differt, & literas habet longiuſculas, quas poſt ipſum *Ludovicus Pius* & ſucceſſores Carolingi cum cura ſervarunt. Qui ſtili nitorem deſiderant, male

Lib. I P. I Cap. 5. Lib. II, III, IV, P. I Cap. 6.

collocabunt tempus, si veteres medii ævi chartas scrutabuntur. His enim, ut tunc Cimmeriæ erant tenebræ, non tantum omnes dictionis Romanæ desunt veneres, sed peculiares, barbaræ satis, immixtæ deprehenduntur voces, quas, si quis alius, studiose *Jo. Petrus Ludewigius*, Fridericianæ lumen Academiæ, collegit. Præcipuam inter *Carolorum* chartas laudem Diplomata merentur *Caroli V*, quæ, sicut post renatas in Germania literas scripta, ita priorum barbariem temporum maximam deposuerant partem. *Invocatio divini nominis* non eadem semper fuit. *Carolus M.* cum Rex Francis & Langobardis imperaret, eam ubivis fere, si *Baluzianam* chartam excipias, omisit, Imperator autem aut nunquam, aut rarius, neglexit. En formulam: *In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Quo nixus fundamento *Doubletianam* chartam, quæ inchoat: *In nomine Dei summi*, supposititiis accensere nullus dubitat cum *Mabillonio* Ill. Baro. *Carolo Calvo* scribere solenne fuit: *In nomine sanctæ (summæ) & individuæ trinitatis.* Quapropter *Mabillonius* de *R. D. Lib. II Cap. 3 §. 14* binas chartas, *Magno* vulgo tributas *Carolo*, *Calvo* vindicat. *Calvi* formulam *Crassus* plerumque servat, nec facile variat, excepta charta, quam *Martene* in *Thes. Anecdot. Tom. I pag. 49* produxit e tabulariis. *Carolus IV & V* ubivis fere invocationem omiserunt. Pauca enim sunt prioris apud *Balbinum* Diplomata, quæ formulam *Calvi Crassique* retinent, adjectis in fine verbis: *Feliciter Amen.* *Inscriptionem* pro diversa temporum ratione diversam fuisse, ipsa res loquitur. *Carolus M.* ter mutavit formulam. Post patris enim obitum, cum ad imperium accederet, *Carolus, Dei gratia Rex Francorum, vir inluster*; Langobardos cum subjugasset, *Carolus D. G. Rex Francorum, & Langobardorum, & Patricius Romanus*, tandem, cum ad imperii augustum evectus fuisset solium, *Carolus Serenissimus Augustus, a Deo coronatus, magnus & pacificus Imperator, Romanorum gubernans imperium: qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Langobardorum ac Patricius Romanus*, scripsit. *Calvi* Diplomata binam experta sunt variationem. Regia inscriptio fuit altera: *Carolus gratia Dei (divina propitiante clemen-*

mentia, ordinatione divinæ providentiæ) Rex; altera imperialis: *Carolus misericordia Dei Imperator augustus. Crassus* titulos saltem, non formulam, mutavit. Perpetuo enim in ipsius chartis legitur: *Carolus divina favente clementia Rex;* sed post obitum *Carolomanni* fratris, ut *Labbæus* observat, *Rex Francorum & Langobardorum;* tandem *Imperator Augustus. Carolus IV,* cum unicum adhuc Moraviæ Ducatum sibi haberet subjectum, scribit: *Nos Carolus, Domini Regis Bohemiæ primogenitus, Marchio Moraviæ, recognoscimus, & ad universorum notitiam volumus pervenire.* Postquam vero Rex Romanorum, & interjecto tempore Imperator, a Principibus Germaniæ esset electus, sequentem adhibuit formulam: *Carolus D. G. Romanorum Rex (divina favente clementia Romanorum Imperator) semper Augustus & Boemiæ Rex, in perpetuam rei memoriam. Carolus V,* post avi in Hispania obitum cum matre *Joanna* regio ornatus diademate, matris nomen in Diplomatibus suo præfigi curavit: *Nos Joanna & Carolus, ejus filius primogenitus.* Imperator vero constitutus, in Italia & Germania solus suo imperavit nomine. Totum ipsius titulum Ill. Baro recenset, quem, cum prolixior sit, his immiscere excerptis nolumus. Ad *subscriptionem* potius transimus, quo nomine ultimam Diplomatis compellat lineam, quæ loci, manus propriæ, & sigilli, seu, ut barbara istius ævi dictione utamur, *subterfirmationis manu propria* factæ & *subtersigillationis* mentionem facit. Formula ubivis fere eadem, nisi quod *Caroli M.* Diplomata sigillum & bullam ignorant, solum commemorantes annulum. Peculiaris subscriptio est in privilegio *Caroli M.* ecclesiæ Abbatique S. *Germani* dato: *Actum Haristalio in palatio, reintegratum vero Parrhisiis.* Equidem comma posterius litura penitus dignum visum est *Mabillonio* [*de re dipl. II, 3, 9,* sed Ill. Baro, Continuatore *Aimoini Lib. V. Cap. 1* motus, firmiter sibi persuadet, datum hoc in *Heristallio* primum a *Pipino* privilegium, a *Carolo* autem in urbe Parisiensi esse renovatum. *Epocharum* seu *notarum chronicarum* eo magis necessaria est noti-

notitia, rectaque positio, quo frequentior usus in chartis veterum. Præclaram hac in re nec pœnitendam Ill. Baro collocavit industriam, nullamque opinionem solidioribus destitutam argumentis fecit suam. *Carolus M.* primum regnorum annos memorat, Francici ab A. 768 d. 9 Octobr. & Langobardici ab A. 774 mense Dec. post imperii Romani ab A. 800 d. 25 Dec. quas tamen epochas in unam contractas deprehendes in Diplomate apud *Goldastum rer. Alam. Tom. III pag. 59.* Ab hoc ipso autem suscepti Imperii Romani tempore duæ aliæ pendent epochæ, *indictionis* puta & *Consulatus*, ut est in novis Langobardorum legibus apud *Baluzium. Carolus Calvus* consuetis equidem incarnationis D. N. J. C. regnorum in Francia & Langobardia, Imperiique Romani, item Indictionis pontificiæ & Consulatus utitur epochis, sed alias etiam, easque prorsus singulares, ne dicamus indignas Cæsare, haud raro adjicit. Quis enim putaret, Imperatorem Romanum dies post mortem *Hilduini* Abbatis numeraturum? At ejus rei exemplum ex *Ghinsnensi Historia Mabillonius de R. D. II, 26, 16,* adduxit. Quis in chartis *Calvi* annos Principum Comitumque Italorum quæreret? At eo calculo nihil frequentius. Parcum magis in chronicis notis se exhibuit *Carolus*, cui a pinguedine corporis *Crassi* agnomen hæsit. Ille enim, præter Imperii Romani regnorumque epochas, nil nisi pium addit suspirium: *In Dei nomine feliciter Amen. Bene vale. Carolus IV*, præter annos regnorum ab A. 1346 d. 10 Julii currentes, & Imperii, a coronatione Romana, A. 1355 d. 5 April. peracta, inchoantes, unicam Indictionem, eamque Cæsaream, seu Constantinopolitanam, memorat. *Carolus V* tandem regnorum annos a morte avi *Ferdinandi*, i. e. ab A. 1516 d. 19 Januar. ducit, imperiique auspicia A. 1519 d. 28 Junii tribuit: Indictionis computationem adhibet sæpe, sæpe etiam omittit. Ornatur Diplomatum finis *monogrammate*, cujus natales ævo *Caroli M.* tribuit Ill. Baro, nec tamen ideo sententiam amplectitur *Mabillonii*, qui ex imperitia *Caroli* in scribendo hanc derivat inventionem. Usus est in signo suo forma crucis *Carolus*

rolus M., quem *Calvus* plerumque, non ſemper tamen, ſecutus eſt. Inveniuntur enim aliquot ejus monogrammata, in latum porrecta magis, inter quæ unum inprimis eminet in charta fundationis Cœnobii Compendienſis, cinnabari ſeu minio in morem Grajorum Imperatorum depictum. Crucis figuram ſervavit *Carolus Craſſus*, inque monogrammatis ſui medio lineam ſeu literam vulgo *Lonſange* dictam ipſe ſua delineavit manu. Summæ artis laborisque ingentis documentum *Caroli IV* præbet monogramma, quod ſi ubivis ipſe pinxiſſet Imperator, neſcio, an multum temporis ad procuranda imperii negotia fuiſſet reliquum. Ipſi igitur Imperatores de monogrammate omittendo videntur laboraſſe. Hinc poſt hæc ipſa *Caroli IV* tempora aut nulla aut rariora in chartis monogrammatum exſtant veſtigia. Certe *Caroli V* ævo nihil tale amplius in uſu fuit. Ipſe in Diplomatibus ad Imperium ſpectantibus nomen *Caroli*, in Hiſpanicis *Yo* & *Rey* nude ſubſcripſit. *Sigillorum*, non eſt, cur prolixam deſcriptionem exhibeamus. Picta ſi quis illa videre cupiat, aut *Mabillonii* adeat æternum Opus, aut æneas ſaltem Ill. Baronis tabulas intueatur. Nos vero Reipublicæ literariæ hoc tam egregium Opus impenſe gratulamur, firmamque ſpem concipimus, fore, ut ſummo hiſtoriam & literas juvet opere, qui primum eruditionis ſpecimen, tanta refertum doctrina, tantoque elaboratum judicio, dedit.

PETRI BURMANNI VECTIGALIA Populi Romani, & Ζεὺς καταιβάτης, ſive Jupiter fulgerator, in Cyrrheſtarum nummis, curis ſecundis illuſtrata.

Leidae, apud Conrad. & Georg. Wishoff, 1734. 4.
Alph. 2 plag. 4.

Diſſertationes has prelo repetitas, quas, cum primum exiiſſent, fuſe in *Actis* his *A. 1695* & *1701* recenſitas recordamur, paucis indicaſſe ſuffecerit. Digna inprimis lectu eſt

Præfatio, quam iis Cel. *Burmannus* præmisit, quâ causas exponit, cur fœtus hos denuo prodire in lucem, nec fere alio, si posteriorem inprimis spectes, quam quo primum comparuere, habitu, sit passus. Alterius quidem rei ratio flagitationes vel bibliopolarum, exemplis utriusque Dissertationis pridem divenditis, recudendi eas facultatem sibi deposcentium, vel alumnorum disciplinæ *Burmannianæ*, & insanum, quo in auctionibus veniere, pretium; alterius, tædium juveniles labores provecta ætate ornandi, novisque accessionibus locupletandi, & præconcepta de gloria eruditionis non magna nec solida, ex antiquitatibus illustratis speranda, opinio, qua motus in recensendis antiqui ævi Historicis, Poetis, & Oratoribus, potiorem temporis a publicis laboribus vacui partem posuit. Cujus consilii fructus ut uberrimos jam tum Respublica literaria tulit, ita nec nulli in futurum ad eam redundabunt, Viro celeberrimo non modo editioni novæ *Virgilii*, *Heinsii* curis illustratæ, ferventibus jam ab aliquo tempore operis typographicis, in excudenda ea occupatis, insudante, sed & similem *Claudiani* spondente, in quem quidem scriptorem, si forte eum emittendi non contingat opportunitas, quæ observavit, jam descripta, & chartis mandata, seponere, ut novæ ἐκδόσει etiam post fata ejus inservire possint, constituit. Quod ad Dissertationes jam ipsas attinet, priorem, non unis auctam novis Observationibus deprehendent, qui priorem ejus editionem cum præsente contulerint. Nos ex pluribus, quæ sponte se offerunt, exemplis non nisi unum subjiciemus. *Capite octavo*, quo agitur de jure exercendi & locandi vectigalia, observat Vir Celeberrimus, mense Martio vectigalia, fundos autem & ædes Calendis Juliis, locasse Romanos. Posterius carpserat in *Gundlingianis* suis *Part. XVI pag. 63* Ill. *Gundlingius* ex *Brummeri* Exercitatione de locatione & conductione, statuens, locationes prædiorum partim Calendis Martiis, partim Juliis, fuisse initas. Sed, ex legibus duabus, quas pro Calendis Martiis adduxit *Brummerus*, nihil tale probari posse, idque & *Reinesium*, quem sententiæ suæ ducem secutus est Cel. *Burmannus*, agnovisse, *Brummero* autem, aliter censenti, *Brissonium* præivisse, monstrat Vir eruditissi-

tiſſimus, *Gundlingium*que, parum honorifice affirmat, *nimium fuiſſe compilatorum coriphæum, qui ſectam etiam in diſcipulos propagarit, Batavorumque in terras transmiſerit, qui de omnibus, quæ ſciant, quæque neſciant, ſcribendi audaciam ſumant, &, neglectis antiquis Autoribus, ex antiquariorum ſcriptis immonſa volumina, ſed in quibus manifeſta furta deprehendantur, conficiant; plena erroribus & inconſideratis furtis. Quique, quod ridiculum inprimis, μετὰ πολλῆς Φαντασίας Græca, &, ſi diis placet, etiam Hebraica, ubique ſcriptis ſuis interſerant, cum vix elementa quidem harum linguarum norint.* Appellat eundem porro *Thraſonum magiſtrum, qui, ut de Bailleto Menagius prædicare ſolebat, compilatorum præcedentium ſit compilator.* Cui ſimile eſt, quod infra, ubi de curatoribus viarum ſternendarum, quos a vicinis, ſed autoritate Imperatorum, lectos obſervat, agit, legitur: *Gundlingius, inſignis ille alienorum ſcriptorum compilator.* Apparet, Virum Celeberrimum pluſculum ſibi paulo, quam leges humanitatis ferant, indulgere, in Viro, cujus ingenium & eruditio haud vulgaris, & omnia ſcientiarum genera, tametſi non pari ubique ſucceſſu, quod utique fatendum eſt, pervagata, alia omnia merebatur, inſectando, præſertim fatis ſuis perfuncto. Quodſi in vivis adhuc eſſet, quin par pari fuiſſet relaturus, dubitandum haud foret; an ex diſcipulis, qui & ipſi hic male audiunt, non ſint exorituri, qui adſperſam doctori maculam eluant, nemo ſpoponderit. Poſteriori Diſſertationi de Jove fulgeratore, ſi nihil aliud, certe Epiſtola *Eduardi Holtheni*, quæ illi occaſionem præbuit, de novo acceſſit, petita ex novorum librorum *Neocori* & *Sikii*, cui A. 1693 inſerta fuerat, Bibliotheca, eo conſilio, ut ad illam Diſſertatio ipſa exigi, &, ſi quid obſcurius in refutanda *Holtheni* ſententia dictum videretur, hinc illuſtrari poſſit.

Pag. 104 ſeq.

202.

NOTIZIE PRATICHE INTORNO ALL' EPIdemia degli animali bovini, &c.

h. e.

NOTITIA PRACTICA DE EPIDEMICO animalium bovini generis, qui A. 1735 grassatus est, morbo, cum regulis curativis æque ac præservativis illius, oblata Illustri Marchesio Senatori D. PAULO ÆMILIO OLIVAZZI, supremi sanitatis Magistratus status Mediolanensis Præsidi, a CAROLO MAZUCCHELLI, Medico, Philosopho, & Lectore Anatomiæ publicæ in regia Patavina Universitate.

Mediolani, in Aula Regia, per Josephum Richinum Malatestam, 1736, 4.
Plag. 8.

De pestilenti morbo, qui bovinum genus per Mediolanensem agrum invaserat, erudite disseritur, descripta primum febre summe maligna, quæ cum horrore & tremore bestiarum initium capere suevit. Primum est mali signum omnis pabuli nausea, caput pronum, ad genua pendulum, auresque flaccidæ, quod signum esse cephalalgiæ brutorum, veterinarii docent. Crescente malo, accedit respirandi anhelosa difficultas, stupor, oculorum illachrymatio, mugitus languidus, effluente naribus & ore copiosissima viscida materia, humore etiam bilioso per alvum secreto, donec quinto vel septimo, ex quo ægrotare cœperunt, die perimantur. Quæ pestiferi mali signa jam a rei rusticæ Autoribus, *Varrone*, *Palladio*, *Columella*, declarata fuerunt. Sic etiam *Gesnerus Hist. anim. Lib. I Cap. de Bove: Si quando bovem pestilentia tentaverit, istis agnoscitur signis. Erit bos pilo horridus & tristis, stupentibus oculis, cervice dejecta, salivis assidue per os fluentibus, incessus pigrior, spina rigidior, fastidium maximum, pauca ruminatio.* Sectio boum peste interemtorum sequentia annotatu digna tulit: Primus ille ventriculus, qui omasus ruminantium dicitur, & a plicarum multitudine centifolius, durus, inflatus, colore inflammatorio fusco tinctus, arido pabulo

bulo farctus, vesica fellea bile plenissima, viscera haud raro corrupta, quod tamen effectus magis, quam causa aut forma, pestilentiæ, exstitisse visum fuit. Causam mali pestiferi, & morbi, quo e corpore in corpus migret; modum, post plures plurium sententias, in seminio quodam verminoso collocavorunt, quæ antiquissima *Lucretii* jam fuit sententia, recentiores *Valisnerius*, *Cogroffius*, *Cortius*, magni per Italiam in arte viri. Bobus ex Ungaria adductis, malum ad Italiæ pecora transiit, & hyeme potissimum grassata est lues, quod pecoribus, statione eadem conclusis, propior inter se esset contactus, aerisque liberioris vel jucundi pabuli defectus. Proponuntur plura, quæ vel ad evitandam stragem pecorum, vel ad eandem compescendam, facere visa fuerunt, curationum momenta. Regulæ quædam præservativæ magistratibus sanitatisque arbitris feruntur, quorum interest, suos omnibus cum suspecto vicinorum agro commerciis interdicere, imo cavere, ne bubulcus, qui infectæ gregis custos exstiterat, armentis sanis accedat, cum deprehensi hi fuerint pestiferum virus secum attulisse. Id certe pro declarato habetur, stabulis morbidorum pecorum eam inesse pestiferam nocendi virtutem, ut actum sit de bove, qui ea statione detentus fuerit. Nec inconsultum habetur, incendiis suffumigiisque publicis aeris qualitatem mutare. Etsi enim ille ex longinquo cladem afferre haud possit, propinqua tamen sanis pestifera loca tractu aeris in communionem mali adjacentes agros interveniente aere traxisse, pro comperto habetur. Muniuntur ceteroquin ora boum fragrantibus & odoratis plantis, allio, ruta, absinthio. Internus Antimonii erudi usus salutaris deprehensus fuit, cum venæsectione sub humero sinistro. Post alia chirurgica remedia setaceum in cute colli boum administratum curatione præstantissimum fuisse dicitur, cum sanguine auribus sectis emisso. Plurima ex Pharmacevticis remedia tentata quidem fuerunt, sed vel nullo, vel sinistro, eventu, ob singularem ventriculorum in ruminantibus structuram, ex omnibus tamen nitrata, pulvis pyrius, sulphur, aromatica acria, magis obfuerunt, quam profuerunt, solis emollientibus, malvaceis, aliisque lenientibus, speratum finem intendentibus.

DISSERTATIONES DE CYCLIS PASCHAlibus, qui Enneadecaeteride Alexandrina nituntur, DIONYSII, BEDÆ, Ravennatensi, ISIDORI, FELICIS, CYRILLI, THEOPHILI, ANIANI, PANODORI, METRODORI, ANATOLII, EUSEBII, Synodi Nicænæ, ATHANASII: ut & de Enneadecaeteridis Alexandrinæ natura, initio, & ratione Embolismi: de computo lunari Alexandrino, nec non de computo solari in genere, & PAULI Alexandrini, atque Alexandrinorum in specie.

Amstelædami, apud Joannem Boom, 1736, 4.
Alph. 2 plag. 10.

Autor harum Dissertationum, senio & munere venerandus, idem est, cujus Observationes in *Theonis* Fastos Græcos priores, cum iis, quæ adjuncta sunt, in *Actis Anni 1736 M. April. pag. 185*, itemque Observationes in veterum Patrum & Pontificum Prologos & Epistolas Paschales, *Mense Octobr. A. 1735 pag. 456*, recensuimus. Methodo ille ac diligentia eadem in hoc Opere usus est, qua in prioribus: quanquam ætas eum nonnulla perpolire impediverit. Divisit librum totum in *Partes duas*. In priori Dissertationes XIV continentur, quarum, *undecim* agunt de cyclis Paschalibus, quibus dies Dominicæ Paschales adscriptæ sunt; *tres* vero reliquæ de cyclo decemnovennali. *Prima* est de cyclo paschali XCV annorum, a *Dionysio* edito, & a *Beda* continuato, ad annos 532. *Altera* de cyclo paschali 95 annorum differit, qui in tabula marmorea scalptus exstat Ravennæ, in camera Ecclesiæ metropolitanæ, in hujus Ecclesiæ usum sine dubio constructus, neque alia re a *Dionysiano*, quam forma, differens, & quod nonnulla in eo omittuntur. *Tertia* agit de cyclo paschali 95 annorum *Isidori* Hispalensis: *quarta* de cyclo paschali 95 annorum S. *Felicis*, Abbatis: *quinta* de cyclo paschali 95 annorum *Cyrilli*, Episcopi Alexandrini: *sexta* de laterculo pascha-

paſchali 100 annorum *Theophili*, Alexandrini Epiſcopi: *ſeptima* de cyclo paſchali 418 annorum ejusdem *Theophili*: *octava* de cyclo magno paſchali, ſeu periodo 532 annorum, *Aniani*, monachi Ægyptii: *nona* de ſimili cyclo *Panodori*, monachi Ægyptii: *decima* de ſimili cyclo *Metrodori*: *undecima* de Pſeudo-*Anatolii* Canone paſchali, in qua, præmiſſa Præfatione, Canon Latinus 19 annorum, cum adjunctis diebus Dominicis Paſchalibus, non veri, ſed Pſeudo-*Anatolii* eſſe oſtenditur, & obſervationes ad veri *Anatolii* Græca ex *Euſebii* Hiſtoria Eccleſiaſtica ſubjunguntur. Jam Diſſertatione *duodecima* inquiritur, an *Euſebius* Cæſarienſis cyclum decemnovennalem compoſuerit; id quod contra *Hieronymum*, & qui eum ſecuti ſunt, maximeque contra *Bucherium*, negat Autor. *Tertia decima* quæritur, an Synodus Nicæna Enneadecaeterida inſtituerit, & terminos Paſchales definiverit, aliaque de Paſchatos celebratione decreta condiderit. Ad quæ ita reſpondetur: Synodum laudatam, ad conſenſum generalem in celebrando Paſchate obtinendum, Enneadecaeteridem, non quidem primam, inveniſſe, ſed eam, quæ apud Alexandrinos aliosque jam in uſu vigebat, cum ſuis regulis Paſchalibus, approbaſſe, adoptaſſe, & ſua autoritate in orientalem Eccleſiam introduxiſſe: quod autem, occidentalem Eccleſiam attinet, ut etiam hic idem conſenſus obtineret, eandem Synodum decreviſſe, ut Alexandrina Eccleſia, quæ ſcientiæ calculandi diem Paſchatos peritiſſima erat, per ſingulos annos, Romanæ Eccleſiæ diem Paſchatos literis intimaret, unde, Apoſtolica autoritate, univerſalis Eccleſia, per totum Occidentis orbem, definitum Paſchatos diem, ſine ulla diſceptatione, cognoſceret. Reſtat Diſſertatio *quarta decima*, in qua *Athanaſius Alexandrinus* Enneadecaeteridem compoſuiſſe negatur. Progrediendum nobis jam eſt ad *alteram* libri præſentis *Partem*, quæ *tribus* abſolvitur *Capitibus*. *Primo* Enneadecaeteris Alexandrina ita conſideratur, ut & ipſa ejus natura explicetur, & initium, & ratio emboliſmi; deinceps vero hæc duo quæruntur: utrum inceperit a menſe Paſchali, an vero a lunatione, quæ in Thoth terminatur,

quæ-

que init. an. 1 in die Epagomen. 5; & an, & quando initium illud translatum sit a luna mensis Thoth ad lunam mensis Paschalis. *Secundo* computus Alexandrinorum lunaris explicatur, & variis regulis & exemplis demonstratur. *Tertio* denique computus solaris pari studio pertractatur; insimulque de initio cycli solis Alexandrini hujusque initii translatione, disseritur.

RECHERCHES PHYSIQUES ET GÉOMEtriques sur la question : Comment se fait la propagation de la Lumiere? &c.

h. e.

DISQUISITIONES PHYSICÆ ET GEOmetricæ, enodantes quæstionem: Qua ratione fiat propagatio luminis? quæ præmium, ab Academia Scientiarum Regia ad A. 1736 constitutum, nactæ sunt; Autore JO. BERNOULLIO, Jur. Doct.

Parisiis, ex Typographeo Regio, 1736, 4.
Plag. 8, Tab. æn. 1.

Arduam esse, multisque difficultatibus obseptam, tractationem de natura Luminis, vix quemquam fugit, aliqua rerum physicarum notitia tinctum. Ei enodandæ operam dederunt Philosophi primi ordinis, *Cartesius*, & præcipue *Malebranchius*, *Christ. Hugenius*, ac *Newtonus*. Quod ad *Cartesii* explicationem attinet, ea vix ullos amplius habet sectatores, cum nodis implicita sit non facile solvendis. *Malebranchii* Cogitationes leguntur præsertim in *Commentariis Acad. Scient. ad A. 1699. Hugenius* integrum, ut constat, de Lumine Tractatum in lucem emisit, in quo ingeniosum suum de undis Luminis systema proposuit. Tandem *Newtonus* in eximio Optices opere Colorum originem præcipue exponit, ubi Luminis in colores separationem, adeoque & ejus ex coloribus compositionem, experimentis commonstravit evidentissimis. Tantum vero abest, ut Viri præstantissimi rem omnem confecisse visi sint, ut potius

Illu-

Illuſtris Scientiarum Academia Pariſienſis dignam inprimis judicaverit quæſtionem de propagatione luminis, quam eruditis denuo proponeret tentandam, præmio ſtatuto ei, qui ad illam optime reſponſurus eſſet. Id vero feciſſe viſus eſt Cl. *Jo. Bernoullius*, magni *Joannis* præclariſſimus filius, hac ipſa, cujus recenſionem aggredimur, Diſſertatione, cui præfixa eſt ſequens inſcriptio ex *Juvenalis Satyr. XVI verſ. 56:*

— — — — *Hunc labor æquus*
Provehit, & pulchro reddit ſua dona labori.

Orditur vero Autor Cl. ab eo, ut exponat, quænam idea cum vocabulo luminis conjungenda ſit. Miſſis itaque variis ſignificationibus, huic termino annecti ſolitis, lumen pro eo accipit, quod Phyſici non infrequenter vocant vehiculum luminis; radios ſcilicet, qui lumen a lucente ad objecta transferunt. Quando igitur de propagatione luminis quæritur, opus eſt, ut exponatur, qua ratione radii, ceu vehiculum luminis, ad diſtantias adeo immanes, quales ſunt terram inter ſolemque aut alia ſidera, provehantur, ac objecta, ex quibus emanant, perceptionibus noſtris obvia reddant. Certum enim eſt exploratumque, velocitatem, qua lumen propagatur, tantam eſſe, ut omnem imaginationis noſtræ vim longiſſime exſuperet, cum *Ræmeri* obſervatione nixus *Chriſt. Hugenius* invenerit, lumini non opus eſſe niſi tempore 11 minutorum, ut diſtantiam, quæ inter ſolem terramque interjecta eſt, emetiatur, 22000 radiis terreſtribus majorem. Imo, ſi *Newtonum* audias, 7 vel 8 ſolum minutis hoc ſpatium percurrit. Exinde conficitur, velocitatem luminis majorem eſſe velocitate ſoni 6 vel 700000 vicibus. Sonus enim 180 circiter hexapedas in minuto ſecundo, vel 11000 in minuto primo, trajicit, quæ quidem celeritas vehementer jam promta eſt, ſi ſenſibus noſtris eam metiamur. In id itaque inquirendum, ut reperiatur vis quædam ſufficiens effectui tam inſigni, qualis eſt prodigioſa hæcce luminis rapiditas, præſtando. Vis hæc movens debet eſſe materia quædam; nullus enim eſt communicationi inter corpora diſſita locus, ſi ma-

teriam quandam quasi intervenientem tollas. Non autem est, cur de eo dubites, an dari queat in rerum natura materia, quæ prædita sit velocitate adeo stupenda. Facile enim Cl. *Bernoullius* demonstrat, vim motricem vel minimam posse in corpore quodam producere velocitatem quantumvis magnam, modo massa corporis satis sit exigua. Vis movens absoluta est ut massa corporis, in quod operatur, ducta in vim acceleratricem, quæ ei imprimitur; sive in symbolis, si vis movens sit $= f$, corporis, in quod operatur, massa $= m$, vis acceleratrix ei impressa $= a$, erit $f = ma$. Minuatur jam m, & augeatur a in infinitum, sed in eadem ratione; patebit, eandem vim moventem f posse producere acceleratricem a quantumvis magnam, diminuta quantumvis massa m. Porro non difficulter invenitur ex Dynamicis, quadrata velocitatum, ab eadem vi movente diversis massis impressarum, inter se esse reciproce ut hæ massæ. Exinde constit, velocitatem luminis, licet stupendam, non tamen eam esse, quæ videri possit incredibilis, aut viribus naturæ superior. Superest examinandum, an non detur vis quædam per totum universum diffusa, & quæ perpetuo sese quaquaversum dilatandi conatu sit prædita, ita quidem, ut sese re vera dilatet, quamprimum resistentia ex uno latere est imminuta vel sublata. Vim hancce inesse, Cl. Autor statuit, materiæ cuidam subtilissimæ, vasta mundi spatia replenti, cui, ceu Oceano, corpora, tanquam insulæ, innatant & fluctuant. Quodsi *Newtonianis* licet attractionem corporum universalem ad se invicem statuere, etsi causam ejus physicam nequeant assignare, quæ comprehendi possit; quidni a fortiori liceat Cl. Autori adstruere vim talem dilatatricem universalem, utpote cujus idea ad minimum clara est, & ratio physica dari potest? *Hugenius* & *Newtonus* ætherem, ceu luminis vehiculum, elasticum quidem statuerunt; causam vero elateris non attigerunt; Noster autem, ne obscurum explicet per æque aut magis obscurum, in hanc ipsam inquirit. Recurrit itaque ad vim centrifugam, quam habent omnia corpora, circa punctum aliquod, sive centrum, gyrantia. Materiam

æthe-

ætheris porro concipit tanquam fluidum, originarie compositum ex infinito vorticulorum (quales sunt *Malebranchiani*) numero, qui vero adeo sint exigui, ut corporum omnium poros, etiam angustissimos, libere permeare possint. Vorticulus quivis, dum circa centrum suum revolvitur, acquirit perpetuum sese dilatandi conatum, & hoc quidem ob vim centrifugam partium ejus in gyros actarum; &, sublata vel imminuta resistentia ex aliqua parte, dilatatio sequetur actualis. Tolletur autem resistentia, postquam vorticuli contigui a causa quadam aliorsum fuere propulsi. Vorticuli vero eam ob causam concipiendi sunt adeo parvi, ut vis centrifuga dilatatrix sit quantumvis magna. Sciendum enim, vim centrifugam corporum, in diversis peripheriis, data cum velocitate, gyrantium, esse reciproce ut ipsas peripherias, quas describunt; quodsi itaque peripheria sit infinite parva, fiet conatus centrifugus infinite magnus. Et hæc quidem de causa physica elasticitatis, qua gaudet æther. Jam vero ad ipsum propagationis luminis systema propius accedamus cum Cl. Autore. Concipiamus itaque, inter vorticulos æthereos, vasta mundi spatia occupantes, uniformiter disseminata esse corpuscula subtilissima, eaque solida, ita quidem, ut linea recta quævis, inter duo puncta ducta, per aliquam quasi seriem corpusculorum transeat. Corpuscula hæcce semper quiescent, quippe ab elatere ætheris versus omnes plagas æqualiter pressa, nisi quidquam sit, quod æquilibrium destruat. At vero, cum corpora, quæ luminosa dicimus, veluti sol, stellæ, flamma, &c. nil sint nisi particularum exilissimarum, solidarum, & quaquaversum agitatarum, congeries, quodlibet punctum luminosum ætherem elasticum continuo feriet. Postquam itaque vorticulus æthereus, isque elasticus, impulsum puncti luminosi, cui contiguus est, excepit, compressionem vi elateris sustinebit, eamque cum omnibus vorticulis aliis, inter punctum luminosum & primum corpusculum interjectis, communicabit; igitur primum corpusculum propelletur, & ex centro suo æquilibrii exturbabitur, per actionem vorticuli ultimi, cui contiguum est ex una parte; ex altera

tera vero parte iterum comprimet vorticulum ſibi contiguum, ſuper eadem ac priores directionis linea ſitum; adeoque eadem ratione compreſſio per ſequentem vorticulorum ſeriem, quæ primum & ſecundum corpuſculum interjacet, continuabitur, usque ad ſecundum corpuſculum, quod pariter propelletur, & ſic rurſus ſequentem vorticulorum ſeriem comprimet, quæ corpuſculum tertium propellet, & ſic porro, donec materia ætherea ad maximum compreſſionis gradum pervenerit; quo facto, vorticuli mox ſeſe reſtituent, adeoque corpuſcula repellent, & quidem ultra centrum æquilibrii ſui: hæc igitur ſecunda vice propellentur, eadem, qua prius, ratione, atque iterum repellentur, uti explicuimus. Ex quo conſequitur, quamlibet corpuſculorum ſeriem, in eadem linea recta ſitam, quæ ex puncto luminoſo egreditur, (quam *fibram luminoſam* appellat Cl. Autor,) itus & reditus abſolvere promtiſſimos. Has quaſi oſcillationes *vibrationum longitudinalium* nomine inſignit, ſibique duo hæc probanda proponit: 1) quaslibet vibrationes longitudinales fibræ luminoſæ, fortiter aut debiliter agitatæ, eſſe tavtochronas; 2) lumen percurrere ſpatia temporibus proportionalia, ſi quidem propagatio fiat in medio uniformi, hoc eſt, fibras luminoſas, repetitas a puncto lucente, quoties libuerit, & in directum ſemper collocatas, ſuas ſecum invicem vibrationes communicare per diſtantias æquales in temporibus æqualibus. Fibræ, repetitæ in eadem, qua prima, directione, conſtituunt id, quod vocamus radium luminis, ejusque propagatio nil eſt, niſi hæc ipſa radiorum extenſio. Hoc igitur negotio ita defungitur Cl. Autor, ut primo generali ratione demonſtret, ad vibrationum corporis elaſtici impulſi tavtochroniſmum requiri neceſſario, ut ſit in ſtatu compreſſionis, id eſt, ut ſingulæ ejus particulæ premantur juxta directiones ſibi invicem contrarias, & ſic in æquilibrio quaſi violento conſtituantur. Tranſit deinceps ad explicationem analyticam naturæ & motus fibrarum luminoſarum & ſonorarum; magna enim inter luminis ſonique propagationem eſt affinitas. Utraque fibrarum ejusdem naturæ eſt; requirit me-

medium elaſticum in ſtatu compreſſionis; luminoſa generatur in æthere ſubtiliſſimo, & maximo elaſticitatis gradu prædito; ſonora vero in aere, itidem elaſtico, ſed gradu immane quantum inferiore. Ad cetera, in quibus differunt, hic non attenditur; quæſtio enim eſt de impreſſione, quæ legem vibrationis longitudinalis fibræ producit, ſonoræ æque ac luminoſæ communem Eam vero poni in tavtochroniſmo, hoc eſt, in eo, ut ſingulæ vibrationes fibræ, fortes ſint, an debiles, æquali tempore fiant, facili propoſitionis ſuæ generalis applicatione oſtendit Cl. *Bernoullius*. Quodlibet enim corpuſculum, per quod fibra luminoſa tranſit, ab actione vorticulorum æthereorum elaſticiſſimorum tenetur in æquilibrio violento; igitur, quod in propoſitione enuntiatum eſt generaliter, hic apprime quadrat. Porro, ut pateat, qua ratione continuentur & multiplicentur fibræ, in eadem directione, h. e. quomodo fiat ipſa propagatio luminis, conſiderandum, quod in terminis fibræ primæ materiaætherea ſit maxime accumulata & condenſata, adeoque elatere ſuo ſeſe reſtituere verſus plagas oppoſitas debeat; quo fit, ut ex una parte utriusque termini corpuſcula repellantur, id quod generat vibrationes, quas diximus, ex altera vero impulſus fiat vorticulo contiguo, qui deinceps fibram ſecundam eadem ratione format, qua formata eſt prima. Ita porro ſecunda formabit tertiam, tertia quartam, &c. quæ omnes ſitæ erunt in eadem linea recta, ac efficient radium luminis. Poteſt hoc idem applicari ad propagationem ſoni. Et, quoniam vis elaſtica aeris notior eſt, quam ætheris, ideo in propagationem ſoni calculo primum inquirit Cl. Autor, quem deinceps transfert ad lumen. Supputandam igitur ſibi proponit durationem vibrationis particulæ fibræ cujuscunque ſonoræ in longitudinem; invenitque, fibram compreſſam, & chordam tenſam in vibrationibus ſuis, (illis longitudinalibus, hiſce latitudinalibus,) eandem obſervare legem. Quemadmodum enim Cel. *Jo. Bernoullius*, Parens, in *Commentar. Acad. Petrop. Tom. III pag. 24 ſeq.* demonſtravit, chordam vibrantem, qua a pondere dato tenſa fuit, induere curvaturam cycloidis

valde protractæ, & vibrationes efficere tavtochronas; ita ostendit Filius, quodsi in fibræ compressæ punctis erigantur ordinatæ, æquales excursionibus particularum oscillantium respectivis, curvam, per ordinatas hasce transeuntem, pariter fore cycloidem valde elongatam; adeoque id, quod de vibrationibus latitudinalibus demonstratur, ad longitudinales jure applicari posse. Ut itaque celeritas soni determinetur, in usum vocat formulam, a Cel. Parente *l. c. pag.* 25 & 27, & a *Tayloro* quoque in *Meth. Incr. pag.* 93, exhibitam, quæ dat numerum vibrationum chordæ tensæ a pondere dato *P*, tempore unius oscillationis penduli simplicis, longitudinis D, estque talis, $\frac{p\sqrt{(D \times P)}}{\sqrt{(AB \times L)}}$, significante *AB* longitudinem chordæ, *L* materiæ ejus quantitatem, & $p:1$ rationem peripheriæ circuli ad diametrum. Jam, si *AB* longitudinem fibræ sonoræ indicet, & scribatur $\frac{A}{AB}$ loco $\frac{P}{L}$, formula mutabitur in $\frac{p\sqrt{(D \times A)}}{AB}$, quæ exprimit numerum vibrationum longitudinalium fibræ sonoræ, durante una oscillatione penduli *D*. Notandum, *A* esse vim constantem, quæ aerem comprimit, donec ejus elasticitas æquetur huic ipsi *A*, quæque indicatur per altitudinem mercurii in baroscopio. Jam, si quæratur via, quam sonus in tempore unius oscillationis penduli *D* percurrit, ex præcepto Cl. Autoris longitudo fibræ *AB* ducenda est in $\frac{p\sqrt{(D \times A)}}{AB}$, unde emergit $p\sqrt{(D \times A)}$, quæ viam quæsitam exprimit. Nam $\frac{p\sqrt{(D \times A)}}{AB}$ exprimit quoque numerum fibrarum omnium, a puncto sonoro usque ad distantiam datam continuo productarum. Cujus rei ratio est, quod e. g. fibra secunda, a prima

ma

ma producta, primam suam fibrationem inchoat, cum prior suam jam absolvit, & secundam incipit; pariter fibra tertia primam vibrationem incipit, postquam secunda secundam, adeoque prima tertiam, incipit, & sic porro; generaliter itaque n – esima fibra primam suam vibrationem faciet, postquam prima absolvit vibrationes, quarum numerus est $= n$. Tot itaque fibræ consecutivæ productæ erunt in tempore dato, quot oscillationes longitudinales fibra primaria fecit. Calculus hic, pro celeritate soni, cum effatis *Newtonianis* probe conspirat. Jam, ut hæc omnia ad lumen applicentur, inverso ordine progrediendum est, ac ex data luminis velocitate invenienda ætheris elasticitas. Id facile præstatur. Cum enim rapiditas luminis sit ad rapiditatem soni, ut 700000 ad 1; patet, viam, a lumine tempore unius oscillationis penduli D percursam, esse $= 700000\ p\sqrt{}(D \times A)$, sive $= p\sqrt{}(D \times 490000000000\ A)$; igitur pondus aeris A, quale est prope superficiem terræ, 490000000000 vicibus replicatum, æquabit compressionem fibræ luminosæ, adeoque elasticitas ætheris elasticitatem aeris 490000000000 vicibus superat. Quare, cum aeris maxime elastici vis mercurium ad altitudinem 30 pollicum sustinere possit, elater ætheris, ni per tubi poros penetrare posset, elevaturus esset mercurium ad altitudinem 30×490000000000 pollic. sive 1225000000000 milliarium Gallicorum, supposito milliari = 20000 ped. quæ utique prodigiosa videri potest ætheris elasticitas. Et hæc sunt in compendio, quæ ad quæstionem propositam Vir Cl. respondit. Ob ejus vero nexum indivulsum cum aliis proprietatibus luminis, reflexione, refractione, & coloribus, multa adhuc ex suo systemate & eleganter de iis disserit; quibus tamen copiosius recensendis supersedemus, ne instituti nostri limites transgrediamur, hoc unicum coronidis loco annotantes, per theoriam hancce rationem reddi posse planam ac facilem, cur radius luminis propagetur per lineam rectam in medio uniformiter denso, id quod *Hugenius* per suam undarum hypothesin non plene expositum dare potuit.

SPE-

SPECIMEN DEFINITIONUM PHILOSOphiæ Pythagoricæ, vere Geometricæ, cum ejusdem Tetracty, sive mundo luminoso, Tabula æneæ inciso.

Francofurti & Lipsiæ, 1736, 4.
Plag. 1¼, Tab. æn 1.

Autor hujus Speciminis est Cl. *Weismüllerus*, S. S. Theologiæ Licentiatus, Decanus & Pastor Hydropolitanus. Equidem asseverare nullus dubitat in Præfatione, quod & Deum, & spiritus, & cœlum, & infernum, demonstrarit, atque Deo, se illuminanti, omnia tribuit; si tamen verum fateri fas est, orbis eruditus nihil unquam vidit obscurius, ut mireris, Theologum & Pastorem Ecclesiæ Evangelicæ talia in publicum proferre non erubuisse. Sufficiat nobis quasdam definitiones in medium attulisse, ex quibus de ceteris haud difficile erit judicium. *Cap. I*, quod de spiritibus bonis inscribitur, ait, *Vim* esse lineam rectam, se in se contrahentem, vel extra se producentem. Lineæ rectæ extra se secundum quoslibet angulos possibiles productionem vocat *determinationem*, quam *optimam* dicit, si secundum angulum rectum fiat. *Motus* ipsi est productio determinationis secundum quoslibet angulos possibiles per progressionem geometricam in infinitum, & hinc *optimum* esse infert, si producatur secundum angulos rectos convergentes, seu numerum ternarium in triangulo recto. Per hasce definitiones intelligi sibi persuadet, quid sit *Deus*. Definit eum per infinitam linearum congeriem, secundum determinationem optimam motum optimum in Triade producentem, viribus quibuscunque possibilibus in infinitum præditum, secundum infinitas proportiones possibiles. Quis unquam tam indigne de Deo locutus? *Creatio*, quam Deo tribuit, ipsi est linearum rectarum productio & certo spatio determinatio: *Spiritus bonus* congeries linearum rectarum, viribus præditarum, secundum determinationem optimam motum a Deo productum continuans, certo spatio definitus: *Veritas* determinatio secundum

dum angulos rectos; *Ratio sufficiens* linearum contiguitas; *Syllogismus* triangulus rectangulus linearum luminosarum. *Cap. II* de Spiritibus malis & lapsis agit. Definit *Spiritum malum* per congeriem linearum rectarum secundum angulos obtusos sive acutos, semet ipsos ad curvas determinantes, viribus primitivis præditum, spatio definitum. *Materiam* esse ait immensam linearum curvarum congeriem secundum diversas & sæpe contrarias determinationes & motus lineis spiritus æterni rectis ejusque viribus penetratam; *Mundum* vero *adspectabilem optimum* esse, qui circulis constat, ad spirituum lapsorum vel castigationem, vel ad lineas rectas reductionem, maxime idoneis. Vocat autem *Circulum* linearum quarumvis curvarum ad lineas rectas vi æterna determinatione optima motu proportionato reductionem. *Spiritum finitum corpori junctum* esse spiritum lapsum, vel seductum, dicit; Spiritus enim bonos materiam respicere. Consistit vero ex ejus opinione *Lapsus* in deflexione ad lineas curvas, cujus rationem sufficientem in perverso creationem imitandi conatu agnoscit Quid ipsi sit creatio, paulo ante diximus. *Pœnam spiritus lapsi* esse ait virium antea adunitarum fractionem, dispersionem, & ad lineas materiæ infinite parvas agglutinationem, ne spatium æternis curvis impleatur; *Mortem* vero virium primitivarum in spatium e materia collectionem pronuntiat. Persuadet sibi Autor, in hisce contineri religionis forte universalis semina, sed, qualis esse debeat ista religio, vel ex eo intelligitur, quæ de morte somniat. Edidit Autor jam antea Tractatulum Gallicum, quem omnibus Societatibus Scientiarum per universam Europam sub titulo: *Analyse des Étres simples*, inscripsit, & in quo mira de hisce suis inventis prædicat, ac omni Philosophiæ, huc usque receptæ, præsertim recentissimæ, (quidni etiam Theologiæ?) interitum minatur. Non alio igitur fine harum definitionum mentionem hic injicere visum fuit, quam ut exteri intelligant, talia in Germania non probari, præsertim in Theologo, qui Protestantium sacra profitetur.

PETRI ZORNII, PROFESSORIS REGII Ordinarii, Historia Fisci Judaici sub imperio veterum Romanorum; qua periodi designantur sceptri Judæorum ablati. Inseritur Commentarius in Nummum Thesauri regii Prussici de calumnia Fisci Judaici per Nervam Coccejum, Imperatorem Romanum, sublata. Præter Supplementa Notarum ad HECATÆI ABDERITÆ Eclogas, passim adspersa, subsequitur Dissertatio de Patriarcharum Judaicorum auro coronario, sive canone anniversario, in utroque Codice, cum Indice difficiliorum S. Scripturæ locorum, qui illustrantur.

Altonaviæ & Flensburgi, apud Korte fratres, 1734, 8.
Alph. 1 plag. 15.

Quo magis veritati consentaneum est, & inter ævi nostri homines constat, non omnes, quod dicitur proverbio, Corinthum adire, neque adeo multos intima antiquitatis penetralia scrutari, quin plurimi potius vel itineris molestia mature fatigati pedem retro referant, vel alia via, breviori forte, sed minus tuta, quicquid vetustas ambitu suo continet, uno velut gradu assequi contendant; eo certe majori in honore habendi sunt, qui ab hujusmodi studiorum tramite nullo sudore nullaque molestia deterreri se patiuntur, sed strenue ad metam tendunt, omnemque sic tandem laborum molem felicissime superant. Longe autem majori adhuc laude ornandi videntur, qui, postquam in ipsum venerandæ vetustatis cacumen evasere, alios etiam, quos longis post se intervallis relictos vident, suis vel consiliis, vel doctrinis, ut eodem possint eniti, juvant. Qui etiamsi nostra ætate vix sint numero totidem, quot Thebarum portæ & divitis ostia Nili, gaudemus tamen, esse nonnullos, hosque magni æstimamus. Quare sine ulteriori mentis nostræ declaratione patebit jam Lectoribus, quid sentiamus de *Petri Zornii* Historia Fisci Judaici, qua periodos sceptri Judæorum ablati designavit, &, calumni-

lumniam hujus Fiſci a *Nerva* ſublatam eſſe, ex nummo antiquo demonſtravit. Moris eſt Viro Celeberrimo, nihil unquam, quod pervulgatum ac tritum ſit, luci ſiſtere, ſed præſtantiſſimi argumenti libris famam ſibi conciliare. Penum ergo maximæ diligentiæ & eruditionis in hoc etiam fœtu *Zorniano*, quem dignum parente ſuo agnoſcimus, nobis viſi ſumus inveniſſe. Quod ut eo magis appareat iis, qui noſtra legunt, potiora tractationis momenta excerpemus, totumque libelli conſpectum in nuce exhibebimus. Sub ipſum libri initium quatuor apparent nummi, quorum explicatio paſſim adſperſa eſt. Unus eorum exhibet tetradrachmum Atticum argenteum, ſiclo æqualem, alter porcum cum porcellis, ubera ſugentibus, tertius ex una parte *Veſpaſiani* Imperatoris imaginem, ex altera Judæam captam, quartus denique ab una parte oſtendit faciem *Nervæ* cum inſcriptione, ex altera palmam arborem, quam circa leguntur verba: *Calumnia ſublata Fiſci Judaici*. Inſcriptus eſt liber nomini illuſtriſſimo *Samuelis de Cocceji*, regiæ majeſtatis Pruſſicæ Adminiſtri intimi, ad quem directa Dedicatio, Conſiliarios Regum apud veteres oculos & aures Regum dictos eſſe, pluribus exponit. Accedit Præfatio, in qua verba *Joannis* Baptiſtæ de ventilabro in manibus Chriſti, aream ſuam expurgantis, *Matth. III, 12*, rejectis quibusdam aliis opinionibus, de hoſtibus Judæam opprimentibus explicantur. Refert Autor inter has Pag. 18.
calamitates Judæorum acerbiſſimas tributorum exactiones, atque inde animi ſui propoſitum de argumento hoc quædam 21.
conſcribendi deducit, additque, doctos quidem homines paſſim de Fiſco Judaico commemorare, ſe vero primum eſſe, qui integram Fiſci Judaici hiſtoriam ordinatim contexere ſuſtinuerit. Docet præterea, uti priora duo Capita hujus Hiſtoriæ in publica Diſſertatione, reſpondente *Melchiore Ludovico Wiedebindo*, publico eruditorum examini ſubmiſerit, ita animum fuiſſe, reliqua etiam Capita pari modo Diſſertationum Academicarum nomine in lucem emittere, ſed defuiſſe ſibi cives, e cathedra publica induſtriam probaturos. Tandem, *Cæſarem Baronium* ob frigidas nummorum quorundam explica-

 tiones

tiones ad examen vocatum iri, Autor indicat, finitaque sic cum voto Præfatione, Opus ipsum in sequentibus aggreditur.
Pag. 30. *Octo* ejus fecit *Capita*, quorum primum generatim quædam de nummo *Nervæ* in Thesauro regio Prussico memorat, in quo nummo rite explicando doctissimi homines operam suam collocarunt, quorum multos allegat Autor, generatim quædam
33. addens de Fisco Judaico, per quem intelligit tributum, quod Judæi omnes in Imperio Romano solvere debebant, si libere ac suo more vivere vellent. Quemadmodum vero diligenter hic distinguit tria tempora, tempus nempe a *Pompejo*, Judæos vectigales reddente, ad *Archelaum*, exilio pulsum, deinde a pulso *Archelao* ad excidium Hierosolymitanum, tempus denique post
38. illud excidium; ita, ordinem hunc secuturus, in *Cap. II* historiam hujus Fisci inde a *Pompeji* tempore ad *Archelai* exilium enarrat. *Josepho* enim teste primus Romanorum *Pompejus* Hierosolymam, hoc est, totam Judaicam ditionem, non vectigalem, quod *Samueli Petito* videtur, sed plane tributa-
47. riam & stipendiariam, fecit. Mansit tamen Judæis ἐλευθερία sive αὐτονομία, quæ voces explicantur, donec, rupto per Zelotas seditiosos fœdere, & hanc libertatis umbram prorsus
58. amitterent. *Baronii* hic & asseclarum errores, de Judæa sub *Pompejo* provincia, castigantur, atque ostenditur, Syriæ Præsides, si opus fuerit, defendisse quidem Judæam discordem,
59. non vero ut provinciam administrasse; qua occasione locus quidam *Ciceronis* & verba nonnulla ex *Floro* considerantur.
65. Sub principatu *Hyrcani* in statu hoc Judæorum a *Julio Cæsare* nihil mutatum est, quamvis, judicium de gravioribus causis, & quæ ad Judaicam disciplinam proprie non pertine-
68. bant, jam tum Romanos sibi vindicasse, in aprico sit. Cæde facta *Cæsaris*, Judæam *C. Cassius* afflixit, exactis ab ea septin-
71. gentis argenti talentis. Post a Romanis *Herodes* Rex consti-
77. tutus, qui an tributum iis penderit, lis est, multis hoc negantibus, Autore vero affirmante, utpote qui suam hanc sententiam ab objectionibus vindicat, atque tum argumentis,
84. tum autoritatibus, luculenter probat. Secutus est deinde census

ſus *Auguſti*, *Herode* regnante eum in finem inſtitutus, ut omnes extraordinariæ tuibutorum exactiones, quas avaritia magiſtratuum Romanorum malo publico repererat, velut uno ictu præciderentur. Neque vero intelligenda hic eſt *ἀπογραφὴ* illa, cujus *Lucas* meminit *Cap. II.* Hac enim poſtrema deſcriptione citra tributi indictionem pernoſſe voluit *Auguſtus*, quantum hominum eſſet in Judæa, quantum ſinguli in bonis & facultatibus haberent, ut in tabulas publicas uniuscujusque nomen juxta familiam & conditionem ſuam referretur. Erravit ergo *Baronius*, dum vel indictionem capitationis, vel cenſus ſolutionem, intellexit. Errant vero & Pag. 91.
ii utique ex mente Autoris, qui nomen *Cyrenii* apud *Lucam* 93.
vel mutant, vel totum comma illud, unquam aliunde intruſum, expungendum arbitrantur. At, ubi ſententiæ illorum adſtipulamur, qui *Quirinum* virum conſularem & ſpectatæ fidei in Syriam cum extraordinario imperio miſſum fuiſſe ajunt, ut in Judæa, quæ gens erat ſocia & amica populi Romani, cenſum perageret; ubi ita, inquam, cum Viris eruditis cenſemus, conſtabit facillime, qua ratione *ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου* per *Sentium Saturninum* acti ſint in Judæa cenſus.
Alii rem ita expedire conantur, ut *πρώτη* in verbis Evange- 101.
liſtæ pro *προτέρα* poſitum dicant, atque hanc deſcriptionem
prius contigiſſe affirment, quam *Cyrenius* Præſes Syriæ eſſet. 104.
Quousque vero terrarum iſta *Auguſti* deſcriptio ſeſe extende- 110.
rit, non minus diſſentiunt eruditi, dum alii, per *πᾶσαν τὴν οἰκουμένην* orbem Imperii Romani, alii, quibus doctiſſimus Autor aſſentitur, ſolam Judæam, aut, ut rectius loquamur, *Herodis* regnum ampliſſimum, intelligunt. Sententiam, qua, tempore deſcriptionis hujus & nativitatis Chriſti orbem ter-
rarum pacatum fuiſſe, nonnulli adſtruunt, cum *Jo. Maſſono* 116.
falſam reputat Autor, divinæ vero providentiæ arcana conſilia cum *Caſaubono* aliisque miratur, &, quæ adverſus libros Genealogicos, in hoc cenſu uſurpatos, objici poterant, diluit.
Herodem in regno ſecutus eſt *Archelaus*, poſt novem imperii
annos ab *Auguſto* Viennam Galliæ relegatus; in qua rerum 123.
mutatione Judæa facta eſt provincia Romana. *Herodiani* 127.

 qui

Pag. 135. fuerint, & publicani, vel potius portitores, quorum ſacra pagina meminit, docte hic & copioſe diſſeritur. Jamque de
139. altera *Cyrenii* ἀπογραφῇ agitur, quæ autore *Juda Gaulonita* ſive *Galilæo* magnas turbas dedit, dum non, ut illa prior, in nuda deſcriptione, ſed & tributorum tam in capita, quam in agros, exactione, conſtitit. Cum *Quirino* enim, præſide Syriæ, miſſus eſt *Coponius*, primus *Cæſaris* in Judæa Procura-
151. tor, jure gladii inſtructus, eaque autoritate, ut non tantum fiſci rationes moderaretur, ſed etiam jus vitæ ac necis in gentem Judaicam exerceret. Quoniam in hac prima periodo
156. hiſtorica Fiſci Judaici initium ablati Judæorum ſceptri quærendum eſt, docet Autor, illud non repetendum a *Pompeji*
161. tempore, neque ſub *Herode* amiſſum, ſed in ſtatu provinciali Judææ ablatum eſſe, ita, ut Chriſto nato ſuperſtes adhuc fue-
165. rit, neque receſſerit a Juda, donec venerit Schilo. *Caput III* ſiſtit nobis hiſtoriam Fiſci a pulſo *Archelao* ad excidium Hieroſolymitanum. *Tiberius* igitur contemplandus erat, & tributa ejus penſitanda, quibus tamen ſeſe *Judæ Galilæi* ſectatores *Luc. XIII, 1*, aut ſicarii, quorum *Lucas Act. XXI* me-
172. minit, totis viribus oppoſuerunt. A profanorum ſcriptorum teſtimoniis, ubi Judæi ſub *Tiberio* tributarii ſiſtuntur, ad ſacras literas pergit Autor, & ductu verborum *Matth. XVII, 24*, de didrachmorum pretio & penſitatione agit, item de ſiclis &
185. ſtatere, quem *Chriſtus* & *Petrus* ſolverunt. Tum longe graviſſimus fuit, Autoris judicio, Fiſcus Judaicus, quandoquidem Reges terræ, ut Chriſtus ait, hoc eſt, Imperatores Romani, non tantum cenſum & vectigalia ex agris, paſcuis, & porti-
193. bus, quæ tria decimæ, ſcriptura, & portorium, dicta ſunt,
198. ſed plura etiam tributa ad vexandum populum, exegerunt. Numiſma cenſus, cujus *Matth. XXII, 19*, mentio fit, non pecuniæ quoddam genus eſt, quo ſolo tributa ſolverentur, ſed pecuniam indicat Romanam, quæ ſola ab exactoribus ejus tributi accipiebatur. Denarius autem Chriſto oſtenſus eſt velut in exemplum pecuniæ Romanæ, quod contra *Baronium* notatur. Tributum illud duplex, & ſolo & capitibus impoſitum, pro immenſa hominum in Judæa multitudine, ſummaque

maque Palæstinæ fertilitate, pastionis magnitudine, tantisque armentorum atque ovium gregibus, immensos fructus attulisse Romanis, liquido constat. De Judæorum jure gladii Pag. 214. tempore *Tiberii* disquirens Autor, negat, Judæis, quamvis Romanorum Procuratores jus vitæ necisque exercerent, ante devastationem omne omnino jus vitæ ac necis ademtum fuisse, siquidem mulierem *Jo. VIII, 7*, & ipsum Christum *Jo. VIII, 59*, lapidare voluerint, Servatorem vero in consessu Synedrii mortis pronuntiarint reum, *Marc. XIV, 64*, coll. *Matth. XXVI, 60*, & *Jo. XIX, 60*. Pace tamen Viri Clarissimi fateri nobis liceat, dubium illud ex *Jo. XVIII, 31*, ubi Judæi coram *Pilato* professi sunt, ipsis non licere interficere quemquam, motum quidem esse satis ingenue ab ipso Viro doctissimo, at vero, ut nobis quidem videtur, non plane solutum atque sublatum. Quod enim ad præcedentia verba nos ablegat, quibus *Pilatus* potestatem facit Judæis, ut de Christo secundum patrias leges supplicium sumant, id quidem est ejusmodi, ut sententiæ ipsius addere non leve robur videatur, sed reclamat tamen iterum iterumque in auribus animisque vox illa Judæorum: Nobis ὐκ ἔξεςι, non licet, interficere quemquam. Quæ sententia Judæorum unanimis cum generalissima sit, omnemque omnium necem penitus excludat, durius aliquanto nobis videtur, si quis per ὐδένα a Judæis interficiendum, turbatorem civilis quietis, & læsæ majestatis reum, exclusis omnibus aliis supplicio dignis, intelligere velit. Possent sane contrariæ sententiæ addicti cum *Lenfantio*, in Annotationibus ad hunc locum *Joannis*, existimare, exercuisse quidem jus vitæ necisque interdum Judæos, sed non nisi indultu & permissu Procuratorum, re vera autem jus istud, quod & ipsi verbis distinctissimis fatentur, non amplius habuisse. Quid ergo? si quis *Pilati* acclamationem: Capite eum & crucifigite, vel indulgentiæ notam, vel animi ludibrio habentis indicem, vel prætextum dubii judicis, existimet. Ipse sane doctissimus Autor non dubitat, Præsides 239. aut Procuratores pro suo erga Judaicam gentem odio aut affectu res temperare potuisse, eoque fecisse, ut Synedrium

modo

modo liberiore, modo restricta, potestate uteretur. Sed
hæc, utpote leviora, mittimus, & ducem hunc nostrum
Pag. 228. ad tempora *Caji Caligulæ* & *Claudii* sequimur. *Cajus* quidem, humanior in Judæos, centesimum illis remisit, & *Agrippam* majorem, *Herodis M.* ex *Aristobulo* nepotem, Regem constituit tetrarchiæ *Philippi* & *Lysaniæ*, post tertium annum addita quoque *Herodis Antipæ* relegati possessione. Atque ita
232. etiam accessit Judæa, quæ tum, desiit provincia esse. Unde Judæi non Romanis tum, sed suo Regi *Agrippæ* majori, tributa pependerunt, usque dum mortuo *Agrippa*, in provinciam rursum redigeretur, Syriæque attribueretur, rebus ejus a *Cuspio Fado* procuratis. *Agrippa* enim minor, majoris filius, patri non successit, sed regulus factus est Chalcidenæ in Syria, in-
236. terea tamen ut princeps Judaici generis templi curam sibi concreditam retinuit. Præsides Judææ cum nec rapinis nec cædibus modum facerent, sub *Gessio Floro* ortum bellum, secutumque excidium Hierosolymitanum, cujus caussam inter
241. alias ipsi Judæi faciunt cædem Nazareni. Post excidium illud quomodo comparatus fuerit Fiscus Judaicus, *Capitibus quarto*,
247. & quæ sequuntur, nos docet Autor. Nimirum consummata est sceptri Judaici ablatio, quando *Titus* urbem & templum solo æquavit. *Vespasianorum* qui supersunt nobis nummi,
260. multum rei lucis affundunt. Disceptatur vero, utrum Hierosolymorum urbs tota statim diruta & solo æquata fuerit, an ex parte dimidia incolumis manserit. Posteriori huic Patrum sententiæ subscribunt nonnulli cum *Scaligero*, priorem vero, ob vaticinium Christi, & testimonia *Josephi*, Noster eli-
267. git. Eversa penitus urbe, Cæsarea maritima totius Palæstinæ metropolis mansit, & colonia Romanorum facta est. Judæis autem, ubicunque terrarum degerent, imperatum est tributum, ita quidem, ut, quas in templum olim solebant inferre drachmas, illas ipsas ex eo tempore penderent Jovi
276. Capitolino, si patrios ritus servare vellent. *Caput V* ante oculos nobis ponit tristem Fisci Judaici acerbissime acti imaginem sub *Domitiano*, Judææ itidem victore & domi-
280. tore. Illustratur locus ex *Suetonii Domitiano Cap. XII*, & disqui-

disquiritur, an Christiani etiam hanc Fisci calumniam sense-
rint, id quod affirmatur, vexationis hujus in Christianos du- Pag. 290.
ratio & causæ exponuntur, &, postquam de synagoga Judæo-
rum extra portam urbis Romæ, & de mendicitate Judæorum,
actum est, *Harduini* opinio de Hierosolyma, nova Græco-
rum colonia, quæ *Capitolias Domitiani* dicta sit, refutatur.
Capite VI, non tributum quidem ipsum, sed tamen calu- 299.
mniam Fisci, per *Nervam* sublatam esse, hoc est, *Nervam* Im-
peratorem delationes falsas adversus Judæos & Christianos
pro Fisco intentas repressisse, probatur nummo *Nervæ*, quem
ita interpretatur Autor, ut, palma exprimi vel Judæam pro-
vinciam ex mente *Baronii*, vel victoriam Romanorum, ex
literis vero S. C. quibus inclusa palma, intelligi, nummum Se-
natusconsulto, sive senatus autoritate, cusum esse, ostendat. *Ca-*
pite VII historia Fisci sub *Trajano* & *Adriano* enarratur. Decre- 314
tum fuit, ne Judæi, ubique proterve ac ferociter se gerentes,
legem amplius lectitarent, neve circumcisione, aut scholis,
aut sacris suis, uterentur. Sub *Adriano*, si Judæis ipsis cre- 320.
dimus, aratrum templo inductum est, & magna Judæorum
strages fuit. Finito bello Judaico, quod in Palæstina gere-
batur, ex lege Imperatoris *Adriani* universa Judæorum gens 325.
in regionem circa Hierosolymam sitam pedem inferre pro-
hibita est; permissio tamen aliqua propius accedendi una
duntaxat die quotannis data est, 10 nimirum Augusti, idque
eo solum fine, ut vastatæ urbis ædisque rudera deflerent. Super 327.
portam, qua egrediebantur Bethlehemum euntes, porcum in
marmore sculptum *Adrianus* voluit collocari, & nummum ex-
cudit, in quo porcus cum porcellis ubera sugentibus sistitur, &
cavit præterea, ne libros sacros legerent Judæi, nisi vectigali 340.
pensitato. De ipso codice, quem in publica lectione adhi-
buerunt, Hebræusne ille fuerit, an Græcus ex septuaginta
Interpretum versione, an uterque sit lectus, dissentiunt eru-
diti. *Caput VIII*, idque ultimum, exhibet Fiscum sub *Antoni-* 353.
no Pio gravissimum, mitiorem tamen sub *Severo*, Judæorum 367.
sacris favente, mitem etiam sub *Philippo Arabe*, cujus num- 370.
mi quidam explicantur, itemque mitem sub *Valeriano*. Tan- 372.

dem ſub *Juliano* criſtas Judæi erigere cœperunt, amati ob hoc Imperatore ex odio in Chriſtianos, & vectigalibus liberati, admonitique, ut ſanctam urbem reficiendam curarent;
Pag. 377. qui tamen labor miraculis divinis impeditus fuit, uti cum nube idem ſententium virorum contra *Jo. Clericum* & *Jac. Baſnagium* e *Maturino Veyſſierio la Croze* demonſtrat Au-
385. tor. Sequitur jam Cl. Autoris Diſſertatio de Patriarcharum Judaicorum auro coronario, ſive canone anniverſario, in Codice *Theodoſiano* & *Juſtinianeo*. Notamus ex hac etiam Diſſertatione quædam notatu digniſſima. Judæi etiam poſt captam urbem Principes, id eſt, ſummos rerum ſuarum moderatores, & Synedrii Præſides, habuerunt. Unus fuit in Babylonia, Aichmalotarcha vulgo dictus; alter, Tiberiade ſedens, in Palæſtina ſummi Synedrii Præſes, & plerumque etiam Academiæ ſupremus rector fuit, Princepsque nominatus. Poſtremum ex iis paſſim Scriptores Græci Romanique Patriarcham appellant. Utrique tamen titulus Prin-
392. cipis communis fuit. Orti videntur Patriarchæ ſub *Nerva*, deque tribu Juda videri volebant eſſe, ut vaticinium de ſceptro
396. ablato eluderent. Arbitrium penes ipſos fuit ſummum in cauſis religionis, immo, quatenus Imperatores id tolerabant, in cauſis etiam civilibus & criminalibus. Indulgentiſſimos autem iis fuiſſe ad id tempus Imperatores, ex eo patet, quod illuſtres, ſpectabiles, & clariſſimos viros vocare non dubitant.
404. Atque hi Patriarchæ ex omnibus vel plerisque orbis Romani provinciis, quemadmodum Aichmalotarcha Babylonius ex Orientis regionibus, tributum quoddam annuum ſeu penſionem, coronarii auri nomine, a ſingulis ſynagogis accipiebant. A ſynagogis illud exigebant Archi-Synagogi & Presbyteri, acceptamque ſummam per Apoſtolos, eo nomine
410. miſſos, ad Patriarchas mittebant. Per aurum hoc coronarium nihil aliud intelligas oportet, quam oblationem pecuniæ voluntariam, ſtatutam tamen, & Patriarchæ, ceu gentis
415. principi, ex decimis & primitiis adæratis factam. Intra intervallum temporis, quod eſt ab A. C. 404 ad annum 429, Patriarchas Judæorum deſiiſſe, oſtendit Autor, docetque, qua ratione

ratione post excessum Patriarcharum Imperatores aurum illud coronarium, Patriarchis huc usque oblatum, sibi afferri, suisque ærariis infundi, jusserint. Finitæ sic historiæ huic Pag. 417.
Fisci Judaici amplissimus adjectus est Index eorum, quæ in ipsa historia Vir Celeberrimus addenda & supplenda putavit. Ita v. c. invenimus, addita ab eo quædam de nobilitate
Nervæ, alii loco nonnullos nummos adjectos, in quibus pax 422.
terrarum nominatur, quamvis ubique & in ipso Imperio Ro- 450.
mano tum bella fuerint; alibi de *Pontio Pilato*, Procurato- 490.
re Judææ, alibi de Procuratoribus *Felice* & *Festo*, alibi de 505.
arcu triumphali *Titi Vespasiani*, qui Romæ conspicuus est, 529.
ejusque inscriptionibus, & de mille aliis rebus scitu necessariis & jucundissimis, multa eruditissime prolata. Quid autem opus est recensere plura, cum unicuique potius, qui antiquam historiam curæ cordique habet, & Philologiam sacro usui applicare didicit, ipsius libri lectio magnopere sit commendanda. Nec dubitamus, quin inter illos etiam, quos in Præ- 28.
fatione sua Deo irato relinquit Autor, & utilitate ex libello hoc capienda indignos plane judicat, futuri tamen sint nonnulli, qui, antiquitatum sacrarum doctrinæque solidioris cupidi, legant hoc Opus, & ob multiplicem ejus doctrinam magni faciant.

DISSERTATIONES HISTORICÆ QUAtuor, *Autore J. T. PHILIPPS.*

Londini, impensis G. Meadows, 1735, 8 maj.

Plag. $18\frac{1}{2}$.

In prima harum Dissertationum, quas eruditissimus Autor, Rector pueritiae Serenissimi Ducis Cumberlandiæ, *Guilielmi*, conscripsit, de Atheismo, sive Historia Atheismi, novem Capitibus Scriptores vetusti & recentiores, Pag.
impietatis falso accusati, a turpi atheismi stigmate liberan- 1 – 122.
tur, alii vero, qui de supremo Numine minus recte sentire videntur, merito corripiuntur, de qua jam in *Actis Anni 1717 Mense Sept. pag. 402 seq.* ampliorem mentionem fecimus. Hanc excipit Oratio de origine & progressu religio- 123 – 138.

nis Christianæ apud Britannos, habita die natali Serenissimæ
Pag. Principis Walliæ, cui Excercitatio historico-politica de ortu
139 – 172. & progressu Romani Pontificis accedit. In illa monstrat, religionem Christianam, ut a viris Apostolicis recepta fuit, immutatam mansisse ad adventum gentis Saxonicæ, quæ ad medium Seculi quinti Britanniam appulit, quinquaginta amplius annis, antequam *Augustinus* Monachus sexto Seculo, ad Britannicas oras perveniens, novum Archiepiscopatum in
133. ipsa Archiepiscopi Londinensis diœcesi erexisset, qui & Ecclesiam Cambro-Britannicam igne & ferro persecutus est, instigando *Edelfredum*, Northumbriæ Ducem, a *Cadwallo* vero, Walliæ & Cornwalliæ Rege, profligatum. Religionem
134 seq. Papisticam, quæ Britanniam invaserat, ab *Henrico VII* & *VIII*, *Eduardo* quoque, suppressam esse, *Elisabetham* vero, *Mariæ* conatibus resistendo, maxime rem restituisse, comme-
173 – 203. morat, ac in annexa Dissertatione historiam Papatus, imo & Lutheranismi, porro persequitur. Hanc sequitur brevis delineatio Regiminis Ecclesiæ Sanctgallensis in Helvetia, quæ originem suam ac initia S. *Gallo*, celebri Seculi septimi
184. Monacho, acceptam refert, ubi & de duabus Bibliothecis in urbe Sanctgallensi instructissimis, & de variis Viris doctis, ibi
190 seq. natis, disserit, ac dein Ecclesiæ Abbatiæ Cellanæ ritus sacros ac constitutiones enarrat. In fine Epistolæ selectæ vel conscri-
205 – 278. ptæ in usum Ducis *de Cumberland*, annum septimum agentis, adjectæ sunt.

ELOGE HISTORIQUE DE FEU MR. JEAN le CLERC, &c.

h. e.

ELOGIUM HISTORICUM JOANNIS CLERICI, Philosophiæ & Historiæ Ecclesiasticæ inter Remonstrantes Professoris, desumtum ex Diario literario, Bibliotheque raisonnée dicto, sed revisum nunc, & aliqua ex parte auctum. Accessit Præfatio Autoris.

Amste-

Amstelodami, apud Jo. Wetstenium & G. Smith, 1736, 12 maj. Plag. 8.

Merita, quibus *Joannes Clericus* orbem sibi literatum devinxit, & quibus, præter alias sat graves rationes, ducti sunt Diarii Amstelodamensis Autores, ut Elogium tanti Viri non tantum *Bibliothecæ* suæ insererent, sed & brevi post per doctissimum, quo usi sunt, interpretem seorsim recudendum curarent, nos quoque haud parum movent, ut historiam hanc vitæ & scriptorum *Clerici*, erudite satis atque eleganter scriptam, paucis repetamus, ipsumque libellum, optimarum rerum plenum, Lectori maximopere commendemus. Quo in negotio justo progressuri ordine, de Præfatione, ab Autore addita, vel tribus verbis dicere habemus. Expositis hic tum recusi Elogii hujus, tum brevitatis, qua scriptum fuit, caussis, nonnulla de disceptationibus *Joannis Clerici* cum eruditis variis commemorantur, quas se ideo non attigisse ait Autor, quia in ipsis *Clerici* Diariis passim de iis agatur. Litem tamen omnium maximam inter *Balium* & Nostrum plane silentio præterire nefas ducit, atque idcirco totam rem in hac Præfatione a prima disceptationis origine ad finem usque exponit. Quo facto, characteres utriusque Viri recensentur, sibique invicem opponuntur ita, ut palmam auferat *Clericus*, *Balius* vero atro carbone notetur. Atque hæc potissimum insunt Præfationi, plagas duas implenti. Jam ex ipso Elogio præcipua eorum, quæ de vita & scriptis *Joannis Clerici* hic memorantur, rem facturi sine dubio Lectori gratam, huc afferemus. Natus fuit *Joannes Clericus* d. 19 Martii A. 1657 Genevæ, quam in urbem majores ejus aliunde transtulerant penates suos. Genus duxit a *Georgio Clerico*, qui Seculo XVI in Picardia vixit, & *Hadrianam de Bertini* matrimonio junctam habuit. Reformatorum cœtui addicta mulier hæc, cum a marito, Pontificiorum ritus sequente, semel iterumque male habita esset, relictis marito & tribus filiabus, Parisios ad quendam propinquorum, rectoris scholæ vices sustinentem,

 ad-

adduxit secum infantem filium *Nicolaum*, qui postea, regnante *Carolo IX*, hoste Reformatorum, primo in Delphinatum, deinde Genevam, abiit, ibique *Saram Curcellæam*, *Firmini Curcellæi* filiam, & sororem celeberrimi *Stephani Curcellæi*, Professoris Theologiæ apud Remonstrantes, in matrimonium duxit. Iste *Nicolaus*, præter alios liberos, procreavit *Davidem Clericum*, Professorem deinde linguarum orientalium, & *Stephanum*, medicæ artis Doctorem, Græcæ linguæ Professorem, & Reipublicæ Consiliarium. Posterior horum e *Susanna Galatina*, *Martini Galatini* filia, tres suscepit natos, *Danielem*, qui major natu sua artis medicæ Historia inclaruit, & Consiliarii munere functus est; *Franciscum*, qui minimus natu mercaturam exercuit Lipsiæ; & *Joannem* nostrum, qui medius inter duos fratres a prima juventute visus est sequi vestigia patrui & parentis. Missus enim anno ætatis octavo in scholam, per quinque ordines commilitonibus palmam præripuit. Tredecim annorum puer Gallicam versionem *T. Livii* multo studio perlegit, clausis eum in finem foribus cubiculi sui. Cum ad eos scholæ ordines adscenderet, ubi Latina Carmina redduntur a pueris, tam dextre & celeriter confecit pensa, ut per reliquum sibi tempus commilitonum tarditati subvenire optime posset. In altioribus scholæ ordinibus Græcæ & Latinæ linguis addiscendis totum se tradidit, *Terentium*que, *Plautum*, *Homerum*, & alios scriptores utriusque linguæ, sedulus evolvit. A. 1673, ætatis sexto & decimo, præeunte *Roberto Chouet*, Philosophiæ *Cartesianæ* operam navavit; sequente tamen anno febri violenta per quadraginta dies impeditus, & morti proximus fuit. Recuperata valetudine, cum ob infirmitatem membrorum lente scribere cogeretur, nitidos atque elegantes conficere literarum ductus didicit. Circa istud tempus Epistolas criticas *Tanaquilli Fabri* in deliciis habuit, sed vidit etiam tum, quasdam viri doctissimi observationes non firmo niti fundamento. Quam in rem breves Dissertatiunculas confecit juvenis, &

& cum patre doctiſſimo communicavit, quas tamenipſe *Joannes* noſter poſtea diſcerpſit, quamvis jam ſenex in Arte critica mentionem illarum fecerit, &, quasdam ex iis utique ſolidiſſimas fuiſſe, probe oſtenderit. Atque in hoc curſu ſtudii philoſophici ſub magiſtro ſuo Theſes quasdam de eſſentia materiæ ventilavit. Finito autem Philoſophiæ ſtudio, progreſſus eſt ad ſcientias *Theologicas*, poſtquam antea per annum integrum literas, quæ ad humanitatem pertinent, &, præeunte *Jacobo Galatino*, propinquo ſuo, linguam Hebraicam, tractaverat. Theologiam ipſam A. 1676, ætatis decimo nono, colere cœpit, perque duos annos & quod excurrit, ducibus *Philippo Meſtreſato*, *Franciſco Turretino*, & *Ludovico Tronquino*, coluit quam diligentiſſime. Præterea *Wendelini* Syſtema, Theſes Salmurienſes, Controverſias *Lud. Crocii* cum *Becano*, ſacrarum literarum interpretes, atque inter illos *Grotium*, *Samuelis Bocharti* Opera, & id genus alia, legit. Mortuo patre A. 1676 Gratianopolin tendens, magiſtri morum functus eſt munere. Qua in urbe cum doctiſſimo *Lamio* verſatus eſt, & quædam in ſacrum Codicem, cumprimis in Epiſtolam *Pauli* ad Romanos, commentari cœpit. Transacto anno Genevam rediit cum diſcipulo *Saraſino*, & per impoſitionem manuum ſacro miniſterio dignus judicatus eſt, quamvis nulli adhuc eccleſiæ præficeretur, uti in iſta provincia moris eſt. Venit ipſi tunc temporis in manus *Stephani Curcellæi* Quaternio. Reverſus ergo Gratianopolin, omnia viri Opera, quæ A. 1674 cura *Philippi a Limborch* prodierant, comparavit, utpote rariſſima Genevæ. Convictus dicitur lectione horum librorum de veritate doctrinæ Remonſtrantium, & confirmatus in hac ſententia, cum A. 1680 in Academia Salmurienſi, quam cum diſcipulo Gallicæ linguæ purioris ergo petierat, in *Epiſcopii* libros incidiſſet, eosque maxima cum cura perlegiſſet. Iſta ætate prodiit libellus ſequens: *Liberii de S. Amore Epiſtolæ Theologicæ, in quibus varii Scholaſticorum errores caſtigantur. Irenopoli, typis Philalethianis;* quem libellum Autor Elogii aperte dicit fœtum

Clerici.

Clerici. Anno insequente 1680 Gratianopolin denuo reversus, multa cum admiratione perorantem sæpe audivit *Camum*, Episcopum, & postea patrem purpuratum. Mense vero Aprilis testimoniis Theologorum, ibi viventium, munitus, Lutetiam Parisiorum profectus est, & deinde Londinum petiit sub finem Maji A. 1682. Ibi linguam Anglicanam magno cum studio sibi familiarem reddens, *Henrici Hammondi* Cathechismum practicum & Observationes in Nov. Test. interpretatus est. Ceterum plus vice simplici orationes sacras Londini habuit, lingua tamen Gallica usus. Visis etiam quibusdam viris eruditis, in Belgium abiit A. 1683, comite *Gregorio Leti*, ex Anglia pulso, & multis annis post *Clerici* nostri socero. Via autem profectus est, quæ ducit Amstelodamum, ut viseret *Limborchium* suum, a quo ea se comperisse fassus est, quæ scire gestierit. Sed, media æstate iter ingressus ad suos, Roterodamum cum transiret, occasione usus est invisendi doctissimum *Jurieu*, simulque orationem sacram pro concione habendi. Genevam ergo, patriam urbem, attingens, esse sibi animum, declaravit suis, reverti in Belgium, quo fructus ingenuæ libertatis ibi capere posset. Quo peracto consilio, autumni tempore Amstelodamum rediit, & initio anni sequentis A. 1684 in æde Remonstrantium singulis Veneris diebus sacros sermones habuit, donec a societate Remonstrantium Philosophiæ, bonarum artium, & Hebraicæ linguæ, Professor crearetur. Brevi antea conscribere cœperat Doctrinam moralem, quam vero nunquam absolvit; porro Versionem Observationum *Hammondi* in Nov. Test. quæ multo serius lucem adspexit; denique Tractatus duos, quorum titulus: de Irenoplitana Republica, & Parrhesiadæ Apologi, quorum tamen neuter editus est. Eodem vero anno 1684 patrui *Davidis Clerici* Quæstiones sacras, & patris *Stephani Clerici* Diatribas singularis argumenti, edidit, & annotationes adjecit, præmissa Præfatione, in qua vitam utriusque exposuit. Initio anni 1685 prodiere Colloquia de diversis rebus Theologicis, divisa in duas partes, quarum prima con-

continet quæstiones de gratia immediata, de libero arbitrio, & de peccato originis, Autore *Carolo de Cene*, Gallo; altera agit de incertitudine Methaphysices, & de prædestinatione, autore *Clerico* nostro, qui hac occasione adjecit paraphrasin, ex Opere *Hammondi* desumtam, in *Rom. IX, X, & XI.* Illi vero de Metaphysices incertitudine disceptationi *Petrus Papinus* doctrinis suis metaphysicis, & miris, quæ inde duci poterant, consequentiis, suppeditarat ansam. Eodem A. 1685 publici juris fecit *Clericus* librum sequentem: *Sentimens de quelques Theologiens*, &c. Judicia quorundam Theologorum Batavorum de Historia critica Vet. Test. conscripta a *Richardo Simone.* Autor Elogii refert, huic scribendo ansam dedisse inhumanitatem *Richardi Simonis*, cum quo *Clericus* suam de Bibliis Polyglottis a *Simone* edendis, & de Historia ejus critica, sententiam communicaverat quidem, uti ab omnibus eruditis publice efflagitaverat *Simon*, sed responsionis loco plenas summæ inhumanitatis literas per orbem volitantes videbat. Integro ergo libro *Richardum* hunc docere voluit, rem ipsi esse non cum homine solidioris doctrinæ experte, & ad judicandum de rebus ejusmodi inepto, sed cum viro rerum gnaro, Criticoque peracuto. Respondit quidem bis *Richardus Simon*, assumto nomine *Bollevillani*, postquam primam ex his responsionibus secuta erat adversarii Defensio judiciorum, &c. at vero finivit tandem silentio suo litem *Clericus*, quippe qui majora reipublicæ literariæ emolumenta parabat. Edere enim cœpit A. 1686 primitias Diarii erudito orbi gratissimi, *Bibliothecam* putamus *universalem & historicam*, quam initio conscripsit socio *Jo. Cornando de la Crose*, id quod latuit diu eruditos, donec *Cornandus* nomen utriusque sub calcem *Tomi IV* apponeret. Postea unusquisque illorum dimidiam partem cujusque *Tomi* confecit, donec tandem in *Tomo IX Clericus* distingueret lucubrationes suas a laboribus socii. *Tomus X* solum *Clericum*, & *XI* solum *Cornandum*, autorem agnoscunt. Tandem plane ab opere cessavit *Cornandus*, ita, ut, si *Tomum XIII* ex-

 cipi-

cipias, in quo præter *Articulos 8* & *15* nihil elaboravit *Clericus*, reliqui *Tomi* a *XII* usque ad *XIX*, imo maxima ex parte etiam *XX*, a *Clerico* solo fuerint elaborati. Quicquid in vicesimo reliquum est, & ceteri *Tomi* usque ad *XXV*, labores sunt *Bernardi* illius, qui *Republica* sua *Literaria* eruditis innotuit. A. 1687 typis excudi curavit Noster, præmissa Præfatione, patrui sui, *Davidis Clerici*, Orationes, Computum Ecclesiasticum, & Poemata, adjectis Philologicis Dissertationibus patris, *Stephani Clerici*. Anno, qui antecesserat, 1686 ex Anglicana lingua transtulerat *Burneti*, amici sui, Criticam libri IX Historiæ a *Varillasio* scriptæ; hoc ipso ergo insequente anno Defensionem hujus Criticæ, & A. 1689 tres Orationes *Burneti*, vulgavit. A. 1690 in Latinam linguam transtulit, notisque in Oracula Chaldaica, & Indice philologico, auxit, *Thomæ Stanleji* Historiam Philosophiæ Orientalis, quæ pars est Historiæ ejus antiquæ, a *B. Oleario* latinitate donatæ, qui istam *Clerici* versionem integram retinuit, & reliqua tantummodo transtulit. Eodem anno, dubio procul jussu Societatis Remonstrantium, strenue defendit *Episcopium*, quem *Juriæus* in Tabula Socinianismi male tractaverat. Annis 1691 & sequentibus sexta vice lucem adspexit Dictionarium *Morerii*, correctum auctumque a *Clerico*, qui in tertia sua editione Belgica observationibus *Balii*, cujus Dictionarium prima vice vendebatur, passim usus est, & quartam deinceps editionem *Moreriani* Lexici A. 1702 curavit. Quandoquidem mentio facta est anni 1691, Autor Elogii dicenda quædam putavit de conjugio *Clerici*, quod inierat hoc ipso anno cum virgine lectissima, *Maria Leti*, *Gregorii Leti* filia, ex qua susceptos quatuor infantes morte præmatura amisit. Unus filius *Gregorius* ad octavum duntaxat ætatis annum pervenit. A. 1692 tum Logicam, seu Artem ratiocinandi, tum Ontologiam & Pnevmatologiam, edidit. Omnium autem laborum ejus præstantissimus sine dubio fuit, quem Commentariis sacris impendit, quorum pars, Genesin complexa, A. 1693, pars vero, ceteros Pentateuchi libros continens,

A. 1695.

A. 1695, lucem adſpexit. Interea rogatus a nonnemine *Clericus* de ſenſu verborum in principio Evangelii *Joannis*, 18 priora commata *Capitis primi* paraphraſi & animadverſionibus illuſtravit, & primo quidem Pentateucho ſuo adjecit, deinde ſeorſim edidit. Peculiari quoque libello & contra Alogos demonſtravit, Evangelium hoc eſſe fœtum *Joannis*, & *Fauſti Socini* evertit de ſenſu primorum ejus commatum errores. Phyſica quoque *Clerici* hoc anno prodiit, totumque ita Opus ejus philoſophicum ad finem perductum, & deinde varimode editum eſt; quo perlecto, nullius in verba juraſſe, ſed veritatem ſolam magni feciſſe Noſtrum, cuilibet patebit. Ars critica *Clerici*, liber præſtantiſſimus, prima vice lucem adſpexit A. 1696 Voluminibus *II*, quarta vice A. 1712. Eodem anno 1696 ſecunda vice prodiit *Armandi Joannis Richelii*, Purpurati, vita, opus ἀνωνύμως a *Clerico* conſcriptum, quod ipſe in editione tertia A. 1714 ultro faſſus eſt. Eodem anno non modo ſine adjecto *Clerici* Autoris nomine exiit Tractatulus: *Reflexions ſur ce, qu' on appelle bonheur & malheur en matiere des Loteries*, ſed etiam nomen ejus in fronte gerens prodiit Tractatus de incredulitate, adjectis duabus Epiſtolis, qui poſterior Tractatus, cum A. 1714 recuderetur, auctus eſt Diſſertatiuncula, illis ſcripta, qui de veritate religionis Chriſtianæ dubitant. A. 1697 & 1707 prodiit ejus Compendium Hiſtoriæ univerſalis ab initio mundi ad tempora *Caroli M.* A. 1698 publici juris factum eſt N. Teſtamentum *Hammondi*, latinitate donatum a *Clerico*, & recuſum Lipſiæ A. 1714 Anno eodem 1698, inſtantibus librariis, *Jo. Baptiſtæ Cotelerii* Patres Apoſtolici, nonnullis Anglorum libellis, & Præfatione notiſque *Clerici*, aucti, anno vero 1724 auctiores denuo redditi, prodierunt. Annexæ ſunt duæ Diſſertationes de Conſtitutionibus, quæ Apoſtolicæ dicuntur, & de Epiſtolis S *Ignatii*, contra *Whiſtonum*, Anglum, qui, Arianorum fautor, Conſtitutiones illas a Jeſu Chriſto ejusque Apoſtolis eſſe, & Epiſtolas *Ignatii* nullibi ſpurias deprehendi, affirmaverat. *Parrhaſiana Clerici* accepit respubli-

ca literaria A. 1699, iterumque A. 1701. Accepit etiam tum Harmoniam Evangeliſtarum & Epiſtolas Criticas, quibus tertia pars Artis criticæ conficitur. Ibi cauſam ſuam egit potiſſimum adverſus *Guil. Caveum* & *van der Wayen*, Prof. Franecqueranum, *Publii Ventidii* nomine appellatum. Neque vero hic *Tolandi* oblitus fuit, qui, in Anglia ſeſe amicum & diſcipulum *Joannis Clerici* jactitans, magiſtro errores omnes ſuos tribuerat. A. 1700 *Petavii* Dogmata Theologica prodierunt, obſervationes hinc inde ſubjiciente, & quædam præfante, *Theophilo Alethino*, hoc eſt, *Clerico*. Idem annus vidit ejus *Quæſtiones Hieronymianas* doctiſſimas, in quibus expenditur *Hieronymi* editio Pariſienſis, oſtenditurque, neque *Hieronymum*, neque editorem ejus, *Martianæum*, Benedictinum, Hebraicam & Græcam linguam bene calluiſſe. Eodem tempore *Heſiodum* cum notis *Grævii* & variorum ſuoque Commentario edidit. Ad finem anni 1702, nomine uſus *Theodori Gorali*, duos libellos poeticos, Latino idiomate ſcriptos, vulgavit. Alter horum continet *C. Pedonis Albinovani* Elegias III & Fragmenta cum notis variorum, alter *P. Cornelii* Ætnam cum Fragmentis, & *P. Bembi* Ætnam. Inſperſa fuit modeſta defenſio adverſus *Perizonium*, cui judicium *Clerici* de *Q. Curtio*, Arti criticæ inſertum, minus arriſerat, quin potius in notis ad *Ælianum* perſtrinxerit *Clericum*, & poſtea rurſus, viſa ejus defenſione, integro libro *Curtium* vindicare niſus fuerit. Cauſam tamen ſuam ſtrenue egit *Clericus* in Diario novo, de quo hac occaſione diſſerit Elogii Autor doctiſſimus. Scilicet, *Bibliothecæ univerſalis* continuationem ſedulo efflagitantibus multis, *Clericus* tandem A. 1703 *Bibliothecam ſelectam* ſcribere cœpit. Eodem anno, *Joannis Phereponi* nomen mutuatus, notas in *Auguſtinum* publicavit, easque Appendicis *Auguſtinianæ* nomine addidit Operum alteri Volumini, varios Tractatus, ad rem pertinentes, complectenti. Eadem ætate *Petavii* Doctrina temporum Voluminibus *III* in *fol.* cum Præfatione *Clerici* prodiit, hujusque Novum Teſtamentum Voluminibus *II* in 4 prelum reliquit. Luctu tamen

men domestico interrupti sunt labores, quandoquidem filium unicum, *Gregorium*, optimæ spei ac indolis puerum, annum ætatis octavum agentem, morte præmatura sibi ereptum doluit. Cum callum obduxisset paululum parentis vulnus, Elucidationem quorundam locorum Novi Testamenti, a se editi, conscripsit, ut quibusdam occurreret hominibus, qui, Socinianorum & Sabellinianorum errores ibi inveniri, clamitabant. Erat inter hos *Fetisonius*, ecclesiæ Gallicanæ, quæ Berolini est, minister, qui & sermonibus publicis & precibus rem eo perduxerat, ut publice vendi liber prohiberetur. A. 1704 *Nicolai Sansonii* Geographiam S. denuo editam, Notis in Indicem Geographicum, & Præfatione, ornavit. A. 1705 *Sansoniorum* Atlantem antiquum sacrum, ecclesiasticum, & profanum, correctum & passim mutatum, Præfatione auxit, de Bibliopolæ tamen, lucri cupidi, ideoque minus sibi obsequentis, pertinacia multum questus est. Anno eodem consilium suum de conficienda *Anthologia* nova cum eruditis communicavit, neque tamen illud exequi potuit. A. 1707 edidit Onomasticon urbium & locorum Scripturæ Sacræ, ab *Eusebio* conscriptum, ab *Hieronymo* auctum, & a *Bonfrerio* jam olim A. 1631 publicatum. Eodem anno *Erasmi* Opera recudenda curavit. Sequens annus 1708 dedit eruditis alterum Volumen magni Operis *Clericani* in sacrum Codicem, complectens libros Vet. Test. historicos, *Josuam*, *Judices*, *Rutham*, *Samuelem*, *Reges*, *Paralipomena*, *Esdram*, *Nehemiam*, & *Estheram*, adjectis in fine duabus Dissertationibus de Sanhedrin, & de lepra, quarum postremam de lepra totam ferme ex literis fratris sui *Danielis Clerici* exscriptam esse, ipse fatetur. Tum temporis in Anglia se *Joannem Clericum* simulavit, multisque hominibus hac fraude, suum in commodum, imposuit, monachus quidam, nomine *Fridericus Augustus Gabilonius*, qui nihilo secius, in Belgium reversus, eidem *Clericano* nomini, quo antea in lucrum suum uti potuerat, labem infligere ausus est, notatus idcirco a *Clerico* duabus Epistolis, d. 16 & 24 Maji ad *Bernardum* datis. A. 1709 *Sulpicium Severum*

Lipsiæ per *Thomam Fritschium*, *Grotium* autem de Veritate religionis Christianæ, & *Vavassoris* Opera, præmissa Præfatione, itemque *Menandri* & *Philemonis* Fragmenta, nova versione addita, Amstelodami recudenda curavit. A. 1710 *T. Livium* cum *Supplementis Freinshemii*, Voluminibus X in 8, & *Wassii Sallustium*, adjecta vita Editoris, in 4; anno vero 1711 *Æschinis* Dialogos, *Platoni* falso tributos, additis Sylvis philologicis, in 8, eodemque anno *Philargyrii* Cantabrigiensis, amici cujusdam, incogniti tamen, Emendationes in *Menandri* & *Philemonis* reliquias ex nupera editione *Joannis Clerici*, ubi quædam *Grotii* & aliorum, plurima vero *Phileleutheri* Lipsiensis, errata castigantur, Præfatione addita, in lucem emisit. Quo loco illud notandum, sub *Phileleuthero* Lipsiensi, cujus prodierant Emendationes in *Menandri* & *Philemonis* Reliquias ex nupera editione *Joannis Clerici*, ubi multa *Grotii* & aliorum, plurima vero *Clerici*, errata, castigantur, sub hoc, inquam, *Phileleuthero*, latere *Bentlejum*, Anglum. Causas odii *Bentlejani* pluribus memorat Autor, allegatque *Acta* nostra *A. 1711 pag. 33*, ubi *Phileleutherus* personatus variorum errorum convincitur, quamvis eruditissimi ceterum viri nomen ipsi nequaquam denegetur. At, quis *Philargyrius* iste sit, defensor *Clerici*, dubium est. *Berglerum*, Ultrajectinum, suspicatur Elogii Autor, atque hoc, præter alia rei documenta, ex stili quoque æqualitate patere ait. Postquam A. 1710 Opera *Clerici* philosophica cum Præfatione *B. Jenichenii*, in qua vita *Clerici* brevissimis recensebatur, Lipsiæ prodierant, Bibliopola Belgicus, suis commodis timens, pari ratione vitam Philosophi sui præmittendam quæsivit, præmisitque vere A. 1711, vel ab amico conscriptam, & a *Clerico* revisam, vel ab ipso *Clerico* confectam, de quo lætentur, fas est, eruditi. A. 1712 Pervigilium Veneris & plura Poemata Latina, cum notis variorum & Anonymi, qui *Clericus* est, in lucem missa sunt. Eodem anno Oratio funebris, quam in obitum amici, *Philippi a Limborch*, d. 30. April. habuerat, typis excusa est. A. 1714, mortuo typographo, qui *Bibliothecam selectam* typis descripserat, hæsitans *Clericus*, dubiusque,

utrum

utrum in conscribendo isthoc Diario progrederetur, nec ne, tandem paruit quorundam amicorum precibus, & continuavit suos labores. Novo tamen eos nomine *Bibliothecæ antiquæ & hodiernæ* insignivit, continuatisque deinde illis usque ad A. 1727, octo & viginti Volumina, unumque præterea Tabulis generalibus, implevit. Accepto post mortem *Limborchii* Historiam Ecclesiasticam docendi munere, eandem in usum auditorum illustrare scriptis suis statuit, fecitque felix laboris auspicium A. 1716, edita in 4 Historia duorum primorum a Christo nato Seculorum, cui ampliora prolegomena præmisit. Profanæ autem historiæ specimen fuit Belgii Fœderati Historia, cujus *Tomus I* prodiit A. 1723, cum explicatione historica monetarum, quæ ipsa tamen non *Clerici*, sed doctissimi de *Limiers*, labor est. *Tomus II & III* lucem viderunt A. 1728. Tandem ex voto omnium duo postrema Volumina Commentariorum in sacrum Codicem A. 1726 excudi cœpere, atque A. 1731 prodiere, complexa non tantum Hagiographa, sed & partem Prophetarum, quibus ultimam manum adjicere Autor non potuit, vicesque ideo suas amico cuidam permittere coactus est. En enim statum tristissimum, quo redactus est *Clericus*, dum A. 1728 in prælectionibus suis publicis omnem facultatem loquendi, & deinde etiam reminiscendi, magis magisque amisit, anno vero 1734 uxore dilectissima privatus est, donec & tandem initio anni 1736 in ædibus *Gabrielis de Normandia*, qui filiam *Danielis Clerici* in matrimonio habebat, d. 8 Januarii, exacto fere anno ætatis nono & septuagesimo, integris semper servatis pensionibus suis, placide diem obiret supremum. Additur hic Elogium Viri celeberrimi, laborum patientissimi, suisque civibus, si paucos excipias, nunquam non carissimi. Mentio insuper injicitur Orationis funebris, in obitum ejus publice d. 24 Febr. habitæ in templo Remonstrantium a *Wetstenio*, in munere successore. Vitæ vero ejus ratio vivis, iisque, uti par est, amœnissimis, depingitur coloribus. Discas hinc, affabilem fuisse *Clericum*, quibusvis exteris aditum conveniendi libenter dedisse, atque inter tot ac tantos labo-

labores commercium tamen coluiſſe cum viris per totam Europam clariſſimis, quorum nomina adjiciuntur. Amaſſe virtutem, pietatem, religionem, vitamque egiſſe ſine labe omni, ringente licet invidia, & fruſtra morſus ſuos tentante. Eruditione fuiſſe ſcientiaque vaſtiſſima, judicio peracri, & ingenio plane divino. Homo autem quod fuerit, & nihil humani a ſe alienum ſenſerit, non eſſe mirandum. Eſſe enim hoc maximorum hominum, Criticorum etiam, ut errent interdum, quod lepido *Salmaſii* exemplo illuſtratur. Sufficere in *Clerico* noſtro, quod tot ac tantis, tamque diverſis, laboribus diſtentus, rariſſime tamen erraverit. Neque obſtare famæ ejus & gloriæ immortali multitudinem adverſariorum. Nihil enim homini nato in libera republica, & libertate loquendi ſcribendique, qua gaudet, utenti, exſpectandum eſſe aliud, quam furorem illorum, qui, hujusmodi libertate privati, autoritatibus ſolis pugnare didicerunt. Eſſe tamen ſimul cogitandum, quam multi viri eruditi & ſapientes de *Clerico* ſcriptiſque ejus optima quæque ſenſerint; atque idcirco merita viri non æſtimanda eſſe ex multitudine amicorum & inimicorum, ſed ex pretio & ſapientia utrorumque. Moderatiorem paulo a nonnullis optari *Clericum*, ſed iſtam moderationem animi non in omnibus ejus diſceptationibus æque requirendam eſſe. Ceterum olim certiſſime futurum, ut omni odio perſonarum deſtituta, & majori cum libertate mentis, majori etiam cum æquitate, judicans, poſteritas, memoriæ *Joannis Clerici* det ea omnia largiſſime, quæ homines, una eademque ætate cum ipſo viventes, injuſto plane modo ipſi auſi ſint detrahere. In calce adjectum eſt aliud elogium *Clerici*, forma epitaphii compoſitum, triginta commatibus conſtans, autore *Guilielmo Sudermanno*, oraculorum divinorum apud Delphenſes interprete. Eſt hoc pie, eleganter, & acute, ſcriptum, dignumque ejus Viri manibus, quem, ſi nulla alia merita, certe eruditionis veræ conſtans amor, hujusque pomœria longius proferendi inſolitus & nunquam fatigatus ardor, colendum bonis omnibus, exquiſitisque proſequendum laudibus, commendant.

)o(

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anno MDCCXXXVII.

S. PONTII MEROPII PAULINI, SENAtoris & Consulis Romani, deinde Nolani Episcopi, Opera, quatuor integris Poematibus, quæ, ex Ambrosiana Bibliotheca pridem eruta, modo secundis curis recognovit D. LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, auctoria demum atque absoluta.

Veronæ, typis Dionysii Ramanzini, 1736, fol. Alph. 6 plag. 16.

Paulinum magnum in ecclesia Virum fuisse, ejusque Opera plurimi semper æstimata, clarissima *Ambrosii, Augustini,* & *Hieronymi,* testimonia plus satis declarant. Quod cum viri recentiorum temporum doctissimi, & in rebus ecclesiasticis versatissimi, viderent, suis illi partibus deesse noluerunt. Natæ inde complures & variæ sunt *Paulini* Operum editiones, inter quas adhuc tenuit primas Parisiensis illa, quam *Joannes Baptista le Brun,* diligenti studio ad MStorum Codicum fidem accurate exactam, Notisque ac Dissertationibus illustratam, A. 1685 publicavit. Ex quo factum est, ut Cel. *Muratorius* hanc ipsam editionem Parisiensem perpetua ferme serie atque ordine sequendam, & ad ejus ingenium ea etiam, quæ nunc demum accesserunt, digerenda, putaverit. Inter varias autem prærogativas, quibus hæc nova editio præ Pari-

fienfi illa gaudet, illa fine controverfia eft maxima, quod integra quatuor Poemata, quæ temporum infelicitate tunc nondum in lucem adfpectumque protracta erant, nunc primum Operibus *Paulini*, in unum corpus redactis, accefferunt. Contigit enim, ut aliunde jam conftare putamus, Cel. *Muratorio*, feliciffimo veterum monumentorum indagatori, hæc ipfa Poemata ex Ambrofianæ, quæ Mediolani eft, Bibliothecæ MStis eruere. Quod detrimentum Operibus *Paulini* hoc gravius adhuc fuiffe cenfendum eft, quod feries Natalium S. *Felicis*, fingulari poemate celebrari a *Paulino* quotannis folitorum, interciperetur. Neque tamen Doctiff. Editor habuit fatis, hæc Poemata eadem, qua jam ante, ratione iterum proferre, & Operibus *Paulini* inferere; fed Differtationes fimul & Notas in illa fcriptas recoluit, &, quæ fibi vel uberius edifferenda, vel quoquo modo immutanda, viderentur, edifferuit ac mutavit. Ipfa *Paulini* Opera in *duas* funt *Partes* divifa, quarum *altera*, quæ foluta oratione conftant, complectitur, h. e. *Epiftolas LI, juxta ordinem temporum difpofitas*, ac *Paffionem S Genefii Arelatenfis*. *Altera* vero *Pars* exhibet *Poemata XXXI*, fecundum temporum rationem difpofita. Et, quemadmodum *Parti primæ* præmittitur *Paulini* vita, ex ipfius & veterum fcriptorum Operibus concinnata, fic alteri fubjicitur Appendix, ea, quæ falfo tribuuntur *Paulino*, comprehendens, fcilicet *Epiftolas ad Marcellam*, & *ad Celanciam*, *Poema ad conjugem*, & *de nomine Jefu*. Ibidem habentur Differtationes VII in vitam *Paulini* & fcripta, quarum 1) exponit de *Paulini* Epiftolis, feu earum ordine chronologico argumentis demonftrato; 2) de Poematibus ejusdem, five eorum ordine chronologico; 3) de *Sulpicio Severo* & *Alethio*, Presbyteris, ad quos fcripfit *Paulinus*; 4) quis fuerit *Victricius*, ad quem *Paulinus* binas fcripfit Epiftolas; 5) quis fuerit *Aper*, ad quem idem *Paulinus* tres dedit Epiftolas; 6) de Operibus *Paulini* amiffis, dubiis, & fuppofititiis; 7) de captivitate *Paulini*, & quo cumprimis tempore illa acciderit. Sed, licet hæc jam in Parifienfi leguntur editione, tamen noviter jam accedunt Cel. *Muratorii* Differtationes in *Paulini* Poe-

Poemata XXII de *Turcio Aproniano*, de *Asterio*, *Turcii Aproniani* filio, de *Avita* & *Eunomia*, de *Ælina*, de *Therasia*, de *Piniano*, de *Melania*, de *Æmilio*, Beneventano Episcopo, de *Paulini* dignitatibus, de *Paulino*, Campaniæ Consulari, & de reliquis ejusdem rebus gestis, de tempore suscepti a *Paulino* Episcopatus, de ædificiis Nolæ a *Paulino* conditis, de S. *Felice Nolano*, de anno, quo *Protasii* & *Gervasii* corpora per *Ambrosium* inventa fuerunt, de templorum apud veteres Christianos ornatu, ac de diurno in eis cereorum usu, de veterum Christianorum sepulchris, de votis votivisque Christianorum oblationibus, in Sanctorum venerationem factis, de sanctorum Martyrum natalibus, de *Paulini* sententia in elementorum numero assignando, de cruce Nolana, ac denique Spicilegium ex Operibus *Paulini* deperditis. Has Cel. Editoris Dissertationes excipiunt notæ & observationes variorum in *Paulini* Opera, & variantes lectiones ex MStis & editis codicibus. Præter Indicem rerum & personarum adest etiam Syllabus Codicum, ad quos recognita sunt S. *Paulini* Opera, Index locorum Scripturæ Sacræ, qui explicantur, vocumque insolitæ significationis.

HISTOIRE DES DECOUVERTES ET CONquestes des Portugais, &c.

h. e.

HISTORIA RERUM IN DETEGENDIS occupandisque provinciis novi orbis a Lusitanis gestarum, una cum Tabulis æneis; Autore R. P. JOSEPHO FRANCISCO LAFFITEAU, Societatis Jesu.

Tomi IV.

Lutetiæ Parisiorum, 1734, 12 maj.
Tom. I Alph. 1 plag. 13, Tom. II Alph. 1 plag. 15, Tom. III Alph. 1 plag. 20, Tom. IV Alph. 1 plag. 21, cum Tabb. æn. 5.

Nota jam pridem eſt inſignis in remotioribus orbis terrarum partibus deſcribendis dexteritas Rev. Patris *Joſephi Franciſci Laffiteau*, Societatis Jeſu Presbyteri, cui Hiſtoriam hanc, qua Luſitanorum in expiſcandis ſibique vindicandis novi orbis regionibus res geſtæ exponuntur, reſpublica literaria, poſt tot alia ſimilia, quæ edidit, ſcripta, debet. Nempe merendi ita de Lectoribus, qui ex narrationibus hujusmodi levamentum graviorum ſtudiorum quærunt, occaſionem illi facilem ſubminiſtrat muneris ratio, qua miſſionum Societatis Jeſu ei ratio reddenda eſt Illuſtriſſimo Comiti *Maurepaſio*, commentarienſi ſtatus & regni adminiſtro. Manum huic operi admovit, quod, cum Hiſpanorum in occupandis Mexicanis Peruvianisque terris expeditiones juſtis operibus, in linguam Gallicam converſis, deſcriptæ exſtent, de Luſitanis nihil ſimile patrio Gallorum ſermone legeretur. Lucem ſane jam ante annos plus centum & quinquaginta adſpexit Hiſtoria Portugalliæ, qua expeditiones, navigationes, & res geſtæ potiores Luſitanorum cum in expugnatione Indiæ ad Orientem vergentis, tum in bellis Africæ, exponuntur; ſed verſio ea eſt Chronici Regis *Emanuelis*, ab *Oſorio*, Epiſcopo Sylvenſi, contexti, ſcriptorumque *Lopezii de Caſtagneda*, & partem tantum hiſtoriæ hujus, rebus alienis plurimis refertam, complectitur. Ipſis quidem Luſitanis non deſunt libri, unde ſitim levare poſſint, qui harum rerum cognoſcendarum ſtudio tenentur, pertinentque huc præter laudatos jam ſcriptores, ex quibus *Caſtagnedæ* hiſtoria inventæ captæque Indiæ Conimbræ A. 1552 prodiit, *Joannis de Barros* hiſtoria Indorum, cujus tres Decades, ſummis laudibus exceptas, ita, ut ſcriptor ille *Titi Livii* Hiſpanici elogio ornaretur, A. 1552, 1553, & 1563, vivus ipſe vulgavit, quartam ex ſchedis Autoris regio juſſu produxit *Jo. Baptiſta Lavanha*, Hiſtoriographus *Philippi III.* Multa in ea mutavit, addidit, & reſecuit Editor, ac res poſt fata Autoris geſtas attexuit. Ejus editio Madritenſis e typographia regia & chartæ & literarum nitore excellit, tabulisque Geographicis inſtructa eſt. Continuavit *Joannis de Barros* Hiſtoriam *Didacus Docouto*, edita Ulyſſipone

ne IV, V, VI, & VII Decade A. 1602, 1612, 1614, & 1616. Elaboravit & sequentes Decades usque ad XII, sed eæ lucem non adspexere, asseruntur que in Bibliothecis MStæ, quo pacto octavam & nonam in supellectile libraria nobilissimi *Couvei*, regii Commentariensis, se vidisse, Rev. Autor testatur. Quinque Libros duodecimæ Decadis Rothomagi A. 1645 publici juris fecit *Emanuel Fernandez de Villareal*, ablegatus Lusitanorum apud Gallos. Pertinent huc porro *Maffei* Historia Indica, ad mortem *Joannis III* perducta, & *Antonii de Sancto Romano* liber, ex Latino fere *Maffei*, sed impari successu, translatus, ut & *Emanuelis de Faria & Sousa*, Equitis Ordinis Christi, Europa, Asia, Africa, & America Portugallica. Quibus accedunt scriptores, qui Regnum eorum, sub quibus Lusitani in exteris orbis terrarum partibus plurimum sibi laudis peperere, vitas literis prodiderunt, ex quibus celebriores *Hieronymus Osorius*, *Damianus Goes*, & *Franciscus Antrada*, aut narrationes singulares, cujusmodi Commentarii *Alphonsi Albuquerquii*, Vita Proregis *Jo. de Castro*, & Historia *Antonii Pinti Pereiræ*, atque alia similia, procuderunt. Ex fontibus his atque aliis sua equidem hausit Rev. Autor, sed circumspecte admodum, ita, ut eos potissimum scriptores sequeretur, qui ex instituto & autoritate publica tabularia Goense & Ulyssiponense, & Commentarios privatos eorum, qui rerum summæ vel in Lusitania, vel in novo orbe, præfuerunt, ante oculos habentes, ad scribendum accesserunt. Historiæ autem hujus filum non ulterius deduxit, quam ad ea usque tempora, quibus Hispaniæ Portugallia juncta est, quod tum Lusitanorum in partibus exteris imperium labefactari, resque eorum adeo pessum ire cœperunt, ut prodigio simile sit, non omnia eos perdidisse. Opus universum in *quatuor* divisum est *Tomos*. *Primus*, ab anno duodecimo Seculi XV orsus, in nono Seculi XVI definit; *alter* inde ad annum vigesimum primum, ad quadragesimum sextum *tertius*, progreditur; *quartus* sub annum octogesimum primum ejusdem Seculi tractationi finem imponit. Ceterum Rev. Autor, utcunque temporum seriem sequitur, eamque ob

 cau-

caufam annorum pariter Regumque, fub quibus gefta funt omnia, indicium margini adfcripfit, ordinem chronologicum nimis fcrupulofe fectandum haud duxit, præftare ratus, ut junctim uno loco exponeret, quæ, tametfi diverfis temporibus acciderunt, ad unius tamen rei accuratiorem notitiam adipifcendam fimul narranda videbantur.

GREGORII RIVII PURITANI MONAftica Hiftoria Occidentis fcabra & falebrofa floribus conftrata, fefamo & papavere delibuta, ubi fexcenti fcrupuli lævigantur, fcriptores, huc fpectantes, quamplurimi emendantur, explicantur, fupplentur, & illuftrantur, in ufum Evangelicorum in tres Tomos divifa, cum Figuris æneis, & Indice locupletiffimo.

Lipfiæ, impenfis Jo. Chriftiani Martini, 1737, 8. Alph. 1 plag. 15.

Georgius Burchardus Lauterbachius, a fecretis Bibliothecæ Ducalis Wolferbuttelanæ, hujus Opufculi Autor, de orbis literarii utilitatibus inter Proteftantium gregem egregie fuit meritus, dum in compendio eis, qui Ordinum monafticorum prorfus funt ignari, hiftoriam rei monafticæ occidentalis & jucunde & falfe dedit enarratam. *Ludovici Helyoti* ac *Philippi Bonanni* Opera Evangelicorum compluribus jufto carius proftant. Liber *l'Hiftoire du Clergé feculier & regulier*, Voluminibus *IV* Amftelodami A. 1716, 8, emiffus, ad paucorum manus pervenit; *Hermanni* vero *l'Hiftoire des Ordres religieux & des Congregations regulieres*, *IV* Voluminibus in 12 Rothomagi edita A. 1697, vix centefimo cuique doctorum Germaniæ innotuit. Autor, qui *Helyotum* haud confuluit, plerumque ea omifit, quæ in vulgus funt nota: homonyma folicite examinavit, ne qua lectori occafio daretur errandi: fynonyma non minori congeffit cura, Bullariorum fenfum Evangelico lectori, hinc obvium, promifit, quibus in fubfidium

dium vocandis brevitas temporis subtraxit nimium; Tabularum synopticarum auxilio obscuritatem Ordinum omnem sustulit, licet erroris in collocatis Eremitis commissi apprime sit conscius *pag. 10*; animo ac sectæ nihil dedit, licet censuram criticam & elenchum, veritate contortus, subinde intexuerit; eis, quos pedantica juvant, contemtum sui Opusculi, ac lectionem libellorum, a Pontificiis editorum, commendat. Minatur porro Autor ac pollicetur Historiam monasticam in folii forma conspiciendam. Præfationi subjecit *Consilium propediem edendæ in integri folii forma Historiæ plenioris Monasteriorum Germaniæ, publice propositum.* Texit deinde catalogum plenum Episcopatuum utriusque Germaniæ, eisque scriptores, de eis commentatos, addit, ita tamen, ut bonam eorum partem omittat. Quis enim ignorat *Schannati* Historiam Episcoporum Wormatiensium? Quem fugiunt nuperi rerum Eichstetensium Scriptores? Quem prætereunt Chiemensis Cœnobii ac Episcopatus memoranda, quæ *A. C.* Augustinianus, nuper Monachii A. 1735 in *Arnolpho male Malo cognominato pag. 95 seq.* attulit. Omittimus alios, aliunde supplendos, siquidem *Fürstenbergii* Monumenta Paderbornensia, ac alia ejusmodi Opera, satis sunt cognita. Autor in edenda Cœnobiorum historia non omittet Diplomata & minutiora momenta, dicturus tamen præcipue, quis sit ordo, fundator, sexus, sanctus, diœcesis, quænam exstiterint jura, fata, controversiæ. Nec tamen diligentiam suam ad omnia provehet & extendet Cœnobia, sed ad ea potissime, de quibus ex libris publice impressis vel scriptis capi potest certa notitia. Quod Præsulum Germaniæ album novum spectare videtur ad instaurandam Imperii, quam vocant, *matriculam.* Autor, prævidens, scopo suo haud singula momenta esse responsura, sese hisce brevibus expedit: *Non trado historiam, sed notitiam, non umbris, nec lusui, sed usui, non aniculis, sed viris.* Hisce adjungit *Chronologiam Ordinum*, inde ab A. 312 in hoc usque tempus pertextam. Opusculum ipsum distributum apparet in *Tomos III*, quorum *primo* agitur de *Religiosis in genere*, ac de *Augustiniano Ordine*, seu *Albo*; *secundo* conti-

nentur

nentur Ordo *Bendictinus* & *Cisterciensis*, *Franciscani*, *Dominicani*, *Basiliani*, & *Carmelitæ; tertius* exhibet *Ordines peculiares*, *Clericos in genere*, *Clericos in specie*, quibus subjectæ sunt *Mantissæ* XIX, & Index satis copiosus. Quæ *Julius Cæsar* de Druidibus Galliæ scripsit, ea, ut ovum ovo, faciei monarchicæ externæ ac hierarchiæ Pontificum Romanorum esse simillima, Autor Cl. ostendit. *Canonicum* dici a canonibus seu regulis vitæ, ipse cum aliis credit, licet Ill. *Bœhmerus*, aliique, eum ex canone, i. e. penso annuorum redituum determinato, appellationem traxisse, existiment. Canonicorum in Occidente origo erat ab *Augustini* instituto, non a *Chrodegango*, repetenda. Sed quid facilius est, quam inventis & laboriose collectis aliquid addere? Gratulamur potius Cl. Autori de campo, millenis spinis obsepto quidem, feliciter tamen ipsius opera peragrato. Liceat inter hæc mantissam addere vicesimam in argumento & molesto & perdifficili. Pro voce *flabella pag. 112 lin.* 4 legendum est *flabellis*, nisi Autor scribere voluerit: *& elaborant flabella.* Quomodo & quo jure Equites S. *Jacobi de Spata* in Hispania ac Equites Teutonici aliique albo Augustinianorum sint inserendi, id quidem alii definiant. Equitum Teutonicorum primus autor & annus institutionis sunt omissi *pag. 117*. Commendam Equitum Teutonicorum Hassiacam, Thuringicam, & Saxonicam, a Lutheranis possessoribus seu dominis inhabitari, prouti *pag. 121* commemoratur, illud quidem usquequaque veritati non est consentaneum. Desideramus quoque catalogum prædiorum, hisce subjectorum, quæ *Venator* digne fuit executus. Crux Ordinis Teutonici marginibus tam amplis, quam eos Autor delineavit, haud constat. Post vocem *peperit pag. 233* §. 7 adde: *Fraticellorum schisma dummodo excipias.* Ita Autor ipse præcipit, pergens amice: *Dele in Indice sub rubro Canonissarum, insertum de Argentorato. Hæc enim Ecclesia hodie non amplius habet Canonissas, nec Pontificias, nec Evangelicas, sed moniales nobiles Visitationis Mariæ. Evangelicæ expulsæ sunt, quia Abbatissa religionem superiori seculo polluerat stupro.* Figuræ *n. 3* subscribendum est: *La*

croix

croix du Grand Maitre de l'Ordre Teutonique. Ad *pag 163*, ſpeciatim ad *Romualdum*, adde: Ipſe fuit primo Monachus in Cœnobio Coſſano nullius diœceſeos in marca Hiſpanica, quod erat Ordinis S. *Benedicti*. Sed ipſe Abbatem ſuum *Guarinum* eo deduxit, ut hic in ſolitudine prope Cœnobium haud ſecus ac ipſe viveret. *Petrum Urſeolum*, Ducem antea Venetiarum, *Guarinus* eodem deduxit, primo ad Cœnobium, deinceps, vertente anno, ad vitam eremiticam. Conferantur S. *Petrus Damianus* in *Vita S. Romualdi Cap. 5, 6*, Autor libri *Vita del B. Giovanni Gradenico pag. 28*, Demalevicius *della Vita di S. Bogumilo, Eremita Camaldoleſe, Cap. 9, Vita del glorioſo Principe S. Pietro Orſeolo, Doge di Venezia, indi Monaco, ed Eremita ſantiſſimo, di D.* Guido Grandi, *Abbate Camaldoleſe, in Venezia, 1733, 4, Cap. XVI pag. 71 ſeq.* Primus *Romualdi* diſcipulus extitit *Petrus* ille *Orſeolus*, natus A. 928, A. 977 eremiticam vitam amplexus, quæ jejunium & ſeceſſum requirebat. Jejunium illud conſtabat ſumtione parca & panis & aquæ, ac modici ſalis adjectione. Ad *pag. 137* adde: Congregatio Monachorum Benedictinorum datur in Hiſpania, quæ vocatur *Clauſtralium Tarraconenſium*. Vid. *Guido Grandi l. c. pag. 100. Joannes Mindanus* & *Joannes Hagen* non fuerunt homines duo, ſed unus, licet Cl. Autor, *Leuckfeldium* ſecutus, *pag. 160*, duos extitiſſe eos, crediderit. Diploma Cluſinenſe rem ipſam poteſt conficere & determinare. Adde ad *pag. 50*, *M. Joannem Quodvultdeum Bürgerum* in *Hiſtoriſcher Nachricht von des ſeligen D. Martini Lutheri Münchs-Stande und Leben Cap. VII pag 95 ſeq.* curate docuiſſe id, quod de *Luthero* ad Ordinem eremiticum *Auguſtinianum* aggregato ſolet circumferri. Credimus vero, neminem hiſtoriæ monaſticæ exornandæ & perpoliendæ ipſo Cl. Autore eſſe aptiorem, in cujus quippe collectaneis longe plura & graviora occurrunt corollaria, quam quæ hic inſtar farris vel molæ ſalſæ ad hecatombam pinguem, firmam, ſuoque decore commendabilem, adjecimus. Id unicum dolentes adhuc adjungimus, quod in *paragrapho I Capitis 152 pag. 364 ſeq.* ſenſum ab Autore inten-

Yyy tum

tum nondum licuerit nobis invenire. De cetero id omnino præ nobis ferre debemus, Compendium hoc, de *historia monastica* inscriptum, esse & commodum, & ordine præclarum, & reliquis omnibus ejusmodi libellis præstabilius. Faxit modo Deus propitius, ut cetera Autoris diligentissimi Opera affecta propediem elimentur, ac in dias luminis auras emittantur.

THESAURUS OBSERVATIONUM MEDICarum rariorum, experimentis Physico-Medicis pluribus, nec non Scholiis & Iconibus elegantissimis accuratissimisque, illustratus, collectus a JO. JACOBO HARDERO, Philos. & Med. Doct. Anat. & Botan. Prof. Sereniss. Princ. Badensi & S.R.I. Acad. Nat. Cur. Pæone, ac Patavin. Illust. Recup. Socio. Accedit Index Autorum, in hoc Opere citatorum, & rerum, locupletissimus.

Basileæ, ex officina Episcopiana, 1736, 4.
Alph. 1 plag. 3, cum Iconibus variis.

Centenarius Observationum, longo annorum usu collectarum, hic exhibetur, ad methodum normamque Academicorum Imperialium conscriptus, in quo varii argumenti phænomena, in corporibus brutis æque ac humanis obvia, prout vel hujus vel illius in Medicina disciplinæ objectum existunt, fideliter recensentur, ingeniose dijudicantur, & ad salutis humanæ usum practicum diriguntur. Ex tanto rerum apparatu paucula decerpemus, quo constet, quid de Opere promittere sibi Lector possit. Effectus olei Nicotianæ venenosus experimentis in ciconia, rana, serpente, cane, factis constitit, quo partibus admoto, vel vulneri cuidam immisso, motus convulsivi oborti, animal perdiderunt; qua occasione de animalium istorum, quæ toxico fidem fecerunt, anatomia agitur. Fœtus vitulini, ejusque secundinarum, habetur anatomia. Conspexit scilicet solers naturæ indagator non tantum matris ovaria cum ovulis, sed & secundinas sollicite rimatus

est

eſt, revocatis ad examen cotyledonibus ſeu placentulis, ſua ſingulis glandula conſtantibus, itidemque Chorio, per quod innumera vaſa, ad chordam umbilicalem tendentia, vel inde producta, diſcurrebant, Amnioque, in quo liquor gelatinæ ſimilis, & Allantoide, in quo humor urinalis deprehendebatur. Vena illi umbilicalis duplex, ſecus ac in homine, quæ ante hepar in unum truncum coibat, exſtitit. Eadem induſtria porcinus, ovillus, tandemque humanus, inſpectus fuit uterus. Qua occaſione de formatione fœtus ſecundum diverſa Autorum placita diſſeritur. Ad inteſtina animantium tranſitur, illorum potiſſimum, quæ ex ruminantium ſunt familia, quorum in cervo, hinnulo, quadruplicem digeſtionis machinam, omaſum, abomaſum, ventrem, & ventriculum, ſollicite expoſuit. Rupicaprarum occaſione de Ægagropilis agit, earundem ex pilis animalium, linctu abſorptis, fibrillis herbarum ſubtiliſſime admixtis, originem, figuram, locum natalem, in ventriculo ſcilicet cellulato, aliaque, declarans. Accedunt pennatorum, gallinarum, hoc vel illo fato exſtinctarum, aquilæ etiam, tardæ, vel otitis, quam *Trappen* noſtri appellant, anatomiæ; nec omittitur de variis ad oviparorum mores indolemque pertinentibus diſſerendi commoditas. Quam in gratiam adjectæ ſunt icones, negotium ulterius declarantes. De morſu viperarum hæc habentur: Vulnera animantibus omnibus, quotquot experimentis tentata fuerunt, mortem certiſſimam intulerunt, excepta capella, quæ, tot morſibus inflictis, citra ullum medicamentorum uſum nihil prorſus detrimenti ſenſit. Profuit admorſo cani ſal viperarum, quibusdam cauterium profuit. De noxis cicutæ ex Epiſtola ad *Wepferum* plurima, experimentis in diverſo animantium genere factis, adducuntur, cujus ſcilicet effectus nauſea, vomitio, ſomnolentia, convulſivi motus, exſtiterunt. Reliqui caſus fere omnes Clinicam utramque, Therapiæ æque ac Chirurgiæ, reſpiciunt, habenturque eventus oppido rari, quibus hiſtoria morborum mirum quantum illuſtrari poterit. Liceat unum alterumve adducere. Obſervatione octogeſima nona habetur *Dyſtocia ex integumentis, cranium fœtus involventibus, ſanguine extra-*

 vaſato

vasato anterius refertis; cujus causa fuerit ictus mallei, hypogastrio inflictus aliquot ante terminum septimanas, quo rite impleto irriti ad partum conatus de infante nihil, tumoris autem plurimum in orificium uteri, impulerint, licet aquæ legitime antea diffluxerant. Vulnere tumori inflicto sanguinis copia dimanavit, inde, evacuato embryonis mortui cerebro, extractus fœtus fuit feliciter. Accedunt plura, ad historiam partus facientia & eruditæ de gravidarum imaginationis efficacia, de molarum generatione & differentiis, disceptationes. Jucundissimum lectu est Opus ob mixtum orationis genus, & rerum insignem varietatem, quæ omnia sciendi faciendive cupido Philiatro satisfacere utrinque poterunt.

ELEMENTI DI MATEMATICA &c.

i. e.

ELEMENTA MATHESEOS, MELIORI ordine, & nova methodo, demonstrata ab ODOARDO CORSINI, Ch. Reg. Schol. piarum.

Florentiæ, sumtibus Tartini & Franchi, 1735, 8.
Plag. 20, Tabb. æn. 8.

Qui Elementa Geometriæ ediderunt, partim *Euclidis*, ceterorumque antiquorum, vestigiis presse inhærendum, partim id sibi agendum, arbitrati sunt, ut ordinem magis concinnum, demonstrationesque commodiores, eligerent. His assentiens doctissimus *Corsinus*, novum Geometriæ Compendium sermone Italico conscripsit, in quo præcipuas *Euclidis*, *Apollonii*, & *Archimedis*, propositiones accurato ordine tradidit, succinctisque, & ex parte novis, demonstrationibus firmavit. Nec dubium est, quin suis potissimum civibus, rerum Mathematicarum studiosis, operam perquam utilem præstiterit.

DISCURSUS PARÆNETICUS AD ÆQUOS bonarum artium æstimatores, pro Bibliotheca publica, &

& Societate eruditorum, sub gratiosissimis auspiciis Illustrissimorum, Excellentissimorum, ac Generosissimorum Dominorum, D. FRANCISCI ECKENBERTI, & D. WOLFGANGI EBERHARDI, Camerariorum de Wormatia, L. L. BARONUM DE DALBERG, &c. bonarum artium præstantissimorum Mecænatum, bono Numine in primaria Germaniæ Metropoli, urbe Moguntina, feliciter erigenda, promovenda, & stabilienda.

Moguntiæ, typis Jo. Joach. Franckenberg, 1737, fol. Plag. 4½.

Jucundissimum futurum est æquis rerum Germanicarum æstimatoribus, lætos nuncios accipere de instructissima Illustrissimorum Baronum *de Dalberg* apud Moguntinenses Bibliotheca publici nunc juris facta, deque novæ Eruditorum in antiquissima hac Germaniæ Metropoli Societatis primordiis. Dignata est ista eruditissimorum hominum concio, interprete Viro probo, ***Valentino Schmidio***, qui Societati a Secretis est, sequentes ad nos literas transmittere:

Si, quos principes in Republica literaria Viri, ad promovendas honestas artes, exercent conatus, in multorum convenit venire notitiam, ut plures sui consequantur propositi coadjutores & propagatores, haud improbum, spero, Vobis sapientissimis Viris videbitur, quod hisce acclusum exemplar elegantis perinde ac eruditi cujusdam Discursus parænetici, nuper ab eximio Viro, Oliverio Legipont, ***Benedictino, p. t. Excellentiss. Domin.*** de Dalberg ***apud Mogonos Bibliothecario, ad æquos bonarum artium æstumatores directi, pro Bibliotheca publica & Societate eruditorum in primaria Germaniæ Metropoli, urbe Moguntina, feliciter erigenda, promovenda, & stabilienda, limatissimo vestro judicio sistere, atque, ut in plurimorum veniat cognitionem, ad*** Acta Eruditorum ***referendum committere, præsumam. Comites adjunxi indigesta quædam adversaria, meo quidem judicio ad rem facientia, e quibus ut, quæ recensenda & perpolienda judica-***

 veri-

veritis, seligatis, rogo, ac etiam, si licet, obtestor, ut cordatos quosque, quos forte nostri instituti rationes delectaverint, ad teneros conatus nostros, vagientesque partus, succollandos, manus porrigant auxiliatrices, honorifice nostro nomine invitare non gravemini, qui nos ad paria officia, ubi occasio dederit, promtissimos deinceps habebitis. Favete, & bene valete. Scriptum Moguntiæ d. 28 Martii A. 1737.

Eo majorem exinde voluptatem percepimus, quo magis intelleximus, aliquam nostri penes illos, qui tantum opus condere annisi cum successu fuerunt, esse fiduciam, quibus haud displicuit, de gentis *Dalbergianæ* in literas meritis, & antiquissimis, iisdemque ad virtutem compositis, moribus, sequentia nostris *Actis* inserenda transscribere:

Qui de rebus Moguntiacis scripsere, Nicolaus Serarius, *Jesuita, ejusque interpolator,* Georgius Christianus Joannis, *non leve quidem hujus Metropolis decus a Bibliothecis olim ibidem instructissimis derivant, sed ita derivant, ut simul insinuent, iis per bella variosque casus Martem & Vulcanum infestos crebro ac immites fuisse, per pacem vero, fœcundam illam tinearum non ignotam matrem, pulverumque & aranearum nutricem & dominam, non minus male fuisse habitas. Has inter non ita pridem caput extulit celebris illa ac nominatissima Perillustrium atque Exellentissimorum Dominorum* de Dalberg, *tum manu descriptis codicibus haud paucis, tum editis, iisque præstantissimis, ac frustra alibi reperibilibus, egregie superbiens. Numerat illa ultra septem millia Voluminum melioris subinde notæ. Locus ei in ædibus* Dalbergicis *satis amplis, tribus conclavibus distinctus, in longum ultra 100 pedes sese exporrigens, editus, salubris, pellucidus, quietus, atque ab incendiorum periculis tutus; lacunaria, picturis, artes liberales & Minervæ dotes repræsentantibus, affabre exornata, illecebram nescio quam ingerunt, quæ excitare spectantium oculos & animos possit. Armaria, foruli, mensæ, pegmata, recipiendis libris aptissime sunt accommodata. Codices suus in classes pro argumenti diversitate apposite dispositi; spatium iis tractandis percommodum; nec sua deest exterior amœnitas, prospectus scilicet in vicinum hortum, ad invidiam floribus, arbusculis,*

lis, pyramidibus, statuisque deauratis, ac perenni fonte, luxuriantem. Ingredienti Epigraphe supra januam, quæ conclave majus aperit, uncialibus scripta literis, legenda objicitur: SCIENTIAM ODIT NVLLVS NISI IGNARVS ATQVE ASINVS. *Egredienti vero Nemesis suas diras ingeminat:* QVISQVIS FVR LIBRI FVERIT, MALEDICTVS IS ESTO. *Supra ostium, quod e regione aditum pandit ad conclave, in quo arma, nummi, technophysiotameum, & alia id genus cimelia, tam a natura, quam arte, suppeditata, veniunt reponenda, depicta visitur nobilis* Pallas, *dextra librum, sinistra hastam & scutum, gestans, cum subjecto lemmate:* EX UTRAQUE DEA. *In parte adversa* MARS, *in throno Pacis residens, una manu libros, altera lanceam, tractans, conspiciendum se exhibet, cum subscriptione:* Sunt duo, quæ faciunt, ut quis sit nobilis, Ars, Mars. *Coaluit vero hoc Gazophylacium ex variis* Dalbergiorum *gentis luminum & Heroum manubiis,* Joannis *præsertim, Cancellarii quondam Palatini, & post Episcopi Wormatiensis, Viri suo ævo clarissimi, qui obiit A. 1503, nec non* Wolfgangi, *Principis, Electoris, & Archiepiscopi Moguntini;* Julii, *Herbipolensis Episcopi, &* Philippi Christophori Echter a Mespelbrun, *&c. Atque demum, uti ex Alpium Hydrophylaciis, quæ stillatim aquas excipiunt, Padum, Rhenum, Rhodanum, aliosque fluvios, erumpere videmus, ita hæc Bibliotheca sensim in eam excrevit amplitudinem, qua posteris immortale decus, gloriam beatis, & suis conditoribus sempiternum cum insigni fructu ornamentum, conciliare queat, si modo, quod in proposito est, librorum usus cum eruditis, qui vigilias suas utilitati publicæ devoverunt, liberaliter communicetur. Qua in re magnificentissimi ejus possessores avitam sane stirpis suæ nobilissimæ laudem quam maxime referent, in qua viri, non modo natalium claritudine, amplissimisque dignitatibus, conspicui, sed & doctrina apprime tincti, ac erigendis publicis eruditorum emporiis impense intenti, non pauci floruerunt. Testatur enim* Altingius *in Historia Ecclesiæ Palatinæ pag. 134, quod* Rudolphus Agricola *non solum* Joanni Dalbergio, *Cancellario Palatino,*

no, verum etiam ipsi Philippo, *Electori, (qui post* Ludovicum *claruit,) autor fuerit condendæ & colligendæ amplissimæ Heidelbergensis Bibliothecæ*, ut deinceps ad eruditionem adspirantibus sua non deessent necessaria doctrinæ instrumenta. *Ipse vero* Joannes de Dalberg, *Vangionum cathedræ admotus Episcopus*, cum omnes, Trithemio *teste*, doctrina vinceret, & eruditione superaret universos, *ingentem quoque librorum melioris notæ, suis & aliorum, quibus eadem subsidia domi res angusta negaverat, usibus destinatorum, multitudinem comportavit, adeo, ut jam Seculo XVI ineunte nominatissima fuerit* Dalbergiorum Bibliotheca. *Refert namque* Joannes Heroldus, *haud infimi nominis scriptor, in sua ad Hæresiologiam, Basileæ A. 1556 editam, Præfatione, se opera* Thiethrichi, (*fuit is* Theodoricus de Bettendorf, *cum stirpe* Dalbergica *primo affinitatis gradu junctus*,) *Wormatiensis Principis, scriptum quoddam* Gennadii Scholarii *ex Bibliotheca* Dalbergiana *eruisse. Idem affirmant* Hottingerus *in Hist. Eccl. Nov. Test. Part. IV pag.* 43, Lomeierus *de Biblioth. pag.* 243, Struvius *in Introduct. Cap. II §. 19*, Morhofius *in Polyhist. Tom. I Lib. IV Cap. 4 num. 4, &* Trithemius *de Scriptoribus Ecclesiasticis. Porro, si quid ad Perillustris & antiquissimæ* Dalbergiorum *familiæ notitiam prodere juvat,* (*siquidem* boni omnes, *ut eleganter Romanæ politiæ princeps*, Cicero, *ajebat*, semper nobilitati favemus, & quia utile est Reipublicæ, nobiles esse homines, dignos majoribus suis, & quia valere debet apud nos clarorum hominum bene de Republica meritorum memoria, etiam mortuorum,) *plura sane domi forisque sese nobis ultro ingerunt decora, quæ, uti prænobilem hanc prosapiam cumprimis illustrant, ita animum vellicant, ut iis recensendis calamum prolixius indulgeremus. Duo solum hic attingemus, nimirum vetustatem sanguinis, & generis splendorem. Nobilitas enim, quo antiquior, eo illustrior, &, quo meritis onustior, eo splendidior. Hoc vero stemma olim in Vangionibus & Nemetibus celeberrimum sub nomine* Camerariorum de Wormatia, *suæ originis epocham ultra æram Christianam protendere non prorsus infundate dicitur, cum jam tempore Christi, Salvatoris nostri*

nostri crucifixi, annis abhinc 1707, Hierosolymis sub Romanorum aquilis militaverit nobilis Eques, Conradus Cajus Marcellus, *quem* Quintilius Varus *a reædificata Wormatia Romano præsidio* Camerarium *seu* Comitem *præfecit, a quo, ceu stipite, nobilissima* Dalbergiorum *propago*, seriesque longissima rerum, per tot ducta viros, antiquæ ab origine gentis *ad nos usque commeavit, quemadmodum authentico literarum instrumento perhibet antiquissimæ hujus familiæ archivum; idque prodit celebris* Ludewigius *in Notis ad Monachi Kirschgartensis Caput XXVII pag. 78, ubi diserte asserit*, supremum olim tempore adhuc Francorum Regum in urbe Vangionum judicem ex hac domo Camerarium fuisse, ac etiam permansisse succedentibus Episcopis, qui ob fidelitatem sibi præstitam officium hoc hæreditario in liberos ac totam familiam jure continuarunt; *exindeque, abolita etiam functione amplissima*, Camerarios de Wormatia, *vulgo* Cæmmerer von Worms, genannt von Dalberg, *in hunc usque diem sese nominant; quo nomine, testantibus* Bucelino, Rœdlero, *aliisque haud sublestæ fidei Genealogographis, in primis nobilitatis Germaniæ ludis equestribus, quos* Henricus Auceps *Imperator primitus Magdeburgi A. 938 instituisse dignoscitur, interfuit nobilis Eques* de Dalberg, *jam tum sine dubio probatissimæ nobilitatis Heros; cum per statutas Cæsarea autoritate Torneamentorum leges ab his arcerentur, qui quaternos de utriusque parentis linea majores nobiles non exhibuissent, aut aliqua se sceleris admissi labe contaminassent.* Interfuit & nobilis matrona ab Ingelheim, nata de Dalberg, quæ secundas gratias habuit Domino de Plawen, Franconi, quocum & choreas habuit, *ut perhibent ludorum equestrium scriptores. Neque vero antiquitate solum, sed & meritorum in Rempublicam splendore, ac etiam præstantibus, quos tulit, Viris, admodum illustris effulget hæc familia. Etenim Archiepiscopos Moguntinos domesticos, aut sibi primo gradu affines, numerat duodecim*; *Coloniensem unum*, Divum Heribertum; *Trevirenses octo; Episcopos ac sacri R. I. Principes 53, Bambergenses 3, Herbipolitanos 6, Wormatienses 17, Spirenses 12, Eystadienses 4, Pader-*

bornenses 2, *Ratisponensem* 1, *Basileenses* 2, *Augustanos* 3, *Leodiensem* 1, *Monasteriensem* 1, *Constantiensem* 1; *supremos vero Ordinis Teutonici Magistros novem*, *Abbates denique S. R. I. Principes quinque*, *quos inter hodieque eminet Celsissimus Princeps Abbas Fuldensis*, Adolphus de Dalberg, *quo autore ac parente condita nuper regiæ sapientiæ ampla augustaque domo*, *adscitisque singularum disciplinarum doctoribus peritissimis*, *ac etiam obtentis a Romano tam Pontifice*, *quam Cæsare*, *privilegiis amplissimis*, ecclesiæ, imperio, patriæ, *restituta*, *fundata*, *jamque pluribus bonæ frugis candidatis frequentata est alma* Fuldensis *Academia*, Adolphiana *in æternam sui autoris memoriam dicta*. *Ut mirum sit*, *homines*, *tanta natalium claritudine insignes*, *ac in eam dignitatum claritatem*, *qua inter præcipuos Germaniæ proceres emicant*, *nihil de avito*, *peculiari*, *innato*, *ac veluti in hac prosapia traduce*, *in literas literatosque viros studio non modo remisisse*, *sed hac arte florescentem familiam suam novis in dies decoribus & ornamentis cumulare*; *longe profecto in hoc ipso dissimiles iis nobilibus*, *quibus innata quædam aut male sana pusillanimitas*, *ne dicam*, *hebes ignavia*, *tam heroicos ausus non inspirat*, *qui*, *nudis majorum titulis ac fumo inani gloriantes*, *nihil propemodum in ore habent*, *quam illud*, *Cyclopum in patria natum*, pedantismi & pedaneorum, *honestis hominibus prorsus indignum*, *licet satis vulgare*, *convicium*. *Qui sane virorum optime de re publica pariter ac literaria meritorum contemtus*, *quantum calamitatis*, *quantum miseriarum*, *ac tædiorum*, *quantam denique tempestatem ac procellam*, *excitet*, *nec verbis exprimi*, *nec lachrymis satis defleri*, *potest*. *Cujus quidem infortunii si non unica*, *at certe non postrema*, *causa est ruditas*, & *invidia*, *quæ omni tempore honesta opera & fortia quæque labefactare scivit*. *Verum quis*, *ut æmulationem vitet*, *bene facta vitaverit*? *Ecquis vero non malit Achilles esse cum invidia*, *quam Thersites sine illa*? *Vident*, *ut flammam primum emicantem comitetur fumus*, *qui evanescit*, *ubi se illa explicaverit*? *Sic res egregias adornantem premit æmulatio*, *donec aucta gloria illius fumum abigat*. *Neque vero facinus magnum*

gnum aut memorabile est, in solos majorum nobilitatis titulos, bonis benevolentibus, nec quidquam malevolentibus improbis, succedere, & inanem inde pompam, externumque cultum & luxum, prosequi, sed meminisse virtutum, heroicorumque facinorum, de iis cum optimis quibusque certare, ac etiam omnes omnis memoriæ bonos proceres institutis præclaris, factisque laudabilibus, atque collatis in Rempublicam meritis, vincere, dignum & titulis & majoribus suis facinus mens erecta ac vere nobilis existimare debet. Cum itaque omnium bonorum judicio nulla sit supellex tam præclara, quæque homines Reipublicæ bono natos magis deceat, quam optima Bibliotheca, multiplicibus scientiarum artiumque instrumentis locupletata, si præsertim ad bona studia promovenda probis & doctis comiter & urbane pateat, perbeatos profecto & nominis inoccidui honore dignos haud immerito judicamus proceres illos, quibus & ea animi nobilitas contigit, ut velint, & eæ facultates suppetunt, ut possint, in re tam pulchra & laudabili supra vulgi mediocritatem altius sese extollere. Hæc mihi animi generositas vere nobilis, & potius divina, ac omnibus iis voluptatibus, quæ cum brutis animantibus fere communes sunt, præferenda, semper visa fuit, in quo assentiri mihi & ex doctis, & ex indoctis, optimum & prudentissimum quemque, imo me potius cum illorum sententiis congruere, nemo nisi Davus inficias iverit. Etenim, si genus, & genius, mens, gens, decus artis, & ortus, Ars & Mars, coeant, & in una sede morentur; quis neget, hos proceres solidum genus esse Deorum? *Quodsi vero de Autore Discursus parænetici, ac primario laudabilis instituti promotore, ampliora nosse convenit; is est* R. P. Oliverius Legipont, *patria Limburgensis, Ordinem Benedictinum in Abbatia S.* Martini *Coloniæ professus, S. S. Theologiæ in alma Universitate Coloniensi Licentiatus, ejusdemque Professor in Monasterio S.* Jacobi *Moguntiæ pridem emeritus, qui dein a doctissimo Abbate Gottwicensi in Austriam evocatus, lectissimam ac copiosissimam inclyti Monasterii Bibliothecam in ordinem redegit, in rei librariæ tritura non modice versatus, hodie utroque quasi cornu laborat in ordinanda Bibliotheca*

Dalbergica, *ejusque catalogo conficiendo, omnesque eruditos, quos præclari instituti ratio delectaverit, impense, honorifice, perque amanter, invitat, ut illustria sua nomina in album Societatis Moguntinæ referre, ac propositum promovere, non graventur, id quod felix faustumque jubeat esse Deus!*

Nemo dubitat, Institutum isthoc, Principe Viro dignum, successibus usurum, cujus rei eo certior spes esse potest, quo sapientius & provida magis rerum futurarum cura leges, quibus Societatis gloria & perennitas constabit, condiderunt Collegæ, quas, ab Heidelbergensi Societatis Historico-literariæ Instituto acceptas, adeoque longo annorum usu comprobatas, sibi ipsis tulerunt. Sunt autem sequentes:

1) *Gloria Dei, rei literariæ incrementum, studii Genealogici, Heraldicique, & patriarum Historiarum, nec non Juris publici, illustratio, atque boni communis exinde resultans commodum, instituendæ apud Mogonos* Societatis Eruditorum *scopus esto & cynosura unica;* 2) *Quoniam vero Societas nascens subinde æmulorum faucibus hæret, qui porro hujus instituti pulchritudine vel utilitate capti fuerint, eo curas & studia statim conferent, ut gratiosissimam Eminentissimi ac Serenissimi Principis Electoris tutelam & protectionem sibi concilient;* 3) *Ut autem feliciora ac firmiora Societas capiat incrementa, ipsique autoritas major concilietur, præstantissimum Mæcenatis cujusdam præsidium erit exorandum, cujus auspiciis certa quædam privilegia possint impetrari: hujus vero vices in congressibus subibit is, quem Dominus Præses pro lubitu nominaverit, titulo* Vice-Præsidis; 4) *Societatis secretiora membra perpetuo statui debent duodecim Viri eruditi, Moguntiæ in studia incumbentes: e quorum medio unus* Director, *alter* Cancellarius, *alius* Secretarius, *constituatur; quibus abeuntibus sufficientur alii, vel secundum ordinem receptionis, vel suffragiorum & meritorum pondus;* 5) *Directorium autem, si fieri potest, & e re Societatis visum fuerit, maneat penes actualem Bibliothecæ publicæ Præfectum, cui unus e membris secretioribus* Assistentis *titulo jungatur, ut ille & solatium habeat, & ab omni suspicione mala in rebus Societatis versationis liberetur;* 6) Directori

rectori *incumbat congressuum materias proponere, vota & opiniones aliorum colligere, ac rebus Societatis ita prospicere, ut, quæcunque in ejus incrementum aut commodum ullo modo cedere possunt, vel opera, vel consilio, vel industria, sedulo procuret;* 7) *Habeat ille peculiarem librum, cui codices Societatis usui destinatos curate annotet; deinde, qua quis die librum in usum privatum acceperit, & qua restituere debeat, observabit, diligenterque prospiciet, ut a singulis stato tempore illæsi restituantur;* 8) Cancellarius *sigillum servabit, & Acta, ac Ærarium Societatis: hujus vero Statuta, modum conventuum, & memorabilia, item nomina singulorum membrorum, patriam, habitationis locum, functiones, diem receptionis, & similia, peculiari libro* Secretarius *inscribet, eumque ceu Archivum serio custodiet;* 9) *Membra invitata & recepta ad duo sint obstricta, ut primo librum in usum communem Societatis comparent, loco cujus aliorum librorum usu gaudebunt particulari; secundo seligant sibi materiam, scopo Societatis propriam, ab alio haud præventam, sub titulo Dissertationis, Schediasmatis, Speciminis, vel alio, elaborandam;* 10) *Materiam vero talem membrum elaborabit, curiose, & qua fieri poterit, diligentia; sed, cum unus ægre singula pro dignitate possit expolire, optandum sane esset, ut Socii in suis elucubrationibus primum de principiis inter se convenirent, tum singuli singularia argumenta curatissime discutienda & pertractanda susciperent;* 11) *Si quis argumentum sibi susceperit elaborandum, ejus ichnographiam statim secretioribus membris submittet, ut, si de eadem re rari quidpiam aut curiosi reliquis innotuerit, illud candide vicissim communicent: pari modo confectum opus ante editionem aliorum examini subjiciet;* 12) *Licitum vero erit membris, quibus Opusculum videre contigerit, cum bona Autoris venia & absque ipsius offensione, materiæ perfectius elucidandæ gratia, quædam monere, corrigere, addere, immutare, omnia tamen amice, & citra arrogantiam, invidiam, vel ullius contemtum: quandoquidem viri sapientis non est, alterum invidiose calumniari;* 13) *Certum tempus exhibitionis pensi a membris requiri non poterit;*

 cum

cum propter alia forte negotia Societati semper vacare non possint: sufficit, si utilitas operis & cupido famæ calcar admoverint, ad maturum fœtum primum Societati, deinde erudito orbi, sistendum; 14) *Qui pensum suum absolverit, cogi non poterit ad novæ materiæ elaborationem: sufficit, si alio quovis modo Societatis laudabile institutum pro virili promoverit; si tamen quis suo instinctu novas materias tractare voluerit, eo magis Societatis favorem merebitur, digniusque illius membrum se præstabit;* 15) *Scripta a Sociis communicata secundum ordinem temporis, quo submissa fuerint, aut materiæ connexionem, in unum corpus colligantur, præmisso ubique Autoris honorifico nomine, & tam diu in cista asserventur, donec tractu temporis in unum Volumen congesta, Bibliopolæ tradi, & sub titulo* Actorum Societatis Eruditorum Moguntinensium *edi possint;* 16) *Hisce Actis addantur, si qui rariores libri prodierint, & interdum quid insoliti & curiosi in se contineant: calcis loco adjiciatur, si quis membrorum vivis excesserit, honorifica mentione eorum, quæ in Societatis & rei literariæ commodum præstiterit, quæ Opuscula ediderit, &c. adeoque paucis beata ipsius analysis enarretur;* 17) *Hoc ut facilius impetretur, Membra, Moguntiam aliquando relictura, non desinent esse membra, sed, ubicunque degerint, Societatis incrementum quærent, &, cum per varia loca fuerint disposita, literarium commercium cum Societate instituent, tuebuntur, & promovebunt*: *quibuscum e contrario Acta Societatis a Directore fideliter communicabuntur;* 18) *Quodlibet Membrum alios quoque, sive illi indigenæ, sive exteri, fuerint, hisce conatibus faventes, aut in ipsam Societatem pellicere conabitur, aut, si hoc non arriserit, nec ipsorum negotia permittant, eos, ut tanquam Mæcenates, Patroni, & Fautores, reliquis membris, rariora communicando, operam conferre dignentur, submisse, honorifice, perque amanter, invitabit;* 19) *Ut autem ejusmodi Fautores eo proclivius alliciantur ad collationem librorum in usus Societatis, hujus propositum eis impensius erit commendandum; ipsis quoque titulus honorarius in ea erit deferendus: Societas enim primo benefica ac subinde meritoria esse debet;* 20) *Ad cooptandum Collegio novum Socium, opus erit*

erit, ut duodecim membra ſecretiora, aut major pars eorum, quibus exhibiti penſi cenſura relicta fuerit, conſentiant; exturbari vero ſemel receptus nequeat, niſi quid admiſerit bono & honeſto viro indignum; 21) *In Congreſſibus iſta erit habenda ratio, ut colloquia de iis potiſſimum rebus miſceantur, quarum particeps quis in ordine ad Societatis ſcopum fieri maxime deſiderat: tali enim ratione cum conſilia oppido ſalutaria ſuggeſta audientur, tum variæ opiniones prolatæ innoteſcent, tum media explorabuntur, quibus propoſitum argumentum liceat illuſtrare, ac ea fœnerari, quæ in progreſſu inſtitutum noſtrum ſecundent;* 22) *Quo autem hoc ſalubre negotium felicius faciliusque procedat, conſultum fuerit deinceps ſancita lege caveri, ut, ſi aliquod Societatis Membrum abſque liberis & conſanguineis ad ſtudia aptis diem ſuum obierit, ipſius libraria ſupellex, ſcripta, monumenta, aut certa hæreditatis portio, cederent in Bibliothecæ publicæ & Societatis incrementum, commodumque.*

Pia facimus pro felici novæ Societatis ſucceſſu & Sociorum incolumitate vota, patriæ famam novis ornamentis auctam læti conſpicimus, deque literarum incrementis, certiſſimo meliorum temporum augurio, Rheni accolis gratulamur.

JO. HENR. A SEELEN, S. S. THEOL. Licent. & Gymn. Lubec. Rect. Miſcellanea, quibus Commentationes varii argumenti, ſacri, philologici, hiſtorici, philoſophici, antiquarii, literarii, continentur.

Lubecæ, apud Jonam Schmidium, 1734, 8.
Alph. 1 plag. 4, cum Figuris & Numiſmatibus nonnullis.

Ex promiſſo debebat literatiſſimus Autor reipublicæ eruditorum *Partem tertiam* Meditationum, quas jam inde de rebus Exegeticis edere cœperat. Sed, mutato certis de cauſis conſilio, hæc *Miſcellanea* ſatis æqua compenſatione ſtudioſis literarum tranſmittit, ſive quod Camœnæ alterna ament, ſive

ve quod ſuctos labores in annnum ſequentem differri ſatius exiſtimaverit. Tanta jam olim exſtitere merita Viri Reverendi in literaturam amœniorem, ut jam ex iis de præſtantia Operis hujus tuto poſſit judicari. Rei indicio erit, ſi pro inſtituti ratione capitulatim præcipua delibemus Operis argumenta, quæ quidem *XVII Commentationibus* concluſa ſiſtit. *Prima* itaque copioſe & argute de veritate religionis Chriſtianæ ex gentium ſcriptoribus caute confirmanda diſſerit. Præmiſſis enim Autorum nominibus, qui aliquid operis in hoc ſcribendi genere unquam contulerunt, octo ſpeciatim regulas tradit, quibus præceps Autorum profanorum uſus caveri poſſit. Dignæ certe ſunt, quæ legantur, obſervationes de ſcriptis *Socratis*, *Hermetis*, *Sanchoniathonis*, Oraculis Sibyllinis, quæ per piam fraudem ſuppoſita, & a multis incurioſe recepta, arguit. Pari induſtria monet de diſcrimine, ab iis perperam confuſo, qui vel Poetarum fabulis, vel relationibus dubiæ fidei, ſimilitudine decepti, veritatem Chriſtianam feſtinaverint confirmandam. Hinc, *Huetio* & *Hugone* taxatis, inprimis *Dominici de Colonia* librum, inſcriptum: *La religion Chretienne autoriſée par le temoignage des anciens Auteurs payens*, commendat, tanquam prudenter & caute hanc rem perſequentem. *Secunda* Commentatio teſtimonia de Chriſto paſſo collecta tradit, quæ in profanis forſan exſtant, & jam Programmati, A. 1720 edito, præmiſſa ſunt. Uberius rem perſequitur, ita, ut ſuſpectis ambiguisque rejectis, inquirat, quantum fidei teſtibus *Pilato*, *Phlegonti*, *Tacito*, *Plinio*, ſit tribuendum. Affine eſt huic *tertium* Schediaſma, quo famoſum illum libellum *Jac. Hugonis*, *Homerum* Chriſti paſſi teſtem exhibentis, multis argumentis confutavit. *Quarto* inſerit Diſſertationem de tonitru exiſtentiæ divinæ teſte; in qua, multis pro lectionis ubertate diſputatis, methodo, ut ajunt, mathematica, Numinis tum exiſtentiam, tum perfectionem, tradit deductam. Non eſt hic prætereundum, Autori Cl. conſilium fuiſſe vitas & memoriam ſeorſim exponere Virorum, qui unquam Lubecæ meritis & laude eruditionis floruerint; ſed, ne domeſtica tantum egiſſe videretur, cœptis deſtitit,

stitit, & pro specimine unam alteramve βιογραφίαν his intertexuit *Miscellaneis*. Sic *quinta* Commentatio sistit Ἐπιτάφιον *Hermanni Jacobi Harderi*, cujus, præmatura morte defuncti, præcocitatem ingenii, & eruditionis spes jam firmatas, funebri dolet collaudatione. Sequens *sexta* Commentatio Philologema offert, quo Patronis olim gratulandi præstitit officium, & de præcipuis nominibus, magistratui impositis, erudite egit. Hanc *septimum* excipit Σχέδιον, de religione Lutherana magistratui civili favente differens, cui ob propinquitatem rei encomium pietatis veterum Christianorum erga magistratum civilem junctum addidit. *Nono* loco prodit Disputatio, quæ olim in Gymnasio Lubecæ, de *Jani Guilielmi*, Philologi, & Poetæ, vita, studiis, & fatis, publice habita fuit; quam quidem *decimum* Schediasma de Academia Rostochiensi A. 1487 Lubecæ commorata excipit. *Undecimum* locum occupat Dissertatio de Formula Germanorum votiva, *Wolte Gott*, caute adhibenda; qua quidem non solum *Urbani Regii* libellus, de formulis caute loquendi, ex parte suppletur, sed etiam, re fusius explicata, *Jo. Clericus*, locum *Gen. XVII, 18*, perperam interpretatus, notatur. Commentatur *duodecimus* Sermo de Doxologia: *Gloria Patri* &c. *sicut erat in principio* &c. cujus sensum ex ritibus veterum scite exponit. Numerum *decimum tertium* sibi vindicant Observationes de vere sacro, quibus, per occasionem Examinis verni susceptis, ob argumenti confinitatem, Programma *Jo. Henrici Hessi* adjectum legitur. *Decimum quartum* est Meletema critico-morale, quo modus doctrinas morales tradendi per meditationes insertas asseritur, & varia de *Philonis* & *Bonaventuræ* exemplis afferuntur. Sequens *decima quinta* Ecloga de Deo Pace se præ ceteris commendat, cujus origo cultus, symbola, & nummi, non sine delectatione quadam leguntur. Memoriam *decimo sexto* loco sistit *M. Sam. Gerh. a Melle*, Archidiaconi Lubecensis, cujus præsertim itinera literaria & labores Bibliothecæ Lubecensi impensi meritis commemorantur laudibus. *Ultimum* tandem numerum obtinet prolixior Commentatio, quæ de festo die Lanceæ & clavorum, in Ducatu Bremensi olim cele-

 brato,

brato, non minus copiose, quam ornate, disputat. Altera hæc est editio, quandoquidem prior A. 1716 Flensburgi prodiit. Varia occurrunt in illa notatu dignissima, quæ Historiæ sacræ istius temporis possunt inservire. Si pauca in hoc Opusculo exceperis, quæ ad augendam molem videntur adjecta, plurima certe ingenio & peritiæ literatissimi Autoris respondent, jam olim satis spectatæ. Nec dubium est, quin eo plus gratiæ apud ipsos legentes sint habitura, quo magis & rerum varietate, & dictionis nitido ornatu, scriptis *Seelenianis* fere proprio, comparata ad delectandum videntur.

NOVA LITERARIA.

Ultrajecti apud *Joannem Brædelet*, Typographum, haud ita pridem forma minori, quam duodecimam vocant, prodierunt Sam. Puffendorfii *de Officio hominis & civis, juxta legem naturalem, Libri duo. Editio septima, prioribus correctior, additionibus & emendationibus* Weberi, *duplicibus lemmatibus, ac perpetuis ad* Hugonem Grotium *& majus Autoris Opus remissionibus, aucta. Accesserunt huic editioni notæ* Ev. Ottonis. Cum Vir clarissimus & eruditissimus, *Everardus Otto*, in Præfatione, *Sam. Puffendorfio* de Officio hominis & civis, A. 1728 ex officina *Brædeletii* prodeunti in 8. præmissa, textum hunc *Puffendorfianum*, forma minori excusum, omnium accuratissimum judicaverit, ejusque lemmata studiose a Cl. *Franckio* composita & ordinata esse, confessus fuerit; e re studiosorum fore existimavit idem *Brædeletius*, si hanc editionem compendiosam & portatilem, ab agnato quondam suo, *Jac. Brædeletio*, A. 1723 vulgatam in 12, novo augmento instrueret, & ornatiorem in publicum emitteret. Moverunt ipsum variæ & sonticæ hanc editionem evulgandi rationes, primum, quod ipse Vir Clarissimus in recudenda illa editione κατὰ πόδα minorem hanc fuerit secutus; deinde, quod vitio seu negligentia correctorum varia fuerint in majori illa prætermissa, quæ studiosius in minori hac correcta leguntur; postremo, quod jure emtionis ex hæreditate patruelis sui aliquot centena hujus accuratissimæ editionis

exem-

exempla nactus fuerit. Hinc non inutile futurum judicavit, si in gratiam studiosæ juventutis eruditas Notas Clarissimi *Ortonis* adjungeret, ut ad manus essent illis, qui lectiones ejus frequentant. Sic, nummis modicis, rerum ubertate & correctorum diligentia optima, mole vero exigua, editio hæc Lectori præsto erit.

INDEX AUTORUM,

quorum Libri aut Inventa in hoc Volumine recensentur.

I. *Libri Theologici, & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.*

II. *Libri Juridici.*

III.

III. *Libri Medici & Physici.*

IV. *Libri Mathematici.*

Hert-

V. *Libri Historici, Geographici, &c.*

Cæsaris

Tschu-

VI. *Libri Philosophici, & Miscellanei.*

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

Boum

Deter-

In

H.

Mono-

O.

P.

Plumbo

Schlæ-

Rom.

Suetonii

Vir-

EMENDANDA.

Pag. 51 *lin.* 15 pro *Tomus tertius* lege *Tomi tertii*; *pag.* 77 *lin.* 7 pro *parallelopipedum* l. *parallelepipedum*; *pag.* 81 *lin.* 29 pro 3 lege 4; *pag.* 128 *lin.* 27 pro *ei* l. *ipsi*; *pag.* 188 *lin.* 28 pro

 horo-

horologo l. *horologio*; *pag.* 280 *lin.* 5 pro *aliud* l. *alium*; *pag.* 314 *lin.* 11 pro *prælarum* l. *præclarum*; *pag. ead. lin.* 24 pro *exstructas* l. *exstructos*; *pag.* 316 *lin.* 1 pro *desiderata* l. *desideratus*; *pag. ead. lin.* 12 pro *alias* l. *alios*; *pag. ead. lin.* 13 pro *cylindricas* & *sphæricas* l. *cylindricos* & *sphæricos*; *pag. ead. lin.* 14 pro *congruas* l. *congruos*; *pag.* 317 *lin.* 5 pro *compositas*; *illas* l. *compositos*; *illos*; *pag. ead. lin.* 6 pro *quarum* l. *quorum*; *pag. ead. lin.* 7 pro *cylindricæ*, *sphæricæ*, *ellipticæ*, *vel quæcunque aliæ*, l. *cylindrici*, *sphærici*, *elliptici*, *vel quicunque alii*; *pag. ead. lin.* 8 pro *has vero*, *quæ* l. *hos vero*, *qui*; *pag. ead. lin.* 13 pro *earum* l. *eorum*; *pag.* 318 *lin.* 6 pro *conicarum* l. *conicorum*; *pag.* 323 *lin.* 7 pro *normalis* l. *normali*; *pag.* 363 *lin.* 26 pro *efficitque* l. *effecitque*; *pag.* 404 *lin.* 13 pro *elematique* l. *elimatique*; *pag.* 441 *lin.* 4 pro *Danca* l. *Danica*.